







HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES

ANNI M DCC XXXI,

QUIBUS

PHILOSOPHIA

AD

PUBLICAM

PRIVATAMQVE UTILITATEM

APTATUR.

AUTORE

CHRISTIANO WOLFIO,

POTENT. SUECORUM REGI, HASSIÆ LANDGRAVIO, A CONSILIIS REGIMINIS, MATHEMATUM AC PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PRIMARIO, IN ACADEMIA MARBURGENSI, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ SOCIETATUMQVE REGIARUM BRITANNICÆ ET BORUSSICÆ SODALI.

TRIMESTRE BRUMALE.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ, M DCC XXXVI.

PROSTAT IN OFFICINA RENGERIANA.



ILLUSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

DN. JOHANNI FRIDERICO,

L. B. a STAIN,

POTENTISSIMI SVECORVM REGIS,

HASSIÆ LANDGRAVII,

MINISTRO STATVS INTIMO,

REGIMINIS PRÆSIDI,

ACADEMIARUM SUPREMO CURATORI,

EQUITI S. HUBERTI

ET

DYNASTÆ IN MüLHUSA AD ANISUM,

DOMINO SUO GRATIOSO

FELICITATEM PERPETUAM!

ILLUSTRISSIME

ATQVE

EXCELLENTISSIME DO-
MINE,

CUm veritas tum de
mum voluntaten
moveat, ubi convi
ctum tenet animum; omni
bus profecto viribus in i
annitendum erat, ut do
ctr

ctrinæ humano generi utiles ad veritatem liquidam perducerentur. Dudum exemplo ſuo docuere Mathematici, veritatem doctrinarum, ſi ab experientia diſceſſeris, cui tamen promiſcue omnes non ſubeſſe conſtat, perſpici non poſſe, quantum ad convictionem plenariam ſufficit, niſi ea methodo in ordinem digerantur, quam longo atque continuo uſu ipſi ſibi quaſi propriam fecere. Optandum itaque erat, ut in tradendis diſciplinis accurata methodo uterentur,

tur, qui juvenum animos doctrina solida imbuere & ad ministerium Ecclesiæ ac Reip. præparare debent. Quoniam fieri haud quaquam potest, ut Facultatum superiorum, quas vulgo dicimus, Doctores ad eam evidentiam perducant dogmata, quæ absque rationum extrinsecarum suppetiis sola assensum firmum atque immotum præstat & mentem plena luce perfundit, ut veritati absque pudore resisti non possit, antequam philosophia Mathesin imitetur, ut a Log

ca

cæ tribunali non amplius, abhorrere teneatur; ego quoque a prima juventute omnes ingenii nervos in id intendi, ut accuratam methodum ad philoſophiam enodandam transferrem. Nullus dubito, Vir illuſtriſſime, quin Tibi placeat inſtitutum, quod judicio virorum in Rep. literaria doctrina ſingulari eminentium probari expertus ſum ac indies experior. Quemadmodum enim in rebus gerendis haud facile parem, ſuperiorem neminem habes, ita quoque tan-

ta eruditione fulges ut eorum numero ſis, quorum Protectorem ac Mecænatem Te præbes. Quamobrem cum in his ipſis Horis ſubſecivis non modo doceam, quomodo mea philoſophandi ratio in Facultates ſuperiores influere poſſit; verum etiam ſpeciminibus dictis fidem faciam; eas in conſpectum Tuum proferre audeo. Quas igitur humillima mente offero, eas ut vultu, quem Tibi proprium prædicant omnes, gratioſo reſpicias rogo. Felicem

cem ſeſe prædicat Haſſia, quod a conſiliis Tuis pendeat ipſius ſalus. Felicem ſeſe prædicat Academia Marburgenſis, quod Tibi ejus cura fuerit demandata. Felicem denique me prædico & ego, quod Te Protectore ac Patrono frui detur. At Deus T. O. M. Te, VIR ILLUSTRISSIME, eſſe jubeat felicem! felicem eſſe jubeat familiam ſplendidiſſimam! Ita vovet

ILLUSTRISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

NOMINIS TUI

Marburgi Cattorum
d. 25. Sept. 1734.

Cultor devotiſſimus

Chriſtianus Wolfius.



PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO SALVTEM!

VAria ſeſe hactenus mihi objicere obſtacula, quo minus Horas ſubſecivas continuare minime potuerim, quibus recenſendis nunc quidem ſuperſedeo. Cum vero complu-

plures me fuerint hortati, ut eas continuarem; ad utilitatem aliorum promovendam pronus facile me adduci passus sum; speroque fore ut, impedimentis quibusdam sublatis, quæ desiderantur, suppleam. Tanta autem majore voluptate ad laborem aliquandiu intermissum redeo, quod magis in dies veritatem ac utilitatem philosophiæ nostræ perspici intelligam, Dei causam justam contra invidorum malitiosa molimina defendente. Sane singularia prorsus hujus providentiæ divinæ specialis documenta venerabunda in Numen optimum mente deprædicaui, cum

nuper

nuper Phychologiam rationalem in publicum proferrem, in qua continentur illæ theoriæ, quæ in perversum ſenſum detortæ adverſariis calumniandi & criminandi anſam dedere; Quæ ibidem legi posſunt, hic non repeto, nec addo plura, quæ addi poterunt. Erit enim dies, qua in lucem proferentur omnia, quæ ut æternis tenebris ſepeliantur optant adverſarii tremebundi. Equidem novam calumniandi viam ingrediuntur in anguſtiis conſtituti, inepte admodum aliis perſuadere nitentes, me alia olim Halæ docuiſſe, alia ſcripſiſſe: cum vero plures paſſim vivant viri

docti atque ingenui, qui lectionibus meis interfuerunt, non dubito fore aliquos, qui publicum veritati testimonium dare non detrectabunt, quamvis nihil absurdius fingi possit, quam libros demonstrativa methodo conscriptos contrario sensu interpretari velle. Singuli enim definiuntur termini & significatus eorum tenaciter servatur, immo inde prima demonstrandi principia petuntur, ut tale quid moliri idem sit ac insanire. Si quis principiis meis dicatur abusus, mihi nullo jure imputatur. Ecquis enim est qui nesciat, non deesse plurimos, qui ipsis oraculis

lis divinis abutuntur? Primum locum in Horis Subſecivis, quas nunc in publicum profero, occupat diſſertatio de influxu philoſophiæ noſtræ in Facultates ſuperiores, Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam. Nihil diximus, quod ſit a veritate alienum. Dedimus jam in Horis ſubſecivis annorum præcedentium aliquot ſpecimina, quæ dictis fidem faciunt, & plura dabimus in poſterum, ut aliorum conatus exemplis juvetur; exemplorum enim magna vis eſt; ut recte omnino dixerit SENECA iter longum eſſe per præcepta, breve per exempla. Quod

Quodſi non defuerint, qui iſtis excitati methodum accuratam in poteſtatem ſuam redigant, & notionibus, quas in philoſophia explicamus, animum imbuant; ipſo opere experientur, me de influxu philoſophiæ in Facultates ſuperiores differentem ipſorum expectationem minime fefelliſſe, modo ſemetipſos non fallant, ut plus de facultatibus ſuis ſperantes quam in iis eſt, nondum ſatis præparati ad rem arduam accedant: neque enim putandum eſt rem arduam brevi negotio confici poſſe. Quamvis vero non præcipitato nimium gradu properan-

perandum; cavendum tamen quoque erit, ne nodum in ſcirpo quærant, quemadmodum facere ſolenr, qui methodo pueriliter abutentes carpunt, quod offendere nequit niſi tyronem. Sua enim ſcrupuloſitate, qua ſibi ſolis placent, non facient niſi ut progreſſuri retrogrediantur & doctrinam ſolidam in contemtum adducant. Dabam Marburgi Cattorum d. 25. Septembris A. O. R. 1734.

HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES

Anni MDCCXXXI.

Trimestre Brumale.

I.

De Influxu philosophiæ Autoris in Facultates superiores.

§. I.

Qui in Academiis operam navare solent studiis, philosophiam potissimum in usum Facultatum superiorum addiscunt, etsi alibi (a) ostenderim, eam quoque per se addiscendam esse ob utilitates, quas spondet sui cultoribus a Facultatibus superioribus non expectandas. Quamobrem ubi novi quid in philosophia quis molitur, prima statim incidit quæstio, num id conducat facultatibus superioribus, an vero iis inde immineat aliquod periculum. Non igitur miror, *Ratio instituti.*

(a) Trim. autumn. Hor. subsec. Anno 1729. n. III.

eandem quæſtionem de noſtro quoque in philoſophia reformanda auſu fuiſſe motam, aliis inutilitatem in Facultatibus ſuperioribus temere accuſantibus, aliis vero verentibus ne forſan quid periculi Facultatibus iſtis immineat. Equidem cum habitum philoſophiæ ad publicam privatamque utilitatem aptandæ delinearem (b), ea jam tradidi, unde influxus philoſophiæ noſtra in Facultates ſuperiores deduci poterat & in Horis hiſce ſubſecivis, id inprimi ago, ut exemplis doceam, qualem ha bere poſſint; ne tamen deeſſem non nullorum deſiderio, eundem ex inſtitu to declarandum eſſe duxi.

§. 2.

In quonam philoſophia Autoris ab omni reliqua differat.

Philoſophia noſtra methodo poti ſſimum differt ab omni reliqua. Ea enim ad leges methodi demonſtrativ componimus, non admittentes voc bula niſi accurate definita, & ſignific tum ſemel conſtitutum ſanctisſime c ſtodientes, ne vel latum unguem eadem diſcedatur, nec recipientes ta quam verum, quod ex definitione c

l

(b) Trim. brum. Hor. ſubſec. A. 1729.

ligitur, nisi realitate ejus evicta, ac præterea propositionem ita determinantes, ut ex iis, quæ in notione subjecti sumuntur, colligatur prædicatum. Uno dicam verbo, quid moliar: Quæ in philosophia doceri debent, ad notiones determinatas revoco, earumque veritatem, quantum datur, a priori demonstro, continua veritatum universalium concatenatione. Si cui hæc obscuriora videntur, quam ut ea intelligere possit; is opera nostra philosophica, quæ prostant, & in posterum a nobis, si Deus voluerit, in publicum proferentur, cum operibus Philosophorum aliorum conferat, & quænam sit differentia philosophiæ nostræ a philosophia ceterorum abunde perspiciet, modo ad talia dijudicanda sufficiente acumine fuerit instructus. Equidem *Cartesio* propositum erat hac methodo philosophari, ut non admitteret nisi sufficienter explicatum & probatum omniaque in concatenatam seriem redigeret; sed quanto adhuc intervallo distet ab ea, quam nos sequimur, methodo, præclaro exemplo dubitationis universalis doceri potest in limine statim Princi-

piorum propositæ, ubi nostra methodo ad notionem determinatam revocatur, quemadmodum alibi (c) fecimus. Erunt enim plurimi, qui notionem determinatam verbis philosophi vix convenientem agnoscent, præsertim ubi vulgari interpretatione præjudicium hauserint, etsi demonstrativa ratione ex contextu probari possit, vim inferri philosopho, ubi mentem ejus interpretari aliter volueris.

§. 3.

Quanta ea sit. Non vero est ut præcipitato judicio tibi persuadeas, differentiam hanc, qua in sola methodo consistit, esse exigu admodum momenti, adeoque merito contemnendam: id enim demum valeret, si methodum scholæ, quam appello (d), variares non absimilis ei qui eadem fercula alio ordine in tabula digereret. Aliter prorsus sese r habet, ubi scholæ ordinem in ordinem naturalem convertis: tum enim qu sunt eadem non amplius eadem m nent, nec eadem repeti possunt, n

Pl

(c) *not.* §. 945. *Log.*
(d) §. 829. *Log.*

plurimis novis interſperſis. Notiones diſtinctæ & determinatæ, quas ſolas agnoſcit noſtra philoſophia, cum notionibus confuſis ac vagis, quæ ubivis regnant, immo evolutæ cum inevolutis eædem non ſunt etſi ejusdem objecti: determinatæ enim notiones a vagis magis abeunt, quam corpus integrum a mutilo & evolutæ ab inevolutis magis disſident, quam fœtus perfectus ab embryone. Immo notiones determinatæ in ſyſtema veri nominis redactæ a vagis inter ſe non concatenatis, ſed communi diſcurſu expoſitis magis differunt, quam corpus humanum vivum a ſceleto. Quamobrem ſi noſtro more philoſophentur homines, a philoſophia expectare licet, quæ alias fruſtra ab eadem deſideraveris. Veritas, quæ dubitationibus ac diſceptationibus obnoxia, nunc plena luce perfuſa agnoſcitur & ab eo, quod veritatem mentitur, diſtinguitur. Agnita efficitur utilis & fœcunda. Una prodit dogmatum concordia, una conſequentia, contradictoriis in perpetuum exilium misſis. Quænam hinc redundent in genus humanum utilitates, & quam ve-

rum intelligatur illud *Ciceronis*, philosophia nihil melius a Deo immortali humano generi datum esse, ubi nostro more philosopheris, in præsenti nostrum non est exponere uberius. Sufficit unumquemque, qui nostræ philosophiæ dulcedinem expertus est, mutato veluti sapore notiones confusas & vagas sine ullo ordine digestas nauseare: id quod in accusationem converterunt alii, quasi nostra philosophia inaudito more cum universali aliorum contemtu propagetur, mirantibus aliis, quanam arte in devinciendis discipulorum animis uterer, quos mihi non vulgari modo addictos experiebantur. Quodsi ars osores habeat ignorantes, cum ignorantibus principia mihi disputandum non est. Proponantur enim, quæ doceri debent alios, ea methodo, quam philosophiæ unam convenire dudum evici (e), ipsique tyrones, modo cupidum discendi afferant animum, nemine monente in se ipsis experientur, duo cum dicunt idem, non esse idem, neque adeo opus erit verbis ub

(e) §. 115. & seqq. Discurs. prælim.

ubi rerum teſtimonia adſunt. Et quamvis noſtro more veritas nuda in conſpectum producatur; cum tamen nativam habeat pulchritudinem, qua intimius eam perſpicientibus ſeſe commendat, externo ornatu non indiget ut placeat, præſertim cum perſpicacioribus manifeſtum ſit, externum ornatum tanquam alienum haud parum obeſſe, ne ipſa agnoſcatur.

§. 4.

Quotuplici modo philoſophia Autoris in Facultates ſuperiores influat.

Philoſophia in Facultates ſuperiores influit, quatenus iis ſuppeditat principia ad dogmata explicanda & ſtabilienda. Enimvero philoſophia noſtra id ſingulare habet, quod etiam ſuppeditet ideam dogmata ſuperiorum Facultatum in ſyſtemata veri nominis non ſine ingente utilitate redigendi & conferat ſubſidia, ſive quibus tam arduum opus abſolvi nequit. Etenim qui in philoſophia noſtra diu multumque verſatur, ejus animo ſeſe ingenerat idea exemplaris tum ſyſtematis, quod nomen ſuum tueri poteſt, tum methodi ſcientificæ ad dogmata quælibet applicandæ, ut verum eorum ſyſtema condi poſſit. Et quoniam ha-

bitus applicandi regulas methodi ſcientificæ nonniſi multo exercitio acquiritur, philoſophiæ vero noſtræ tractatio continuam illarum regularum applicationem requirit, ut adeo in iſtiusmodi exercitio conſiſtat, quale habitus comparandus poſtulat, nobisque præterea in more poſitum eſt ſingularia methodi annotare, ubi exempla occurrunt; nullo modo dubitari poteſt, quin philoſophiam noſtram ſedula manu verſans tam præclaro habitu potiatur. Enimvero non unicum hoc eſt ſubſidium, quod philoſophia noſtra ad dogmata ſuperiorum Facultatum in ſyſtemata redigenda confert; verum alia adhuc ſuperſunt. Definitiones, quibus in Facultatibus ſuperioribus locus eſt, tum demum eam claritatem conſequuntur, quam methodus ſcientifica exigit, ubi in definitiones philoſophicas accuratas reſolvuntur: id quod ex legibus methodi manifeſtum ſuppono. Jam vero nos in philoſophia noſtra id molimur, ut definitiones exhibeamus, quæ continuo in alias reſolvuntur, donec non asſumantur, niſi quæ absque definitione asſumta nihil prorſus obſcuri-

scuritatis relinquunt: a prima enim philosophia, quam Ontologiam vulgo vocant, exorsi cetera inde omnia deducimus continua a se invicem dependentia. Præterea in stabiliendo terminorum significatu non solum usus loquendi rationem habemus; verum etiam id agimus, ut commode in definitionibus Facultatum superiorum supponi possit. Nostræ adeo definitiones lucem affundunt definitionibus superiorum Facultatum, ut & penitius perspiciantur, & multo fiant foecundiores. Probationes dogmatum in Facultatibus superioribus tum demum eam evidentiam nanciscuntur, quæ ad convincendum animum sufficiunt, ut immoto assensu veritatem amplectatur, ubi principia evidentia ex philosophia petuntur, sine quibus evolutio ratiociniorum ad evidentiam necessaria non subsistit. Enimvero deest principiis evidentia, qualem veri nominis convictio requirit, si alio more, quam nostro philosopheris. Quamobrem tum demum spes quædum superest fore, ut Facultates superiores a tanto, qui in iisdem regnat, dissensu liberentur,

quando cum disciplinis philosophicis inter se legitime concatenatis & ipsæ concatenabuntur: id quod aliter fieri non potest, quam ubi philosophia ad methodum scientificam exacta Facultates quoque superiores ejusdem methodi opem implorent.

§. 5.

An influxus iste noxius sit.

Absit autem ut verearis ne forsan hic philosophiæ in Facultates superiores influxus sit noxius. Si enim methodus scientifica ad Facultates superiores transfertur & notionibus philosophicis ejusdem auxilio evolutis lux iisdem affunditur, quam prorsus inexpectatam haud immerito dixeris, non nova conduntur dogmata, sed antiqua subsistit veritas; hæc vero tantummodo magis in apricum protrahitur, ut intimius perspici & ab errore citra ullam hæsitationem separari possit, & errori ex adverso omnis detrahitur, quam habet, species, ne forma mendaci blandiens amplius imponat. Liberantur systemata ab opinionibus sibi invicem adversis, cum contradictiones latentes fiant manifestæ, veritatibus quippe nonnisi cum veritatibus, erroribus autem

non-

nonnisi erroribus connectendis. Omnis nimirum ex Facultatibus superioribus, quemadmodum ex philosophia expellitur obscuritas, ut non occurrat, nisi quod explicari possit donec sufficienter intelligatur; tolluntur penitus omnes difficultates, quæ intellectum ab assensu avertunt, vel ad vacillandum inducunt; evanescit omnis dogmatum repugnantia: succedit plena claritas, quæ ad notiones distinctas & quantum necesse est in quolibet casu adæquatas efficiendas sufficit; omnimoda evidentia, qua ad assensum immotum præstandum opus est; una tandem concordia & consequentia, qua veritatum a se invicem dependentia conspicua evadit & rationis lumen mirifice augetur. Si quis fuerit, qui hinc periculum quoddam Facultatibus superioribus imminere opinatur, is ignoret necesse est constantes discentium aliorumque querelas, quod in Facultatibus etiam superioribus occurrant, quæ non sufficienter explicantur, ut intelligi possint; quod probationibus ea desit evidentia, quæ ad assensum compellit, ut appetitus in eundem influens firmi-

firmitatem admodum infirmam largiri debeat; quod denique concordia dogmatum adeo lateat, ut repugnantia habeantur pro concordibus.

§. 6.

An sit possibilis.

Enimvero non deerunt alii, qui influxus istius utilitatem facile prospicient atque suspicient; sed subdubitabunt, utrum fieri possit, nec ne, ut nostrum philosophandi morem imitentur Doctores Facultatum superiorum ac principiis nostris in rem suam utantur. Sed dubitatio ipsorum nullo nititur fundamento. Nimirum quæritur, quo ordine dogmata proponi debeant, ut certam eorum cognitionem acquiramus. Finis hic idem est, quem nobis in tradenda philosophia præfiximus. Idem finis eadem requirit media. Quamobrem cum ostenderimus (f), in philosophia certam rerum, de quibus ea agit, cognitionem acquiri minime posse, nisi scientifica tradatur methodo, quæ Mathematicis, præsertim Geometris veteribus arrisit; quin eadem methodo utendum quoque sit in Facul-

(f) in Disc. prælim. c. 4.

Facultatibus superioribus, ubi certam eorum cognitionem desideres, quæ ibi docentur, dubitari nequit. Nimirum si in Facultatibus quoque superioribus intelligi debent, quæ docentur, non utendum est terminis, nisi explicatis. Cumque termini, quibus utuntur, non esse debeant sine mente soni, necesse est ut explicari possint. Dari adeo possunt definitiones accuratæ, quibus significatus illorum determinatur. Et quia ea, quæ definitionem ingrediuntur, vel ex philosophia intelligi, vel per alias definitiones explicari possunt, quoniam alias termini, quibus utuntur, in Facultatibus superioribus non denotarent res, sed chimeras, quibus nulla notio respondet; ideo fieri etiam potest, ut definitiones eo disponantur ordine, ut termini definitiones sequentes ingredientes explicentur per antecedentes, cumque nos ea, quæ ad philosophiam spectant, definiverimus, per nostras definitiones lux affundatur definitionibus in superioribus Facultatibus, ne quicquam in iis intelligendis obscuritatis sit residuum. Similiter si in Facultatibus quoque superioribus certo assensu com-

complecti debeamus dogmata, quæ proponuntur, perinde ac in philosophia demonstrari debent, utque demonstrari posſint, perinde ac in philoſophia conditio accurate determinanda, ſub qua prædicatum ſubjecto convenit, ſeu ſub qua aliquid de re aliqua affirmatur, vel negatur. Quoniam vera non eſt propoſitio, niſi quatenus prædicatum per notionem ſubjecti, ſeu per ea, quæ de ſubjecto ſumuntur, determinabile (g), quin dogmata Facultatum ſuperiorum, ſi vera ſint, ad propoſitiones determinatas reduci poſſint, quales in philoſophia amamus, dubium nullum ſupereſt. Qui demonſtrationum indolem animo rite conceperunt, qualem exemplis luculentis alibi (h) illuſtravimus, abunde perſpiciunt propoſitionem non eſſe demonſtrabilem, niſi quatenus prædicatum per notionem ſubjecti determinatur, adeoque ipſamet determinata eſt. Quamobrem cum in Facultatibus ſuperioribus dogmata ad propoſitione

(g) §. 513. *Log.*
(h) §. 551. & ſeqq. *Log.*

tiones determinatas reduci possint; quod eadem demonstrabilia sint, extra omnem controversiæ aleam positum est. Ad demonstrationes requiruntur principia vel insita, vel aliunde petenda. Quamobrem si propositiones in Facultatibus superioribus, ad quas revocantur dogmata, sint demonstrabiles, eædem quoque ita collocari possunt, ut præcedentes inserviant demonstrandis sequentibus, cumque nos in philosophia propositiones certis demonstrationibus muniamus, inde peti possunt, quæ aliunde petenda sunt principia. Atque ita abunde patet, Facultatibus superioribus & convenire methodum, qua nos philosophiam tradere cœpimus, & principia ex philosophia nostra peti posse tum ad lucem affundendum dogmatis Facultatum superiorum, tum ad veritatem ipsorum stabiliendam. Philosophia igitur nostra eo, quem diximus modo, in Facultates superiores influere potest. Immo nulli dubitamus fore, ut etiam actu influat. Passim enim reperiuntur jam viri eruditi, qui non modo methodum, qua philosopha-

mur,

mur, in Facultatibus superioribus, quamvis nondum omnes eodem successu, imitari conantur, sed nostris quoque principiis in dilucidandis & evincendis dogmatis Facultatum superiorum utuntur. Exempla non addimus, cum nemo nisi sua culpa ignoret, quæ hodie in orbe erudito gerantur. Cumque non adeo facile sit methodi demonstrativæ leges præsertim in integris disciplinis observare, siquidem non in iis acquiescere velis, quæ externam saltem speciem mentiuntur, neque nos adhuc ea tradiderimus omnia, quæ usui esse poterant &, si Deo visum fuerit, in posterum adhuc trademus; non vana spe lactamur, fore ut in posterum philosophia nostra magis influat in Facultates superiores, quam quidem præsente rerum statu fieri potest. Immo prævident hoc alii, & utilitatem in genus humanum hinc redundaturam prospicientes in vota erumpunt, ut adsit illa dies, qua eruditi magis veritati detegendæ & demonstrandæ, quam vanæ in opinionibus dissentientium perstringendis & impugnandis libidini litabunt.

§. 7.

§. 7.

Equidem in his ipsis Horis subsecivis non aliud agimus, quam ut influxum philosophiæ nostræ in Facultates superiores exemplis illustremus, sive methodum spectes, qua philosophamur, sive ipsa dogmata, prouti a nobis enucleatius proponuntur, si vel maxime tradamus, quæ docent communiter omnes: non tamen e re esse videtur, si nonnulla de Facultatibus superioribus in specie dicamus. Nemo est qui nescit, Facultates superiores tres numerari, Theologicam, Juridicam & Medicam. Dicendum itaque est sigillatim de influxu Philosophiæ nostræ in Theologiam revelatam, in Jurisprudentiam & in Medicinam. Cum vero tantus hic sese offerat dicendorum campus, qui integro volumini conscribendo sufficiat; nobis in præsenti suffecerit tantummodo speciminis loco quædam prælibare, ut aliorum studia excitemus, quæ ad excolendas Facultates superiores conferre possunt, ipso opere influxum illum experturi, quem non sine invidia prædicare valemus. Theologia revelata

Influxus in Theologiam speciatim ostenditur.

varias habet partes, quæ ſunt veluti to
tidem ejus ſpecies. Habemus enin
Theologiam exegeticam, dogmaticam
polemicam, moralem, caſuiſticam: qui
bus addi ſolet methodus concionand
& addi adhuc poteſt Theologia expe
rimentalis, ignotum forſan multis nc
men. In ſingulas peculiari modo phi
loſophia noſtra influit, ſive methodur
ſpectes, ſive notiones ejusdem auxi
1. *in exegeticam.* lio evolutas. Dari demonſtrativam
Scripturam ſacram interpretandi me
thodum, & alibi oſtendimus, cur
uſum Logicæ in interpretanda ſcr
ptura ſacra exponeremus (i), &
haud difficulter intelligitur: ſingul
enim ſcripturæ ſacræ verbis ac phraſ
bus determinatæ reſpondere debent nc
tiones, ut ſenſum habeant certum a
definitum, cumque Deus intelligi a nc
bis voluerit necesſe eſt ſenſum iſtum
nobis erui posſe, & ut ſenſus genuin
a ſpurio diſtingui queat, necesſe por
eſt probari posſe ſenſum hunc esſe g
nuinum, alium ſpurium. Quodſi erg
alteri explicare velis vim & poteſtate
ve

(i) §. 968. & ſeqq. *Log.*

verborum, ad notiones distinctas & determinatas revocare debes res iisdem denotatas: qua in re nostra philosophia auxilio est, quemadmodum ante ostendi. Quodsi probare volueris sensum, quem verbis tribuis, esse menti scriptoris sacri conformem; genuinæ demonstrationis indolem perspectam habere debes, ut ex assumtis tanquam concessis, vel saltem concedendis, ubi præjudiciorum nebulæ discussæ sunt, legitime ac evidenter colligere possis, quod erat probandum. Nemo non interpretum scripturæ sacræ fatetur, sensui verborum ejusdem tribuendam esse omnem amplitudinem, quam habere possunt. Enimvero amplitudo non interpretis arbitratu, sed per principia definienda. Quodsi enim alter neget verbis competere eam, quam ipsis tribuis, amplitudinem; probandum id utique erit, nisi unicuique salva esse debet sua quidlibet fingendi licentia. Quomodo vero probaveris, nisi supponas principia ab altero concessa, vel saltem concedenda, si ad absurdum deduci nolueris? Quomodo evidenter probaveris, ut ad assensum

compellatur alter rationum ponderé appetitu minime obſtetricante, niſi formam demonſtrationis legitimæ animo comprehenſam habueris, ne in concatenandis ratiociniis ab eadem aberres. Quantum hic auxilii ferat philoſophia noſtra, non multis doceri debet. Sufficit provocare ad exemplum, quod ea fini jam alias dedimus, cum dictum Apoſtoli de homine nihil a ſe ipſo habente interpretaremur, uſum notionum directricium in interpretanda ſcriptura ſacra declaraturi (k). Nemo non interpretum fatetur in ſcriptura ſacra interpretanda ſpectandum eſſe verborum emphaſin. Eodem vero modo patet, quo neceſſitatem probandæ amplitudinis ſenſus evicimus, emphaſin non interpretis arbitratu definiendam, ſed ex principiis firmis deducendam eſſe. Quantum vero huc conferant notiones diſtinctæ ac determinatæ cum genuina methodo, exemplis denuo docuimus alias (l), ut probationi

qu

(k) in Hor. ſubſec. A. 1729. trim. æſtiv. n. III. conf. Trim. brum. A. 1730 n. IV. §. 2.

(l) loc. cit. §. 4. Trim. Vern. A. 1730

quæ sine prolixis ambagibus dari haud poterat, supersedere valeamus. Jubent interpretes interpretationem analogiæ fidei conformem esse debere. Non sufficit conformitatem niti opinione interpretis; sed ea utique probanda venit. Constituenda igitur est fidei analogia & tenendus est modus, quo probatur interpretationem eidem conformem esse. Sunt quædam scripturæ loca, quorum sensus adeo manifestus est, ut, nisi vim verbis inferre volueris eaque in alienum sensum detorseris, in dubium vocare minime possis, quin potius demonstrare valeas, modo methodi fueris artifex, non alium sensum esse posse, quam quem verba per se insinuant. Atque hæc sunt illa dicta, quæ phrasi Theologis recepta classica merito dixeris. Sunt vero deinde dicta alia, quæ in se spectata dubiæ sunt interpretationis, quod eorum sensus pendeat a classicis & iis convenienter explicari ipsa debeant. Atque ea est ratio, cur idem scripturæ sacræ locus a

 diver-

n. V. §. 7. Trim. æstiv. ejusd. A. n. V. §. 4.

diversis diversimode eadem specie explicetur. Ex dictis classicis determinandi sunt articuli, quos *fundamentalis* hoc sensu dixeris, quod sint fundamentum, cui ceteri superstruendi, quatenus his sumtis tanquam principiis cetera inde servatis methodi demonstrativæ legibus deduci possunt. Articuli isti fundamentales, si rigorose loqui volueris, analogiam fidei constituunt, quatenus fidei conforme censetur, quod ipsis convenit, vel cum aliis necessaria consequentia inde deductis consentit. Ad analogiam itaque fidei legitime constituendam & scripturam sacram juxta eam interpretandam conducit demonstrativa methodus, quam Logica nostra distincte explicat, & integra philosophia nostra animo lectoris insinuat; conducunt notiones directrices, quas philosophia prima una cum aliis disciplinis philosophicis suggerit; conducunt denique veritates philosophicæ ad determinatas propositiones revocatæ, quales philosophia nostra suppeditat. Exempla non addo: continentur jam aliqua huc spectantia in iis scripturæ locis, quæ in his Horis inter-

interpretatus sum. Plura occurrent in posterum, si Deo ita visum fuerit, quando plura scripturæ loca explicaturi sumus, ut usum philosophiæ in interpretanda scriptura sacra ipso opere commonstremus. Poteram præterea in præsente urgere, quod interpretatio scripturæ quoad articulos mixtos esse debeat rationi conformis, quoad mixtos eidem non repugnare: ubi philosophiæ, qualis a nobis traditur, luculentus ostendi poterat usus. Enimvero cum specimina jam ante in his Horis tradita, & in posterum tradenda idem palam loquantur; non opus est ut diutius huic tractationi immorer.

§. 8.

Veritates revelatæ puræ cum sint supra rationem, ex principiis rationis demonstrari nequeunt, consequenter nec cum disciplinis philosophicis eo modo connecti possunt, quo ipsæ inter se connectuntur, neque notiones in Theologia revelata ita resolvi possunt, ut penitus intelligantur, quemadmodum accidit in iis, quæ sunt rationis. Constat tamen easdem veritates puras inter se connecti posse, ut *2. dogmaticam.*

perfectum constituant systema, & in ii connectendis usui esse propositiones de terminatas & definitiones accurata philosophicas, quibus tanquam prin cipiis utimur in ratiociniis, quorum concatenatione opus est ad illas inter se connectendas; id quod jam alib monuimus (m). Ibidem quoque jam removimus dubium, quod incautis fa cile suboriri poterat, quasi ex principii rationis demonstrari velimus, quæ sunt supra rationem. Neque enim in omni bus ratiociniis occurrunt principia ra tionis & in nullo, utraque præmissa ra tionis est, sed alterutra semper a reve latione pendet, ita ut vel ex scriptura sacra immediate desumatur, vel ex il larum propositionum numero sit, quæ ex istiusmodi principio fuere deductæ Prætcrea definitiones terminorum, qui bus exprimuntur res pure revelatæ, in notiones simpliciores resolvi possunt quantum sufficit ut intelligantur, etsi eas comprehendi impossibile sit. Quod si quis in Mathesi versatus, ut intelli gat, quænam sit veri systematis forma & qua methodo ad eam sit opus, theo logi

(m) §. 980. *Log.*

logica dogmata, quibus animum imbuit, in ſyſtema iſtiusmodi redigere conatus fuerit; is ipſo opere experietur ſupponi principia philoſophica, quæ ſumenda ſunt tanquam vera, antequam ad ſcopum pervenire poſſis. Syſtema igitur theologiæ revelatæ, in quo veritates omnes inter ſe connexæ tanquam unum corpus exhibentur, referri debet ad ſyſtema aliquod philoſophicum, in quo veritates rationis eodem modo inter ſe connexæ comparent. Quamobrem cum nos philoſophiam in iſtiusmodi ſyſtema redigamus, ecquis eſt qui dubitet, eam ad ſyſtema veri nominis theologicum opem ſuam conferre poſſe, immo in poſterum collaturam eſſe. Hæc dudum perſpexi, cum ad philoſophiam emendandam nondum animum appuliſſem. Cum A. 1709. elementa Aërometriæ edidiſſem, in quibus ad experimenta Matheſin applicaveram ſpecimine aliquo facili oſtenſurus philoſophis, quomodo in Phyſicis ad certam rerum naturalium atque in arte fœcundam cognitionem perveniri poſſit, Theologus tunc temporis celeberrimus *Jo. Andreas Schmidius*, literis ad me da-

tis hortabatur, ut Theologiam revelatam eadem methodo in systema aliquod redigerem, quo definitiones aliæ in alias resolverentur & propositiones aliæ ex aliis deducerentur, ut veritatum revelatarum mutua a se invicem dependentia & suavissimus concentus pateret. Respondi tunc temporis, laborem istum non posse cum laude nec ea, quam spondet, utilitate absolvi, nisi ante philosophia ad eam formam componatur, ut veritatum naturalium mutua a se invicem dependentia in aprico ponatur. Cum enim Theologia revelata philosophiam præsupponat, quod nullo non tempore agnovere Theologi; systema theologicum, quale a Viro eximio desiderabatur, ad simile systema philosophicum referri debere. Quoniam Mathematum erat peritus & in philosophia, quam ante docuerat, versatus; veritatem responsi facile agnovit.

§. 9.

§. in Theologiam Moralem. Quemadmodum in Theologia dogmatica duo occurrunt veritatum genera, nimirum veritates puræ & mixtæ; ita similiter in Theologia morali duplicia

plicia sunt, quæ urgentur, officia: alia homini christiano propria sunt, alia omnibus omnino hominibus communia. Officia homini christiano propria sunt, quæ ex notione christianismi deducuntur; officia communia eadem sunt, quæ jure naturali præscribuntur. Hæc tamen officia in Theologia morali immutantur, ita ut materialiter differant a seipsis, quemadmodum jam alias ostendimus (n), quatenus scilicet motiva seu rationes, quibus flectitur ad ea voluntas, ab opere redemtionis, seu iis, quæ christianismo propria sunt, desumuntur. Unde apparet, Theologiam moralem præsupponere Jus naturæ atque philosophiam moralem cum civili, una cum Theologia dogmatica & exegetica. Ubi igitur eam ad formam demonstrativam redigere voluerimus; necesse est ut ante Jus naturæ, philosophiam moralem atque civilem ad eam formam reducamus, immo ut Theologiæ quoque exegeticæ & dogmaticæ eandem operam navemus. Philosophia igitur duplici modo influit in Theo-

(n) in Horis subsec. An. 1730. Trim. Vern. num. 1. §.2.

Theologiam moralem, nimirum immediate & mediate. Immediate influit, quatenus ſupponit ea, quæ in Jure naturali de officiis hominis demonſtrantur & in philoſophia morali de praxi virtutum atque vitiorum docentur, nec non in philoſophia civili de virtutibus & vitiis imperantium ac parentium inculcantur. Ac noſtra inprimis philoſophia influit ſingulari quodam modo in Theologiam moralem, dum materialem virtutum philoſophicarum & theologicarum differentiam clariſſime exponit, quæ hactenus generatim expenſa minime fuit, ut adeo Theologiæ morales hactenus conſcriptæ ab ea, quam habere debent, forma plurimum adhuc differant, nec eam Miniſtris Eccleſiæ afferant utilitatem, quam afferre debebant & poterant. Nulli igitur dubitamus fore, ut, philoſophia noſtra practica publici juris facta, theologia moralis aliam induat faciem, non ſine inſigni emolumento Eccleſiæ: id quod haud paucos jam agnoſcere mihi exploratum eſt. Et ut juvem illorum conatus, qui Theologiam moralem Miniſtris Eccleſiæ utilem reddere

dere conabuntur; hinc inde in notis, quando philoſophiam moralem dabimus, adjiciemus, quæ differentiam virtutum philoſophicarum & theologicarum in ſpecie concernunt,& ad Theologiam moralem ſpectant. Immo in his ipſis quoque Horis exemplo præire dabitur, ut ſalutem Eccleſiæ, quemadmodum generis humani, pro virili promoveamus. Præterea ad influxum immediatum quoque referri debet, quod philoſophia exhibet propoſitiones, quæ, cum in ea ex principiis rationis demonſtrentur, in Theologia morali ex principiis ſcripturæ ſacræ demonſtrandæ veniunt. Etenim veritates mixtas, ſive theoreticæ fuerint, ſive practicæ, ex principiis non minus ſcripturæ ſacræ, quam rationis demonſtrare debet Theologus: id quod multiplicis uſus eſt. Quamvis vero ab eo, qui arte in veniendi pollet, propoſitiones iſtæ in univerſum omnes ex principiis ſcripturæ ſacræ deduci poſſint; facilius tamen ex hiſce principiis contexere demonſtrationem, ubi propoſitio jam ante cognita fuerit, quam eam demum ex illis deducere. Accedit

quod

quod in philosophia nostra versatus & facilius demonstrationes reperire, & ipsas propositiones eruere possit. Mediate philosophia influit in Theologiam moralem, quatenus ea supponit Theologiam dogmaticam & exegeticam methodo demonstrativa pertractatam, ubi ipsamet ad formam demonstrativam componenda. Etenim vidimus paulo ante philosophiam nostram influere in Theologiam dogmaticam & exegeticam, ubi methodo demonstrativa pertractanda. Quamobrem cum Theologia moralis ad formam demonstrativam redigi non possit, nisi referatur ad Theologiam dogmaticam & exegeticam ejusdem formæ; per has quoque philosophia nostra in illas influit. Notandum vero inprimis est, ubi philosophia moralis ad formam demonstrativam fuerit reducta; hoc ipso in animo lectoris nasci ideam exemplarem Theologiæ moralis ejusdem formæ. Praxis enim Theologiæ moralis a philosophia morali non differt quoad formam, sed saltem quoad materiam. Quamobrem ut philosophia moralis degeneret in Theologiam moralem

ralem substitutione tantummodo materiæ opus est, forma retenta. Ita ubi in philosophia morali docetur, quomodo flectenda sit voluntas, ut actum aliquem appetamus, motivo philosophico substituendum est theologicum. Ponamus enim nos motivum desumsisse a convenientia cum natura humana, aut ad detestandum actum contrarium ab hujus repugnantia cum natura humana; Theologiam moralem conditurus motivum desumet a natura hominis christiani, aut ad detestandum actum contrarium a repugnantia cum natura hominis christiani. Nimirum quemadmodum actus quidam fiunt honesti per ipsam hominis naturam, ita ut per eam intelligatur, cur deceant hominem; ita iidem actus efficiuntur quoque boni per naturam hominis christiani, ita ut per eam intelligatur, cur deceant christianum. Et ex adverso sicuti actus quidam redduntur inhonesti per ipsam hominis naturam, ita ut per eam intelligatur, cur dedeceant hominem; ita iidem quoque evadunt mali per naturam hominis christiani, ut inde intelligatur, cur dedeceant christia-

stia-

ſtianum. Quemadmodum vero por-
ro ex convenientia actuum vel repu-
gnantia eorundem cum natura huma-
na fluit obligatio ad iſtos committen-
dos, hos vero omittendos, quæ in ho-
mine efficax quatenus rationis ductum
ſequitur, nec affectuum impetu in
transverſum abripitur; ita quoque ex
convenientia actuum vel repugnantia
eorundem cum natura hominis chri-
ſtiani naſcitur obligatio chriſtiana, quæ
in homine chriſtiano efficax, quatenus
Chriſto vivere decrevit. Unde in hoc
caſu ubivis facilis eſt motivorum ſub-
ſtitutio, modo naturam hominis chri-
ſtiani habueris perſpectam, ut de con-
venientia vel repugnantia actuum cum
eadem ſtatuere poſſis. Quæ hic di-
cuntur doctrinæ ac praxi Apoſtolo-
rum conformia ſunt, nec difficulter
conformitatem intelliget, qui ſcripta
novi fœderis cum attentione perleget
ac eo acumine fuerit inſtructus, ut ve-
ritatem ab alio non monitus videat.
Quorundam enim attentionem juvare
debemus, ne eidem ſeſe ſubducant, quæ
obſervare debent. Quæ de motivis di-
ximus, quibus flectitur voluntas; de
alii-

aliis quoque praxeos capitibus tenenda sunt. Dabimus aliquando fidem oculatam. Quodsi interea fidem dictis habere volueris, ex iis, quæ de motivis dicta sunt, judicans de ceteris; haud invitus concedes, ubi philosophia nostra moralis publici juris facta fuerit, ceteris, quæ præsupponenda esse modo monuimus, suppositis haud difficilem fore ejus in Theologiam moralem conversionem. Specialia hic quemadmodum in antecedentibus non addimus, utut non deessent singularia prorsus, quæ commemorari mererentur, alia occasione rectius proferenda, ubi plenius intelligi poterunt.

§. 10.

In Theologia polemica tractantur ea, quæ inter Theologos sunt controversa, & errores a veritate separantur, veritas etiam ab objectionibus liberatur. Modum errores refutandi & veritatem defendendi docuimus in Logica (o). Regulæ igitur, quæ ibidem traduntur, maxime usui sunt in Theologia *4. in polemicam.*

(o) cap. 2 & 3. part. 2. sect. 4. §. 1017. & seqq.

logia polemica, &, si quis eas animo rite comprehenderit ac sufficiente acumine instructus fuerit, quam multis modis in eas impingatur, abunde perspiciet. Theologia sane polemica, si qua alia disciplina, plurimis defectibus laborat, quos hic recenseri opus non est, abunde perspiciendos ab iis, qui, cum in philosophia nostra fuerint versati, verioris methodi ideam lucidam animo tenuerint. Defectibus istis medelam afferri debere haud negabit, cui cognitum atque perspectum, quantum noceat in theologicis dissensus, & qui animo perpendit, quantum is suadere soleat malorum. Distinguimus in Logica refutationem ab impugnatione (p), quæ vulgo perperam inter se confunduntur. Refutatio est demonstratio falsitatis propositionis, quam pro vera habet alter. Demonstratio vero vel directa est, vel indirecta, quarum illa ex principiis concessis colligitur contrarium ejus, quod alter tuetur; hac vero ex propositione, quæ ad refutandum proponitur, assumta tan-

(p) §. 1017. 1018.

tanquam vera infertur contrarium ejus, quod alter tanquam verum admittit, seu propositio, quam falsam esse alter agnoscit. Demonstrandi impotentia methodum refutandi indirectam in spuriam convertit, qua utuntur consequentiarii tantorum malorum autores. Veri adeo nominis refutatio supponit habitum demonstrandi & principia evidentia, hoc est, propositiones, quæ & ipsæ demonstratæ sunt. Habitus demonstrandi supponit continua exercitia, sine quibus non acquiritur, & inprimis in eo veritatum genere, in quo eodem uti decreveris. Principia evidentia in refutando non erunt, nisi desumantur ex systemate veri nominis. Quamobrem Theologia polemica eum perfectionis apicem, ad quem evehi potest, non attinget, nisi ante Theologia dogmatica & moralis, consequenter & exegetica, adeoque & disciplinæ philosophicæ formam demonstrativam induerint. Quoniam itaque nos omnem movemus lapidem, ut philosophiæ eam formam conciliemus, & ejus ope ad demonstrativam scripturæ sacræ interpretationem & systemata

genuina Theologiæ dogmaticæ ac moralis perveniri dabitur; influxus philosophiæ nostræ in Theologiam polemicam tam immediatus, quam mediatus abunde patet. Ad influxum immediatum referri inprimis debet, quod ad refutandos errores & refellendas objectiones non modo Antiscripturariorum, verum etiam aliorum, qui scripturæ sacræ autoritatem in dubium minime vocant, principia suppeditet philosophia, cum notiones deceptrices ex philosophia in Theologiam invectæ multos pepererint errores & perversis interpretationibus scripturæ sacræ locum dederint, immo ignorantia philosophiæ gemina mala produxerit. Ne vero principia philosophica, quorum usus in theologia evitari nequit, erroribus ansam præbeant, & controversias intricatas reddant; notionibus distinctis & determinatis opus est, ad quas nos doctrinas philosophicas revocare studemus. In Theologia polemica danda inprimis opera est, ne adversariis errores imputemus, a quibus sunt alieni, vel opiniones, quas fovent, saltem ex parte immutemus; ne in logoma-

machias incidamus, ex diversitate terminorum vel formularum loquendi inferentes diversitatem sententiarum; ne denique præter necessitatem in erroribus refutandis inanem operam sumamus, quæ vulgo iis impenditur, qui sua sponte ruunt, ubi errores fundamentales fuerint eversi. Errores inter se non minus connectuntur, quam veritates, danturque eorum systemata, quorum fundamento subverso corruunt omnes. In Theologia igitur polemica systemata ista errorum sunt explicanda & deinde fundamentum, quo nituntur, evertendum. Non vero est quod verearis frustraneam vel prorsus damnosam operam systematis istiusmodi impendi. Quodsi enim ex uno errore, quem evidenter refutare potes, ceteros demonstrativa ratione deduxeris; hoc ipso ceteri intelliguntur falsi, quod demonstrativa ratione inde deducantur, consequenter errorum ex erroribus fundamentalibus tanquam principiis demonstratio est maxime evidens eorundem refutatio. Ubi systema theologiæ dogmaticæ, quod nomen tam augustum tuetur, præ-

supponitur, errores fundamentales tanquam veritati demonstratæ contrarios per modum corollarii subsumere licet. Unde labor in Theologia polemica plurimum imminuitur, si systema dogmaticæ juxta methodum demonstrativam conditur. Ut vero logomachiæ vitentur, & ne adversariis tribuas errores, a quibus sunt alieni; notionibus distinctis & determinatis opus est, & observandæ sunt regulæ, quas ad interpretationes demonstrativas in Logica commendamus. Nihil profecto communius est, quam ut in tractandis controversiis logomachiis litetur & adversariis obtrudantur opiniones vel invitis, ut ideo disceptationes omnes sint infructuosæ. Nec erit horum malorum finis, nisi ad rectam philosophandi viam revocentur eruditi & eandem quoque in Facultatibus superioribus ingrediantur.

§. 11.

5. in Theologiam casuisticam. In Theologia casuistica casus intricati circa actiones hominis, præsertim christiani, sive in genere, sive quoad certum statum spectati, expenduntur.

Vo-

Vocantur vulgo casus conscientiæ. Nemo non videt accurata opus hic inprimis esse discussione, ne solutio a veritate aberret. Discussiones istiusmodi & principia evidentia, & habitum demonstrandi supponunt. Principia petuntur ex philosophia, ex scriptura sacra, ex Theologia dogmatica & morali, subinde & polemica. Deest non modo philosophiæ, verum etiam ceteris disciplinis philosophicis ea evidentia, quæ firmitate assensus conscientiam constanter ac perpetuo tranquillat, nisi ad eam formam reducantur, ad quam nos philosophiam reducere conamur, viam monstrantes, qua ad eundem scopum in Theologia contendere liceat. Notandum vero est, nos hoc loco non agere nisi de eo, quod humanis viribus effici potest, quatenus certa rerum haberi potest cognitio. Seponimus quæ in praxi virtuti Spiritus S. tribuenda veniunt, quippe quæ ab influxu in philosophiam expectari nequeunt. Sane si omnes Theologiæ partes fuerint in systemata redactæ, quæ nomen suum coram rigidissimo tribunali rationis tueri possunt & ad systema philoso-

phiæ referantur, in quo ne minimum quidem occurrit quod jure reprehendere possis; ex Theologia tantum perspicies quid scripturæ sacræ sit consentaneum & ejus supposita autoritate divina tanquam verum admitti debeat. Rationis itaque lumine solo usus non agnoscis nisi hypothetice vera, quæ in istis systematis traduntur; sed ut firmo assensu eadem amplectaris tanquam infallibiliter vera, operatione Spiritus Sancti opus est. De hac quæ dicenda sunt, ad præsens institutum minime pertinent: sufficit itaque annotasse, quod quæ de disciplinis theologicis ad formam scientificam reducendis inculcantur non contrarientur iis, quæ de fide divina docent & præcipiunt Theologi. Theologia casuistica in scholis Protestantium hodie evanuisse videtur: quod tamen secus antea videbatur Theologis, qui in Academiis futuros Ecclesiæ ministros etiam ad casus conscientiæ præparabant. Exemplo nobis nostro adhuc ævo est Theologus eximius *Fridemannus Bechmannus*, cujus Theologia conscientiaria (quæ cum casuistica eadem) seu Tractatus de casibus

ſibus conſcientiæ anno 1700. prodiit. Agnoſcit idem, quam neceſſaria ſit ad hanc Theologiæ partem ſcientia ſolida (r), ut calculo ſuo approbaſſe dicendus veniat, quæ de influxu philoſophiæ ad formam demonſtrativam compoſitæ & de ceteris philoſophiæ partibus ad eandem formam reducendis diſſeruimus. Ecce tibi verba viri pie defuncti! Ergone, inquit, ad ſo- „ lidam ſcientiam adſpirare in vitio „ poſitum eſt? Abſit hoc! Tantum e- „ nim abeſt, ut ad veram ſcientiam con- „ tendere reprehenſionem mereatur, „ ut potius non raro ſine ea ſive pro- „ priæ, ſive aliorum conſcientiæ ſuc- „ currere, ſatis vix liceat: id quod in- „ primis verum eſſe arbitror de illis, „ qui S. S. Theologiæ ſuam addixerunt „ operam, ut vel ad officium ſacrum „ contendant, vel recens ad illud ad- „ moti ſint. His enim ſicut varii ob- „ veniunt caſus, qui ſæpe conſcien- „ tiam turbant & variis dubitationibus „ implicant; ita quomodo ſe ſine ſci- „ entia eorum, quæ ad ſolvendos ejus- „

 „ modi

(r) in præfatione p. 2.

„ modi nodos necessaria sunt, expe-
„ dire queant, perspicere haud possum.
Ubi Jus naturæ cum ceteris philosophiæ practicæ partibus ad finem fuerit perductum, quomodo principia inde petenda in solvendis casibus conscientiæ usui esse possint, exemplo uno vel altero in his Horis doceri poterit, quamvis non diffiteamur, plures occurrere casus, in quibus principia philosophica & theologica socias præstant operas, ita tamen ut per theologica una mediate influant philosophica. Quodsi universa philosophia more nostro pertractata jam prostaret, si singulæ partes Theologiæ influxum illius expertæ jam in systemata veri nominis fuissent redactæ, & in horum numero Theologia conscientiaria sive casuistica deprehenderetur, ex citationibus eodem modo pateret influxus materialis philosophiæ in decisiones casuum conscientiæ, quo successivam assensus generationem palam fieri docuimus (s): formalis enim influxus per se patet; utut ex citationibus eodem

(s) §. 992. *Log.*

modo firmetur, quo materialis agnoscitur. Ex anterioribus intelligi arbitror, philosophiam *materialiter influere* in Facultates superiores, quatenus principia iisdem suppeditat, *formaliter* vero, quatenus ad formam demonstrativam reducta ideam exemplarem sui cultoribus ingenerat, juxta quam Facultatibus superioribus eadem forma inducitur.

§. 12.

Theologiæ experimentalis nomen forsan inauditum, etsi res ipsa non sit ignota iis, qui christianismum non ore, sed facto profitentur. Idea ejus continetur in verbis Christi (t), quando ad Judæos; Si quis, inquit, voluerit voluntatem ejus facere (qui misit me), „ cognoscet de doctrina, utrum ex Deo „ sit, an ego a me ipso loquar. „ Exemplum habemus in Petro, qui cum jussu Dei ad Cornelium centurionem, hominem gentilem, accitus serium ipsius & familiæ integræ propositum christianismum amplectendi experiretur: In veritate, inquit, comperi, „ „ quia

6. in experimentalem.

(t) Joh. VII. 17.

„ quia non eſt perſonarum acceptor
„ Deus, ſed in omni gente, qui timet
„ eum & operatur juſtitiam, acceptus
„ eſt illi (u). „ Theologia experimentalis itaque juxta mentem Chriſti ea eſt, qua docetur, quomodo homo chriſtianus veritatem doctrinæ chriſtianæ experiri debeat, ipſo facto & in ſeipſo. Et huic notioni conſentit exemplum Petri. Etenim Chriſtus præceperat Apoſtolis, ut irent in mundum univerſum prædicaturi Evangelium omni creaturæ (x). Sublato itaque diſcrimine inter gentes & Judæos, quod in Veteri Teſtamento attendi voluit Deus, ad externam communionem Eccleſiæ vocandi erant promiſcue omnes. Doctrinam hanc de promiſcua omnium vocatione ad communionem externam Eccleſiæ per omnes univerſi mundi gentes diſpergendæ ipſo facto veram experiebatur Petrus, dum ſerium chriſtianiſmum amplectendi propoſitum in Cornelio & tota domo ejus obſervabat, immo Spiritum S. ſuper omnibus

(u) Act. X. 34.
(x) Marc. XVI. 15.

mnibus effundi videbat, atque seriam Dei voluntatem de Ecclesia ex omnibus gentibus colligenda agnoscebat ad Cornelium ejus convertendi causa ire jussus. Quemadmodum itaque in philosophia experimentali hodie nemini ignota, qui vel primis labris philosophiam naturalem seu physicam degustavit, docemus, quomodo theoriæ experimento subjiciantur, ut certior constet veritas; ita quoque doceri potest, quomodo veritatem doctrinarum christianarum in nobis ipsis & aliis, maxime tamen in nobismetipsis experiri valeamus. Sunt regulæ generales, quibus experientia illa spiritualis continetur, quemadmodum ars experimentandi suas habet regulas. In Theologia itaque experimentali & generales istæ regulæ explicari, & ad modum doctrinas quaslibet christianas experimento subjiciendi applicari debent. Philosophia experimentalis ideam quandam exemplarem præbet, quomodo veritates sint experimento subjiciendæ, sit ita quod Physicis ea ab Astronomia venerit. Quamobrem Philosophia experimentalis influit in Theologi-

logiam experimentalem; quatenus ideam hujus exemplarem animo ingerit, juxta quam eam in formam artis redigere licet; simulque vires idem præstandi largitur Theologo distinctam & vere systematicam doctrinarum christianarum cognitionem possidenti. In Teleologia, quæ de finibus rerum agit, plurima Theologiæ naturalis experimentalis specimina occurrent, quatenus ibidem ostendetur, quomodo dogmata Theologiæ naturalis per contemplationem naturæ confirmentur: hæc enim confirmatio ab experimento non differt. Quamobrem hæc philosophiæ pars magis adhuc influet in Theologiam experimentalem, quam philosophia experimentalis. Et cum in Theologia naturali creaturarum dependentiam ab attributis divinis una cum providentia Numinis explicaturi simus; principia quoque suppeditabimus, quibus egregius erit in Theologia experimentali usus. Quemadmodum vero notiones philosophiæ primæ directrices sunt in omni scientiarum genere, sive theoriam, sive praxin spectes; ita similiter eædem suo munere fun-

funguntur in theologia experimentali. Veritates, quæ experimento subjiciendæ, continentur in Theologia dogmatica seu positiva, itemque Theologia morali atque casuistica. Quamobrem Theologia experimentalis præsupponit dogmaticam & moralem cum casuistica. Et quatenus philosophia in has Theologiæ partes influit, influxus in Theologiam experimentalem mediatus est. De Theologia morali, quatenus experimento subjicienda veniunt, quæ in ea docentur, in specie notandum, quod hic inprimis usui sint, quæ de signis virtutum & vitiorum adduntur, cum ex iis quod virtutis revera est discernatur ab eo, quod ejusdem saltem speciem habet. Nec minus usui sunt, quæ de motivis traduntur. Etenim si actio ex virtute proficiscitur, quod per signa patet, ex motivis intelligitur, num dogmatis, unde motiva desumuntur, assensum immotum præbeas, cum extra controversiam sit, dogmata non influere in appetitum, nisi quatenus habentur pro veris. Immotum vero assensum a parum firmo distingues, ubi voluntatem constantem deprehenderis

ris, impedimentis oblatis, ita ut rationibus extrinsecis non cedat, ubi per intrinsecas fuerit determinata. Quemadmodum vero universa praxis philosophiæ moralis usui est, ubi virtutes experimento subjicere volueris, quatenus ibidem explicantur: ita simul lucem affundunt experimentis, quibus subjiciendæ sunt virtutes christianæ. Media, quæ in philosophia & Theologia morali commendantur, experimento confirmantur, dum successum ipsimet in nobis & aliis experimur. Optandum omnino foret, ut hæc Theologiæ pars, deserta propemodum & inculta, magis excoleretur; cum tunc demum omnis, quam profitemur, religio tota quanta practica evaderet, nec tam disceptando veritatem quæreremus, sed eam ex semetipso unusquisque agnoscere conaretur. Speramus autem fore, ut magis excolatur, & a disceptationibus inutilibus ad praxin avocentur qui Christi nomen profitentur, ubi philosophiæ nostræ, de quo diximus hactenus, influxum experiemur, Theologiæ partibus singulis ad formam scientificam reductis.

§. 13.

§. 13.

Nostris moribus conciones seu sermones sacri absolvuntur 1. introitu, 2. exordio, 3. propositione & 4. tractatione, quæ explicationem & applicationem continet. Introitus & exordium sunt partes minus principales, quæ & minus necessariæ dicuntur; propositio autem & tractatio partes principales, quæ & necessariæ appellantur. Philosophandi methodus, quam sequimur, id urget, ut de rebus non judicemus nisi ex notionibus distinctis ac determinatis. Eidem igitur adsuetus ubi ad methodum concionandi, quæ & Theologia homiletica, Oratoria sacra, Rhetorica ecclesiastica dici suevit, accedit, de singulis concionis partibus non judicat nisi ex notionibus distinctis & determinatis. Non levis momenti videri debet, quod apprime necessarium, ubi finem, qui intenditur, consequi studueris, præsertim cum experientia quotidiana loquatur, quantum in notiones istas injurii sint qui inter concionatores vel eminere judicantur. Dictis faciamus fidem. Introitus, qui & exordium prius, a nonnul-

lis parum apte exordium generale appellatur, non alio fine primum inter partes concionis locum tuetur, quam ut ad devotionem excitetur auditorium, cum non sine precibus ad tractationem verbi divini accedere debeamus, quippe quæ sine Spiritus S. auxilio fructuosa esse nequit, & verbum Dei devota mente sit excipiendum, quemadmodum exordium perinde ac in orationibus profanis præmittitur, ut excitetur attentio. Ex hoc utroque fine deducuntur regulæ, quas in introitu & exordio observare tenetur Orator sacer. Quantum vero ab eodem aberrent concionatores, haud difficulter observare licet, ubi quæ proferunt ad eundem finem referre libuerit. Sane qui in introitu & exordio dicta Scripturæ prolixe explicant & applicant, prouti in ipsa concione fieri debet, ac patientiam auditorum sæpius fatigant, antequam exordiantur ipsam tractationem; fine hoc non alia de causa excidunt, quam quod vel eum ignorent, vel quomodo ad eum perveniatur non intelligant. In explicatione textus genuinus sensus eruendus, ut nascantur

in

in animis auditorum ideæ ; quæ verbis textus respondent. Quomodo explicationes sæpius deformentur a concionatoribus, ecquis est qui ignorat? Miscentur enim plurima, quæ ad scopum non faciunt, non alia de causa, quam ut tempus dicendo consumatur, quod sermoni sacro destinatur. In applicatione ad usum auditorii tam theoreticum, quam practicum transferri debet textus bene intellectus, quatenus inde deducuntur tam credenda, quam agenda. Quantus vero hac in parte defectus vulgo observetur, nemo non novit. De omnibus rectius statuerent concionatores, si ex notionibus distinctis, fixis ac determinatis de singulis judicare didicissent eaque sibi comparassent dona, quæ ad fines, quos prospiciunt, consequendos requiruntur. Quodsi ergo singularum partium, quibus concio constat, notiones rite determinaveris & ex iis regulas, quæ concionatoribus commendantur, demonstraveris; Theologia homiletica fructuosa evadet ; dum eam induit formam, quam eidem in philosophia nostra versatus induere valet. Philosophia no-

stra, quicquid rationis lumine cognoscimus, ad notiones distinctas & determinatas reducit & prædicatum ex notione subjecti evidenter deducit, & ejus beneficio atque auxilio idem in iis moliri datur, quæ revelationis lumine assequimur. Concionatoris est instruere auditorium, ut intelligant, quid credendum sit, quid agendum, & ut avidis auribus menteque attenta hauriant, quæ proponuntur. Quantum huc conducant notiones distinctæ & determinatæ atque evidens earum evolutio, ipso facto experientur concionatores, ubi in philosophia nostra cum laude versati Theologiam universam eadem methodo perceperint. Non desunt exempla, ad quæ provocare possem: sed ab iis commemorandis abstinere placet. Inprimis autem Theologia naturalis, Jus naturæ, philosophia moralis & civilis, ubi ad distinctas & determinatas notiones revocantur, concionatoribus utilitatem maximam eamque prorsus indispensabilem præstant, ac inprimis impediunt, ne pietas vertatur in zelum veritati inimicum, qui etsi a plebe imperita subinde lau-

detur,

detur, concionatoribus tamen penes intelligentes omnem detrahit fidem eorumque labefactat utilitatem. Nostrum jam non est nævos concionatorum depingere: id tamen pro certo asseveramus, ubi concionatores nostro more philosophabuntur & Theologiam eadem methodo percipient, qua nos philosophiam tradimus, non facile fore aliquem, qui non sua veluti sponte evanescet.

§. 14.

Indicavimus influxum, quem philosophia nostra in Theologiam habere potest. Sed inde jam satis intelligitur, quantæ sit utilitatis. Quando enim philosophia nostra in Theologiam universam influet, nihil in ea amplius occurret obscuri, quod non penitus intelligatur, interpretationes scripturæ evadent certæ ac determinatæ & ab opinionibus interpretum liberabuntur, dogmata credendorum & agendorum erunt evidentia, eorumque pulcherrimus apparebit concentus, errorum contradictio fiet manifesta, in articulis mixtis patebit rationis ac fidei consen- *Utilitas influxus philosophiæ Autoris in Theologiam.*

ſus,in puris ipſo rationis lumine agnoſcetur convenientia cum dogmatis aliis ſive naturalibus, ſive revelatis, dogmata theoretica influent in voluntatem, eritque una credendorum ac agendorum concordia. Singula evidenter demonſtrari poterant, ſed ſuppoſitis præſupponendis, nec ſine prolixitate. Eritque dies, qua eadem absque demonſtratione patebunt. Neque enim dubitamus fore, ut noſtro molimine excitentur alii & Theologiæ eandem operam navent, quam nos philoſophiæ navare cœpimus. Tum ipſo opere experientur dictorum veritatem, qui eam ægre nunc admitterent vi demonſtrationum competendi, cum non ſint ii, qui eidem cedere valent. Neque vero ideo inutilis cenſeri debet labor, qui Theologiæ ad formam demonſtrativam reducendæ impenditur, propterea quod fides non ſit opus hominis, ſed Spiritus S. atque adeo asſenſus non nitatur evidentia rationis, ſed virtute Spiritus S. in anima producatur. Etenim nemo non concedit, ad ſenſum Scripturæ ſacræ inveſtigandum conducere media hermeneutica, quæ ideo docentur & commen-

dan-

dantur, ideas vero verbis ſcripturæ jungendas non enthuſiaſtico modo infundi animæ, dum illuminatur. Rata igitur manent, quæ de Theologia exegetica diximus, & cum nonniſi notiones diſtinctæ cum aliis communicari posſint, qui veritates theologicas docere alios debent, claris & diſtinctis notionibus comprehendere eas tenentur. Nemo vero methodi gnarus eſt qui neſciat, tum demum notiones fieri vere claras & diſtinctas, ſi ita proponantur in ſyſtemate, ut ſequentes in antecedentes reſolvantur. Præterea methodo ſcientifica innoteſcit dogmatum theologicorum a ſe invicem dependentia, quæ abſque hoc ſubſidio plene intelligi haud quaquam poteſt. Ecquis vero negaverit utile esſe, quod nexum veritatum divinitus revelatarum perſpiciamus, cum inde ſapientia divina ex œconomia gratiæ eluceat, & tota quanta opus immenſæ ſapientiæ intelligatur? Quamvis itaque veritatibus pure revelatis asſentiri nemo posſit, naturæ viribus ſolis; id tamen non obſtat, quo minus eædem ex ſe invicem utiliter demonſtrentur, ut omnium appareat ſua-

vissimus concentus, qualis in natural
bus deprehenditur, manifesto indici
eas originem suam referre ad autorer
Naturæ. Immo haud rectius doce
possunt qui sunt a religione revela
alieni, non naturæ viribus acquiri f
dem, sed eam dono Spiritus S. acc
ptam ferendam esse. Ubi enim ad fo
mam scientificam reducitur Theolo
gia, quædam assumenda esse patet au
toritate solius scripturæ, quæ tanquan
vera non admittet per principia ratic
nis assensum extorturus.

§. 15.

Necessitas influxus ejusdem.

Nostro autem ævo necessariur
prorsus videtur, ut Theologia quoqu
ad methodum scientificam reducatu
& ad systemata philosophica eader
methodo conscripta referatur. E
enim ex quo *Cartesius* distincte philoso
phari cœpit & studium mathematicur
magis excolitur, quam ante moris erat
displicent quæ non satis intelliguntu
quia non satis explicantur, nec assen
sum sufficienter movent, quia non su
ficienter probantur. Inde vero est
quod plurimi fiant ad profanitater
pro

proclives, vel religionem naturalem solam amplectantur a revelata alieni. Huic igitur malo medelam afferre haud quaquam datur, nisi Theologia quoque revelata methodo scientifica tractetur. Mutato igitur genio seculi modus quoque proponendi veritatem divinam immutari debet. Etsi enim eadem sit semperque maneat veritas, nec nova condantur dogmata, sed antiqua retinentur ac propagantur; eadem tamen pro diversitate temporum diversimode proponenda esse nemo diffitebitur, qui perpendit ipsummet Deum in revelandis veritatibus sese accommodasse genio illarum personarum, quibus facta est revelatio: quemadmodum unanimi ore confitentur ac docent Theologi omnes. Ergo non invito Numine in proponendis dogmatis divinis nos quoque accommodamus capacitati docendorum. Immo expresse hoc facere jubemur (y), quatenus exemplum Apostoli curate discernentis, utrum lacte, an solido cibo quis indigeat, praeceptum continet. Quamobrem

(y) Hebr. V. 12. & seqq.

ficulter quoque ad causarum patron
applicantur, qui cum vulgo male au
diant, quod plurimi sint injustitiæ a
mantes, & juris prosecutionem diffic
lem reddant ac sumtuosam, a justiti
minore intervallo recedere poterun
theoria ac praxi juris ad formam de
monstrativam reducta. Paucissimi ho
minum adeo mali sunt, ut tales vide
velint. Evidentia vero pellit ignoran
tiam, ne quis seipsum decipiat visus i
qui non est, atque fucatam specien
qua aliis imponit, ut ab ipsis habeatu
qui non est. Insigniter autem volunta
tem Judicis atque patroni causarum a
justitiam inclinat veritas, quæ juri inest
evidenter agnita: cum ex adverso juri
cognitio non influat in voluntatem, ub
tibi persuaseris jura cœco potentu
arbitrio definiri. Unde non miramu
esse haud raro Jurisperitos celebres
qui cum quotidie jura doceant alios d
decori tamen sibi minime ducant, si
in omnibus cum aliis negotiis veh
menter injustos præbeant. Inter util
tates Jurisprudentiæ demonstrativ
porro retulimus controversiarum i
foro nullis ambagibus obnoxiam tr
ctatio

ctationem & evidentem definitionem. Quoniam tot ac tantæ sunt hominum querelæ de litibus ultra hominum ætatem protractis, & de dissensu jus dicentium in caussis tam criminalibus, quam civilibus; haud exigua profecto videri debet utilitas, quam præstat Jurisprudentia demonstrativa, ubi justis illis querelis finem imponit; id quod frustra hactenus tentatum ab aliis, qui, cum medelam malo afferre vellent, caussam magis vulnerarunt.

§. 18.

Restat ut dicamus de influxu philosophiæ nostræ in Medicinam. Plures sunt Medicinæ partes, quas non eodem prorsus modo dividunt omnes. *Oliverus Jacobæus*, Medicus non incelebris, (p) totam artem medicam partibus duabus commodissime absolvi posse existimat, quarum prima de tuenda sanitate agens *Hygiene*, altera de collapsa restituenda tractans *Therapeutice* appellatur. Hygienen subdistinguit in *Phy-*

Influxus in Medicinam speciatim ostenditur.

(p) in Compendio Instit. Med. proleg. §. 3. & 4.

thesin contendamus, atque adeo universam tam philosophiam, quam Theologiam ad scientificam formam reducamus. Rationes, quas adducit, nostro adhuc tempore persistunt, immo novis accessionibus auctæ sunt, quas omnibus satis perspectas, modo quis eas videre velit, speciatim recensere nolumus, ne aliis molesti videamur. Qui præsentem rerum statum non minus civilem, quam ecclesiasticum ad animum revocant, & inter doctrinam solidam ac superficiariam aut minus solidam distinguere norunt; quam utilis & necessaria sit ea opera, quam philosophiæ navamus; & quam utilis ac necessarius sit ejus in Theologiam ceterasque Facultates superiores influxus abunde perspicient.

§. 16.

Influxus in Iurisprudentiam speciatim ostenditur.

Vidimus influxum philosophiæ nostræ in Theologiam: dicendum itaque porro de influxu in Jurisprudentiam, non naturalem (ea enim philosophiæ pars est); sed civilem. Duplici autem modo in hanc etiam influit philosophia nostra, tum quatenus ideam exempla-

tenus causas morborum explicat, ad Physicam referri debeat, cum Physici sit explicare quoque rationem status tam naturalis, quam præternaturalis corporis humani; nobis enim perinde est, sive Medicinæ dicantur partes, sive Physicæ capita, modo solidam contineant doctrinam. Imperfectionem Medicinæ nemo non hodie agnoscit & quantum ægrorum salus sæpius periclitetur, nemo est qui ignorat. Quamobrem si Medicinam ad certitudinem evehere valeamus, in id omnibus annitendum erit viribus.

§. 19.

Physiologiam partem Physicæ agnoscimus, atque adeo ipsimet eandem pertractaturi sumus, si quidem Deus vitam ac corporis animique vires tamdiu benignissime conservaverit, ut eo usque laborem nostrum continuare nobis detur. Quamobrem non opus est, ut de influxu philosophiæ nostræ in Physiologiam dicatur. Quodsi tamen eam a philosophia naturali separare & ad Medicinam trahere velis; per nos quidem id facere licebit. Non *Influxus philosophiæ autoris in Physiologiam.*

tamen

definitionibus, ut omnis dispellatur obſcuritas; & principia demonſtrandi, quibus demonſtrationibus conciliatur evidentia, ut omnis abigatur dubitatio, quæ asſenſum circa veritatem legi inexiſtentem morari poterat. Ineſſe legibus Romanis veritatem deprehendet, qui eas ad formam ſcientificam reducere conabitur. Profecto ſi veritate carerent, nec demonſtrationes admitterent, cum nil ſit demonſtrabile niſi quatenus verum. Quemadmodum vero Logica regulas methodi; ita Methaphyſica & univerſa philoſophia practica principia conferunt. Ad philoſophiam practicam Jus etiam naturæ pertinet. Nos notionem Juris naturalis ampliavimus, ut nulla omnino ſit actio libera, cujus moralitas ſub datis circumſtantiis ex ipſius principiis determinari non poſſit. Limites coarctavit inſcitia & philoſophiæ præſertim primæ ac methodi ignorantia. Unde ipſa hæc finium dilatatio influxui philoſophiæ noſtræ in Jurisprudentiam naturalem tribui debet, cum philoſophiam ad notiones diſtinctas & determinatas reduxerimus & methodi ge-

nuinæ leges non modo in Logica exposuerimus, sed ipsam etiam methodum in philosophiam introduxerimus. Quamobrem quia Juri naturali omnem suam extensionem tribuemus, quando ordo nos ad Jurisprudentiam naturalem deducet; nullum quoque occurret actionum humanarum genus, quod per principia nostra non determinatum videri poterit in opere nostro, vel sicubi cogitationem nostram in scribendo non subierit, facile determinetur ab alio methodi gnaro. Jam vero jus civile, si ei constet honos suus, recte inculcante *Ulpiano* (c), efficitur ex Jure naturali, cum eidem aliquid addimus, vel deminus. Quamobrem cum in philosophia civili, quæ Politica vulgo dicitur, doceamus, quid addi, quid detrahi debeat juri naturali, ut abeat in positivum seu civile; quantum Jurisprudentia naturalis legitime extensa & methodo demonstrativa pertractata una cum prudentia civili ex principiis legitimis eadem methodo deductis, hoc est, philosophia nostra practica

(c) l. 6. ff. de I. L.

ctica ad Jurisprudentiam civilem penitus intelligendam, limandam & ulterius perficiendam collatura sit, nemo non hinc intelligit, modo a præjudiciis & ignorantia purgatum habeat animum. Etsi autem Jus naturæ & philosophia civilis cum practica universali potissimum influant in Jurisprudentiam civilem seu positivam; sunt tamen etiam philosophiæ primæ hic suæ partes, non modo quatenus directrices offert notiones, verum etiam quatenus principia largitur rationibus legum explicandis inservientia. Dedit ejus rei specimen haud inelegans JCtus eximius, *Cramerus*, collega nobis conjunctissimus (d), cum restitutionem spoliati adversus bonæ fidei possessorem vi notionis exceptionis, quam in philosophia prima evolvimus, arceret. Dabimus forsan & nos alia in his Horis subsecivis, & principia Ontologiæ nobis jam profuerunt ad definitionem justi-

(d) in Programmate de restitutione spoliati adversus bonæ fidei possessorem.

justitiæ *Ulpiani* penitus intelligendam (e), inprimis autem in notionibus substantialium, naturalium & accidentalium feudi explicandis (f). Quemadmodum vero Jurisprudentia civilis ope methodi demonstrativæ ad concordiam reducitur, ita ut in toto jure civili nulla amplius supersit dissonantia; ita simul ad systema philosophicum eadem methodo conditum relata ad concordiam revocatur cum philosophia, ut non modo appareat juris civilis cum ratione consensus; verum etiam nihil occurrat in toto jure civili, quod non plenissima luce fulgeat, qua fulgere potest, tenebris omnibus ac nebulis dispulsis. Est etiam influxus quidam mediatus, de quo nobis adhuc dicendum. Constat nos carere non posse Jure ecclesiastico. Ecclesiæ Romanæ servit Jus canonicum: quod cum nitatur hypothesibus theologicis, quæ Theologis Protestantibus parum probantur, nec juri isti in terris Protestantium promiscue locus esse potest. Quoniam

(e) in Hor. A. 1729. Trim. vern. n. III. §. 4.

(f) Hor. ej. A. Trim. æst. n. II.

vero jus ecclesiasticum niti debet do
gmatis in Theologia probatis, ubi The
ologia dogmatica & moralis in system
veri nominis fuerit redacta, & Jurispru
dentia ecclesiastica ope methodi d
monstrativæ cum eadem connex
quantus sit hujus cum illa consens
liquido constabit & nemo non videb
num justæ sint nonnullorum quere
de Jurisprudentia papizante, an ve
saltem subinde parum justæ. In ip
quoque praxi juris utilitatem prom
tit influxus philosophiæ nostræ n
contemnendam: id quod fieri posse
lias luculentius ostensurus sum. Su
tam in Germania, quam apud exter
qui hunc influxum agnovere, quem
modum ex privatis ipsorum ad me
teris mihi constat. Sed cum in pu
cum proferre nolim, quæ privatim
me perscribuntur, ne plus juris in a
na mihi arrogem, quam quod r
competere certus esse possum; n
ad rationem, quam ad testimon
arte sua eminentium provocare,
non ignorem penes plures plus va
ram autoritatem, quam rationem
sufficienter ponderatam. In pro

tam civili, quam criminali facta sunt probanda & leges ad probata applicanda. Factorum probatio cum summa niti debeat evidentia, ne quisquam jure suo excidat, vel innocens condemnetur; & formam requirit legitimam, & principia certa. In utroque auxilium promittit philosophia nostra, si in ea diu multumque fueris versatus, & Jurisprudentia ad methodum demonstrativam reducta & cum ea connexa. Applicatio legum vel immediata est, vel mediata. Immediata supponit & leges ad propositiones determinatas reductas, & casum definiendum rite determinatum. Utrumque pendet a Jurisprudentia demonstrativa, quæ citra influxum philosophiæ demonstrativæ sperari non potest, & supponit in eo, qui leges applicare debet, acumen absque istis subsidiis non comparandum. Mediata applicatio supponit, ut ex legibus tanquam ex principiis deducas quasi legem, cujus immediata applicatione definitur casus datus. Etenim cum casus iste in legibus non contineatur, nulla quoque extat lex, cujus immediata applicatione definiri possit,

 quid

quid in eo justitiæ conveniat. Quær
tur itaque qualem legem dare debe
legislator ad casum istum in foro d
finiendum, ut non violetur legum co
cordia. Non sufficere huic labori s
lam legum notitiam, sed præterea r
quiri, ut & principia philosophica pe
spicias, & methodi artifex sis, intel
gentium nemo in dubium vocat.
quis regerat experientiam contrariu
loqui, casus enim istiusmodi decidi qu
tidie ab iis, qui quid sit methodus d
monstrativa prorsus ignorant, & ab
mni philosophia, multo magis ab om
Jurisprudentia demonstrativa vacuu
prorsus habent animum; is perpend
velim, quantus sit Doctorum ea in
dissensus, & quam dissonantes sint co
legiorum Juridicorum diversorum se
tentiæ. Agnoscere enim tenetur, r
tionem diversitatis necessario da
Quodsi jam tanto acumine prædit
fuerit, ut eam perspicere possit, ha
aliam deprehendet, quam quod h
meri submittantur oneri, cui feren
nondum sunt satis pares. Quodsi v
porro inquisiverit, quid fieri debe
ut robur, quod deest, acquiratur; n
a

alia commendari possunt media, quam ut animus philosophia & Jurisprudentia demonstrativa imbuatur.

§. 17.

Utilitas influxus in Jurisprudentiam.

Cum de Jurisprudentia civili ad formam demonstrativam redigenda ageremus, utilitatem Jurisprudentiæ demonstrativæ jam commemoravimus (g). Quoniam vero philosophia nostra influit in Jurisprudentiam civilem, quatenus ejus auxilio demonstrativa efficitur; quæ de utilitate Jurisprudentiæ civilis ad formam demonstrativam redigendæ diximus, eadem prorsus sunt cum iis, quæ utilitatem influxus philosophiæ nostræ in Jurisprudentiam concernunt. Neque vero exigua est, quæ inde speranda, utilitas. Etenim jus civile, quo nunc utimur, liberatur ab omnibus dubiis interpretationibus. Quantus nunc sit in interpretando Jure dissensus, nemo non novit, qui vel obiter JCtorum volumina inspexit, ita ut non desint JCti celebres.

(g) Hor. subsec. A. 1730. trim. brumum, II. §. 13.

lebres, qui audacter affirmant, omnem
Doctorum dissensum ad diversam le
gum interpretationem redire: qua-i
re utut acumen suum desiderari pat
antur, inde tamen colligere licet, di
sensum in interpretando esse admo
dum frequentem, cum alias a Jurisp
ritis haberi haud quaquam posset p
omni. Quamobrem qui dissensum
interpretandis legibus a Jurispruden
aufert, insignem eidem utilitatem
fert. Neque est quod quis dubitet, nu
tantam utilitatem ab influxu philo
phiæ nostræ in Jurisprudentiam s
rare liceat. Confidenter enim asse
mus, non aliud dari medium diss
sum tollendi, quam ubi eodem mo
philosophati fuerint JCti, quo nos p
losophandum esse inculcamus, &
risprudentia eam formam indueri
quam nos philosophiæ induimus.
possibile enim esse, ut citra legitim
probationis formam evidenter pa
veritas, dudum evicimus. Legit
autem in Jure probationes desid
buntur, quamdiu philosophia non
peditat principia, in quorum evid
nihil prorsus desideravimus. At

cipia istiusmodi philosophia suppeditare nequit, nisi ubi ipsamet ad formam demonstrativam fuerit reducta. Perpetuæ adeo erunt JCtorum de intellectu legum disceptationes, quamdiu subsidiis carebunt, quæ ipsis commendamus & quibus nunc carent. Altera Jurisprudentiæ ad formam demonstrativam reductæ utilitas, quam commendabamus, erat certitudo omnimoda de æquitate legum. Hæc equidem utilitas levis videri poterat; sed levis non censebitur, ubi eam intimius perspexeris. Aliquid ejus jam monstravimus, cum utilitates Jurisprudentiæ demonstrativæ delinearemus. Monuimus enim æquitate legum manifesta convinci Judicem justum, se in jure dicendo a Justitiæ tramite non discedere. Judicem justum esse debere, nemo diffitebitur. Erit autem justus, docente *Ulpiano* (h), si constans ipsi ac perpetua fuerit voluntas jus suum unicuique tribuendi, consequenter si firmum fuerit propositum in nullo casu a jure recedendi, quibuscunque tandem irrita-

 mentis

(h) l. 10. ff. de J. & J.

ficulter quoque ad causarum patrono applicantur, qui cum vulgo male au diant, quod plurimi sint injustitiæ a mantes, & juris prosecutionem diffic lem reddant ac sumtuosam, a justiti minore intervallo recedere poterun theoria ac praxi juris ad formam de monstrativam reducta. Paucissimi ho minum adeo mali sunt, ut tales vide velint. Evidentia vero pellit ignoran tiam, ne quis seipsum decipiat visus i qui non est, atque fucatam speciem qua aliis imponit, ut ab ipsis habeatu qui non est. Insigniter autem volunta tem Judicis atque patroni causarum ad justitiam inclinat veritas, quæ juri inest evidenter agnita: cum ex adverso juri cognitio non influat in voluntatem, ut tibi persuaseris jura cœco potentun arbitrio definiri. Unde non miramu esse haud raro Jurisperitos celebres qui cum quotidie jura doceant alios d decori tamen sibi minime ducant, si in omnibus cum aliis negotiis veh menter injustos præbeant. Inter uti tates Jurisprudentiæ demonstrativ porro retulimus controversiarum foro nullis ambagibus obnoxiam tr

ctatio

ctationem & evidentem definitionem. Quoniam tot ac tantæ sunt hominum querelæ de litibus ultra hominum ætatem protractis, & de dissensu jus dicentium in caussis tam criminalibus, quam civilibus; haud exigua profecto videri debet utilitas, quam præstat Jurisprudentia demonstrativa, ubi justis illis querelis finem imponit: id quod frustra hactenus tentatum ab aliis, qui, cum medelam malo afferre vellent, caussam magis vulnerarunt.

§. 18.

Restat ut dicamus de influxu philosophiæ nostræ in Medicinam. Plures sunt Medicinæ partes, quas non eodem prorsus modo dividunt omnes. *Oligerus Jacobæus*, Medicus non incelebris, (p) totam artem medicam partibus duabus commodissime absolvi posse existimat, quarum prima de tuenda sanitate agens *Hygiene*, altera de collapsa restituenda tractans *Therapeutice* appellatur. Hygienen subdistinguit in *Phy-*

Influxus in Medicinam speciatim ostenditur.

(p) in Compendio Instit. Med. proleg. §. 3. & 4.

Physiologiam & *Diæteticam*, quarum illa corporis humani statum naturalem exponit, hæc vero methodum integritatem ejus conservandi explicat. Therapeuticen in *Pathologiam*, *Semioticam* & *Curatoriam*, quæ *Praxeos* quoque *medicæ* nomine venit, subdividit, quarum illa statum corporis præternaturalem docet, morborum signa diagnostica & prognostica proponit, hæc denique methodum sanitatem restituendi cum universo remediorum supellectile pro morborum diversitate huic negotio inserviente declarat. Ne mireris nullam hic mentionem fieri *Anatomiæ*, *Botanicæ* & *Chemiæ*: hæ enim Physicæ potius partes sunt, quam Medicinæ, etsi cum Medicinæ potissimum serviant, ut iis carere non possit Medicus, subinde tanquam Medicinæ partes considerentur, propterea quod a Medicinæ studiosis in Academiis propemodum solis tractentur. Unde & Academia Regia scientiarum, quæ Parisiis floret, Anatomiam, Botanicam & Chemiam ad Physicam specialem refert. Non jam disputamus, num etiam Physiologia & Pathologia, qua-

tenus

tenus causas morborum explicat, ad Physicam referri debeat, cum Physici sit explicare quoque rationem status tam naturalis, quam præternaturalis corporis humani; nobis enim perinde est, sive Medicinæ dicantur partes, sive Physicæ capita, modo solidam contineant doctrinam. Imperfectionem Medicinæ nemo non hodie agnoscit & quantum ægrorum salus sæpius periclitetur, nemo est qui ignorat. Quamobrem si Medicinam ad certitudinem evehere valeamus, in id omnibus annitendum erit viribus.

§. 19.

Influxus philosophiæ autoris in Physiologiam.

Physiologiam partem Physicæ agnoscimus, atque adeo ipsimet eandem pertractaturi sumus, si quidem Deus vitam ac corporis animique vires tamdiu benignissime conservaverit, ut eo usque laborem nostrum continuare nobis detur. Quamobrem non opus est, ut de influxu philosophiæ nostræ in Physiologiam dicatur. Quodsi tamen eam a philosophia naturali separare & ad Medicinam trahere velis; per nos quidem id facere licebit. Non tamen

tamen alia dicenda erunt de philoso-phiæ nostræ in Physiologiam influxu quam quæ dicenda veniunt, ubi ipsa-met pars philosophiæ habetur, cum constet partem philosophiæ unam in alteram influere. Nos in philosophia præsertim naturali hypotheses distin-guemus a dogmatis, ne certa cum in-certis confundantur: hypotheses vero cur eliminari ex Physica nefas sit, alibi jam abunde docuimus (q). Recipi-endæ igitur etiam sunt in Psychologi-am, ubi certa rerum cognitio nondum haberi potest, ea tamen cautione ut a dogmatis distinguantur, nec praxis me-dica ad eas accommodetur. Qui in philosophia nostra versatus fuerit, is non modo hypothesibus a dogmatis distinguendis adsuescet, verum etiam cavebit, ne in praxin influant, quæ eam dubiam ac incertam reddere possunt. Exemplo esse potest Psychologia ra-tionalis, in qua hypotheses sollicite di-stinguimus ab iis, quæ certa sunt vel cum iis nihil commune habent, & de-

inceps

(q) Hor. subsec. An. 1729. trim. vern. n. I. §. 5.

mocens in philosophia morali cum cura cavemus, ne hypothesibus utamur tanquam principiis in demonstranda praxi morali, neq; praxeos certitudini quicquã derogetur. Non injustæ sunt quorundam Medicorum nostra ætate querelæ, quod hypotheses in Physiologiam introducantur non sine damno artis salutaris, atque ideo jure urgent Medicinam ab omnibus hyothesibus esse purgandam (r): non tamen semper distinguere videntur, quæ confundenda non sunt. Nimirum hypothesibus superstruenda non est praxis Medicinæ seu medendi methodus, nec ex hypothesibus statuendum est de viribus medicamentorum, cum hoc pacto facile fieri possit, ut ægro noceant quæ prodesse debebant. Absit autem ut Medicus noceat ægro, qui medelam afferre debet! Enimvero quatenus hypotheses inserviunt veritati successu temporis detegendæ, & excitant inventores eorumque acumen augent, iis in qualibet

(r) Vid. Pitcarnius in Oratione de Medicina ab omni philosophorum secta libera Opusc. Med. p. 1. & seqq.

libet etiam Medicinæ parte locus est concedendus. Non deerunt in philosophia nostra exempla, quibus idea exemplaris hujus usus hypothesium animo ingenerabitur, ut adeo influxui ejus in Medicinam tribuere non vereamur rectum hypothesium in Medicina usum, tanto quidem confidentius, quanto certius constat, eos hypothesium in Medicina genuinum usum non agnovisse, qui abusum, quem fecere nonnulli, observarunt. Sane qui perpendit, quæ de Medico Astronomum imitante (s) docuimus; ultro largietur, Medicum in veritate investiganda hypothesibus subinde utiliter uti, immo uti debere. Quamvis vero hypothesibus utatur ad veritatem adhuc latentem in apricum producendam; non tamen ideo opus est ut iisdem praxin conformem efficiat. Ultro enim concedimus *Pitcarnio* (t) nihil hic decere pro vero affirmare, de quo usque adeo sumus incerti, ut nemo de bonis suis tam incertus esse velit, cum vitæ non

(s) Hor. subsec. A. 1729. trim. brum. n. IV.

(t) l. c. §. 4. p. 3.

ıon minor, quem pecuniæ habendæ cu-
ra eſſe debeat. Neque vero prorſus
ıegaverim hypotheſibus ſubinde in
praxi quoque eſſe poſſe locum. Nemo
ıon novit in Medicina occurrere, quæ
ıd certitudinem pro arbitrio deducere
ıaud licet. Ubi vero in neceſſitate a-
gendi conſtituimur, deficiente certitu-
line ad probabilia confugiendum, in
uorum numero eſſe hypotheſes, ſi-
uidem ſatis limatæ ſint, dubio caret.
unt qui Phyſiologiam medicam a
hyſica diſtinguunt, & hinc Medico
on modo inutilem, ſed prorſus no-
uam exiſtimant. Iipſe *Pitcarnius*
auſarum phyſicarum inveſtigatio-
em, qualem inſtituere ſolent philo-
phi, Medicis neque utilem, neque ne-
eſſariam pronunciat. Quatenus ad-
itti poſſit differentia diximus alibi (u).
ubens concedo experientia duce in-
eniri poſſe propoſitiones determina-
s, quæ Medicum in praxi juvant,
ſi ignoret, quomodo effectus a
auſis ſuis dependeant. Ita novimus
n renibus ſecerni a ſanguine urinam &
er ureteres in veſicam deferri. Phyſici
F eſt

(u) Hor. ſubſ. A. 1730. trim. æſt. n. IV. §. 6.

eſt rationem reddere, cur urina in
nibus ſeparetur, quomodo ſecretio i
fiat & cur in ea potius corporis reg
ne, quam in alia ſiti ſint. Conſtat M
dico utile eſſe, ubi noverit urinæ ſec
tionem in renibus fieri & ſecretam p
ureteres ad veſicam deſcendere, u
ignoret, quæ docere Phyſici eſt.
militer utile eſt Medico, ſi noverit in
nibus gigni calculos & eos per urete
poſſe detrudi in veſicam, utut ignor
quomodo calculi generentur & qu
modo in ureteres demittantur. N
tamen hinc ſequitur, ſi Phyſicus ſuo
tisfaciat officio, theoriam medicam
phyſica eſſe ſeparandam. Etenim
noſtro more philoſophetur, quæ
machina corporis humani experien
magiſtra addiſci poſſunt, ad propo
tiones determinatas reducit easque v
ritati conſentaneas probat, utut rat
nes a priori reddere nondum vale
Exemplo eſſe poſſunt, quæ in philoſ
phia experimentali a nobis tractantu
ubi genuinæ methodi leges ad expe
entias, præſertim experimenta app
cantur, quantum eas admittant, ut
cognitione a poſteriori naſcatur cer
tud

tudo, quæ nos a periculo errandi liberat & extra dubitationis aleam constituit. Quæ igitur Medico ad praxin prosunt, in Physiologia traduntur multo accuratius exposita, quam si vulgari modo in notionibus confusis latent, ut non satis agnoscantur; adeoque & certius atque securius auxilium promittant. Etsi autem Physicus hypothesium genuinum usum faciens de causis interferat, quæ nondum prorsus explorata sunt, adeoque non satis tuto ad praxin transferuntur, immo si contingat, hypothesin esse falsam nocere possint ad praxin deducta; nondum tamen hinc concluditur, hypotheses nocere Medico ac ideo ex Physiologia medica esse eliminandas. Nocet enim abusus hypothesium, non hypotheses ipsæ, quarum usus Medicinæ prodest. Nimirum nocent, si hypotheses ab eo, quod rigida demonstratione firmari potest, non distinguantur iisdemque tanquam fundamento praxis superstruatur, atque in hoc ipsarum consistit abusus. Prosunt, quatenus Medicum ad observationes & experimenta manuducunt, ad quæ absque his ducibus

non pervenisſet, ejusque acumen a
get, ut in obſervationibus communib
ad ea attendat, quæ alias attentio
ipſius ſeſe ſubducerent. Atque in
genuinus ipſarum uſus conſiſtit. Ju
ergo uſus hypotheſium Medicur
quemadmodum idem juvat Aſtron
mum. Medicus, dum ſaluti ægri atte
dit, qui auxilium ipſius implorat, ſua
quoque augere debet cognitionem,
poſthac ægris plus auxilii ferat. Quo
ſi noſtro more philoſophetur phyſic
& medicus, hypotheſes cum iis, quæ
dubia experientia conſtant, non co
fundit, uſumq; ab abuſu diſtinguit, qu
tenus certitudinis tenaciter cuſtodie
dæ cauſa tam in theoria, quam pra
conſtanter colit rationis ac experie
tiæ connubium. Phyſiologia, pars Ph
ſicæ ſpecialisſima, principiis indiget
Phyſica non modo generali, veru
etiam ex aliis ejusdem capitibus ſpec
libus, immo ex philoſophia prima, ſu
inde & cosmologia generali atque ip
Pſychologia petendis. Philoſop
igitur noſtra largiter influit in Phyſi
logiam, tum quatenus ideam exemp
rem tractandi quæſtiones ad res nat

ra

tales spectantes animo ingenerat philosophia experimentalis & naturalis, tum quatenus principia, quibus illa opus habet, rite determinat & firmat. Nullam injicimus mentionem eorum, quæ de usu notionum directricium ex philosophia prima petitarum ad veritatem in Physiologia investigandam dici poterant, & quantum hoc studium promoveatur, ubi genuinam methodum ad philosophiam experimentalem & naturalem transferre didiceris; de his enim dicendum est in arte inveniendi.

§. 20.

Diætetica rectum inprimis usum sex rerum non naturalium, quas Medici vocant (x), declarat. Constat illas esse aërem, cibum & potum, excreta & retenta, somnum & vigilias, motum & quietem; passiones tandem animæ. Res singulæ hic spectantur, prout influunt in sanitatem corporis, eidem vel amicæ, vel inimicæ. Quamobrem necesse est, ut singularum qualitates suffici-

Influxus philosophiæ auctoris in Diæteticam.

(x) Hor. subsec. A. 1730. trim. æstiv. n. IV. §. 6.

ficienter agnoſcantur, & quatenus in
pendeat ſanitas, ad liquidum perduc
tur. De aëre agimus in philoſoph
experimentali & in phyſica dogmatic
Ubi methodi demonſtrativæ leges o
ſervantur, ad notiones determinat
revocantur aëris qualitates, tum qu
tenus purus ſpectatur, tum quaten
vaporum & exhalationum receptac
lum eſt & ventis varie agitatur. Si
phyſica igitur experimentali & dogm
tica ad formam demonſtrativam r
vocata non ſatisfacies Diætetica in c
ponendo recto aëris uſu & evitand
abuſu. Quantum corpus noſtrum a
aëre pendeat, in Phyſiologia docetu
ſive eam partem Phyſicæ, ſive Medic
næ feceris. Neque uſum, neque ab
ſum aëris in tuenda ſanitate doce
poſſe, niſi certo cognoſcatur corpor
ab aëre dependentia, palam eſſe arb
tror. Atque adeo Diætetica ſuppon
Phyſiologiam ad formam demonſtrat
vam redactam. Quæ de cibo ac pot
in hac Medicinæ parte docentur, nul
prorſus principiis nituntur, ſed tan
quam experientia comprobata ſumun
tur, cui quanta tuto haberi poſſit fid

no

on apparet. Mereretur tamen hoc Me-
licinæ caput, quod pro dignitate exco-
eretur, omni luce eidem fœnerata,
qua perfundi poteſt, cum a cibo ac po-
u vita & ſanitas magna, ſi non maxi-
na parte pendeat. *Ludovicus Lemery*
nitio hujus ſeculi idiomate patrio Tra-
ctatum de alimentis edidit, in quo cibo-
um effectus tam bonos, quam malos
ecenſet, principia chymica eorum e-
numerat & cui ætati & temperamento
inguli conveniant indicat, additis in
cholis rationibus, quas alii negligunt
autores: methodi tamen gnarus non
diffitebitur, quæ ab eo traduntur, pro-
cul adhuc ab ea evidentia diſtare,
quam nos deſideramus & quam optant
omnes, quibus ſanitas ac vita in pretio
eſt. Cum tamen plurimum referat ut
quædam nobis jam innotuerint de effe-
ctibus & qualitatibus ciborum, ante-
quam ad eas disquiſitiones nos accinga-
mus, quibus opus eſt ut ad certitudi-
nem perducantur, quæ dubitationibus
obnoxia ſunt; Tractatus iſte haud ex-
iguo adjumento eſſe poterit, ubi quis
ciborum ac potuum ſalubritatem &
inſalubritatem ad evidentiam perdu-

cere voluerit. Noſtrum jam non e
ſpeciatim exponere, quænam obſe
vanda ſint, ne ſcopo ſuo excidant g
neri humano tam utilem præſtituri
peram: ſufficit philoſophiam prima
& naturalem, ac præſertim experime
talem, ad formam demonſtrativam re
ćtam, ſive methodum ſpectes, ſi
principia, auxilia, qualia deſiderari po
ſunt, offerre. Ciborum duplices ſu
qualitates, nutritivæ ſcilicet atque m
dicæ. Medicarum in nutritione qu
que habenda ratio eſt, præſertim ubi
ciborum præparatione ſermo incideri
in qua compoſitioni locum eſſe nem
non novit, tum etiam quando quis di
verſis ferculis una veſcitur, ut conſte
quænam in uno prandio vel una cœn
ſint conjungenda, ne noceatur ſanitat
Unde intelligitur, diætetica ad ratione
evidentes revocata, coquinariam quo
que rationalem effectum iri. Neque e
quod tibi perſuadeas, quæ diuturna ex
perientia comprobata ſunt, nullo exa
mine opus habere, nec majus ad ſani
tatem præſidium a cibo ac potu ſpe
rari poſſe, ubi qualitates utriusque rig
disſime a priori demonſtrare potueri

quan

quam ubi nullas cur prosint, vel noceant cibi ac potus, rationes reddere valueris. Etenim quæ ab autoribus docentur, non adeo explorata sunt, quin subinde contrarium experiamur. Plura in medium afferre possem exempla, quæ domestica suggerit experientia: sed rationem reddi consultius est, cur ulteriori examini subjicienda veniant, quæ sub nudarum assertionum forma in scriptis Medicorum extant, aut rationibus stipantur non satis evidentibus. Nimirum vitio subreptionis nihil frequentius in observationibus communibus vix evitando, nisi ratio experientiæ suppetias ferat. Et ubi in hac Diæteticæ parte connubium fiet rationis ac experientiæ, veritatibus nonnullis particularibus inventis, in potestate erit progressus ad universales, e quarum numero quoque sunt signa ciborum salubrium ac insalubrium combinandorum ac separandorum, quæ ad praxin magnum afferunt momentum, hactenus autem desiderantur, vel, si quædam jam prostant, nondum sufficienter exposita, ut usui esse possint.

Cornelius Bontokoe (y) istiusmodi signa dare voluit; sed quæ assumit, gratis concedenda non videntur. Quid somnus & vigiliæ ad statum corporis naturalem ac præternaturalem conferant, non intelligitur nisi constet, status corporis in somno ac vigiliis differentia, quam cum Physiologia distincte explicare debeat, ejus hac in parte opem implorat Diætetica. Non ante igitur Diætetica influxum somni ac vigiliarum in sanitatem demonstrabit, quam Physiologia ad formam scientificam fuerit reducta. Non absimili modo idem patet de excretis & retentis, motu atque quiete, animique affectibus. Non sufficere hic communes observationes, sed experimentis opus esse Medicina statica Sanctoriana probat. Rectæ autem experimentandi methodi nos non rectius nec felicius compotes fieri, quam ubi philosophia experimentalis methodo analytica ita pertractatur, ut experimentorum a se invicem dependentia & primorum ab obser-

(y) in der Abhandlung vom menschlichen Leben. part. 3. §. 17. p. 327. & seqq.

observationibus communibus pateat, quemadmodum a nobis factum (z). Influit adeo philosophia experimentalis scientifice pertractata in Diæteticam, si vel solam spectes methodum, sed eo modo, ut aliunde istum influxum frustra expectes. Etsi enim Astronomiæ interior cognitio, si ejus a primordiis usque ad nostram ætatem statum attente consideres, aliqua afferre possit adjumenta; ea tamen remotiora sunt, cum analytica & scientifica philosophiæ experimentalis tractatio propria offerat. Constat ex Psychologia (a), affectibus animi in corpore respondere motus peculiares sanguinis, qui ordinarie in eodem non observantur, & singulis quidem affectuum speciebus motus respondere diversos. Affectus animi in sanitatem ac vitam corporis influere nequeunt, nisi quatenus in corpore motus istos sanguinis fluidique nervei comites habent. Quamobrem dubitandum non est, Diæteticam hac

in

(z) in Versuchen, wodurch zu gründlicher Erkäntnis der Natur der Weg gebähnet wird.

(a) Psych. empir. §. 611.

in parte multis veritatibus utilibus locupletatum iri, si omni differentia in motum sanguinis cadente ex Physiologia perspecta accurate definiveris motum sanguinis fluidique nervei, qualis in unaqualibet affectus specie reperitur. Quam vastum inveniendorum campum aperiat Diætetica; haud difficulter ex hactenus dictis perspicitur. Quodsi quis in philosophia scientifica cum laude versatus, præsertim ubi accurata ac diligente Mathematum tractatione præparatus ad eam accessit, ad Diæteticam excolendam animum appulerit; is deinceps deprehendet, qualia ante in Physiologia & philosophia naturali detegenda sint, quam dogmati diætetico sua constare possit certitudo. Inveniendorum numerus augetur, quando ei investigando operam damus, quod invenire intendimus.

§. 21.

Influxus in Pathologiam. In Pathologia more apud Medicos recepto status corporis præternaturalis tantum modo in genere explicatur & causæ morborum eorumque symptomata generalia expenduntur: specialis autem

observationibus communibus pateat, quemadmodum a nobis factum (z). Influit adeo philosophia experimentalis scientifice pertractata in Diæteticam, si vel solam spectes methodum, sed eo modo, ut aliunde istum influxum frustra expectes. Etsi enim Astronomiæ interior cognitio, si ejus a primordiis usque ad nostram ætatem statum attente consideres, aliqua afferre possit adjumenta; ea tamen remotiora sunt, cum analytica & scientifica philosophiæ experimentalis tractatio propria offerat. Constat ex Psychologia (a), affectibus animi in corpore respondere motus peculiares sanguinis, qui ordinarie in eodem non observantur, & singulis quidem affectuum speciebus motus respondere diversos. Affectus animi in sanitatem ac vitam corporis influere nequeunt, nisi quatenus in corpore motus istos sanguinis fluidique nervei comites habent. Quamobrem dubitandum non est, Diæteticam hac

in

(z) in Versuchen, wodurch zu gründlicher Erkäntnis der Natur der Weg gebähnet wird.

(a) Psych. empir. §. 611.

in parte multis veritatibus utilibus locupletatum iri, si omni differentia in motum sanguinis cadente ex Physiologia perspecta accurate definiveris motum sanguinis fluidique nervei, qualis in unaqualibet affectus specie reperitur. Quam vastum inveniendorum campum aperiat Diætetica, haud difficulter ex hactenus dictis perspicitur. Quodsi quis in philosophia scientifica cum laude versatus, præsertim ubi accurata ac diligente Mathematum tractatione præparatus ad eam accessit, ad Diæteticam excolendam animum appulerit; is deinceps deprehendet, qualia ante in Physiologia & philosophia naturali detegenda sint, quam dogmati diætetico sua constare possit certitudo. Inveniendorum numerus augetur, quando ei investigando operam damus, quod invenire intendimus.

§. 21.

Influxus in Pathologiam. In Pathologia more apud Medicos recepto status corporis præternaturalis tantum modo in genere explicatur & causæ morborum eorumque symptomata generalia expenduntur: specialis autem

autem morborum tractatio ad Curatoriam, quam diximus, seu praxin medicam rejicitur. Nobis quidem perinde est, in quacunque Medicinæ parte hoc vel illud argumentum tractetur; præsenti tamen instituto convenientius est, ut morbi in specie etiam in Pathologia considerentur. Dividimus adeo *Pathologiam* in *generalem* & *specialem*. Illa morbos eorumque symptomata in genere; hæc vero in specie explicat. Neque hic quicquam innovatur; specialis enim Pathologia cum Curatoria seu praxi vulgo conjungitur, ne disjungantur, ad quæ in praxi simul animum advertere debet Medicus. In Pathologia tam generali, quam speciali ad tria capita redeunt quæ dicenda sunt; inquiritur nimirum 1. in naturam, 2. in causas & 3. in symptomata morborum. Natura morbi dicitur Medicis, quæ stylo philosophico rectius essentia appellatur. Atque adeo hic notionis directricis loco sunt, quæ tam de ente in genere, quam de ente in universali in specie in philosophia prima tradidimus. Morborum notio in genere, tum etiam specialium morbo-

rum

lem; a posteriori autem patet, eum quoque dari in rerum natura posse: & quæ ratiocinando deduximus confirmantur. Requiritur autem status naturalis cognitio, quæ a priori est, ubi Pathologiam ad formam scientificam reducere volueris: tum enim cum Physiologia & philosophia ad eandem formam ante reductis connectenda, suppetias, sicubi opus est, ferente philosophia. Quid ad causarum cognitionem conferat philosophia ad notiones determinatas reducta, facilius adhuc perspicitur. Etenim patet, philosophiam primam suppeditare notiones causarum tanquam directrices præsertim eas, quæ ad causam efficientem atque effectum spectant, cum status præternaturalis pendeat a suis causis per modum effectus. Immo ipsæ causarum divisiones generales plurimum lucis ex philosophia prima hauriunt & notioni causarum prædisponentium & procatarcticarum multum claritatis accedit ex rerum nexu in Cosmologia generali explicato, præsertim ubi Physicam & ipsam quoque Physiologiam ac Diæteticam methodo scientifica pertra-

tractaveris, ut rerum naturalium nexum intimius perspexeris & corporis inprimis nostri quoad statum suum dependentiam a rebus non naturalibus animo comprehenderis. Logica subministrat regulas perinde ac in naturæ morborum investigatione, ne vitium subreptionis committas morborum causas ex observationibus deducturus: id quod hic facillime accidere potest, ubi causis procatarcticis non plus tribuere debes, quam ad eas pertinet, in præjudicium prædisponentium. Physica autem, Physiologia & Diætetica, subinde etiam philosophia prima principia suppeditat ad ratiocinandum necessaria, ubi demonstrare volueris, has causas esse status præternaturalis corporis seu morbi sufficientes. Quoniam causarum sufficientia absque demonstratione non intelligitur, ea tamen Medico perspecta esse debet, tum quatenus remotarum cognitio facit ad morbos præcavendos, proximarum vero notitia ad eosdem curandos; quantum annitendum sit, ut Medicina ad formam scientificam reducatur & cum philosophia ante ad eam reducta

connectatur, nemo non videt. Quod Pathologiam specialem cum genera conjunxeris, seu quæ hic dicuntur a utramque applicaveris; quantus h nascatur meditandorum campus abu de perspicitur. Sed dabitur alias o casio mentem nostram de hoc Medic næ capite utilissimo ad formam d monstrativam reducendo plenius ap riendi. Symptomata denique a mo bo pendent, vel etiam subinde ab ej causa proxima, quemadmodum ip morbi a proxima causa per modum e fectus. Quamobrem quæ de cau morborum diximus, facile ad sympto mata applicantur, ut adeo de hisc quædam in specie annotari non neces se videatur, præsertim cum alias i notionem symptomatis via analytic inquirere constituerimus, ut illorum conatus juvemus, qui Medicinam cu philosophia juxta leges methodi d monstrativæ connectere voluerint, in fluxum philosophiæ nostræ in Med cinam ipso opere promoturi.

§. 19.

Influxus in Semioticam. In Semiotica explicantur signa sanita tis & morborum tam diagnostica, qu mor

morbum præsentem indicant, ut Medicus certus esse possit, quo morbi genere laboret æger, quam prognostica, ex quibus futurus morbi eventus colligitur. Quemadmodum vulgo Pathologia non nisi morborum generalem theoriam exhibet, speciali ad Curatoriam rejecta; ita similiter in Semiotica nonnisi signorum theoria generalis tradi suevit, signis morborum specialibus Curatoriæ reservatis. Enimvero hic loci consultius est, ut Semiotica specialis cum generali conjungatur, cum, quæ dicenda veniunt, ad utramque pertineant. Theorias signorum in abstracto ad notiones determinatas revocavimus in philosophia prima (b). Hæc igitur notiones directrices suppeditat, ubi in signa tam diagnostica, quam prognostica via analytica inquirere volueris, ac prima demonstrandi principia suggerit, ubi theoriam signorum demonstrare volueris. Eruuntur a priori tum ex causis morbi, tum ex functionibus organorum læsis, tum ex statu morbi præsente, quatenus inde sequitur se-

 quens.

(b) §. 922. seqq. Ontol.

quens. Atque adeo tam principiis physiologicis de functionibus organorum in statu naturali, quam pathologicis de causis morborum, de læsione functionum organorum in statu præternaturali, morborumque natura opus est, ut certo ratiocinio colligantur, quæ investiganda sunt signa. Iisdem opus esse principiis, ubi signorum theoriam demonstrare volueris, ex eadem ratione claret. Subinde quoque recurrendum erit ad principia philosophiæ primæ ac Physicæ, si quidem ratiocinia legitimo modo evolvi debeant, quemadmodum postulat methodus demonstrativa. A posteriori ex observationibus eruuntur & a priori eruta observationibus confirmantur, a posteriori reperta ex principiis modo memoratis demonstrantur, nunc experientia suppetias ferente rationi, nunc ratione experientiæ: id quod & de aliis Medicinæ partibus notandum. Supponit adeo Semiotica ad formam demonstrativam reducenda præter philosophiam primam, aliquando & Psychologiam & Physicam, partes quoque Medicinæ Physiologiam, Diæteticam & Patholo-

giam

giam ad eandem formam ante reductas. Diætetica supponitur non modo quatenus Pathologia ejus implorat opem, ut certitudinem consequatur, verum etiam per se in Semioticam influit, quatenus ex abusu rerum non naturalium signa status corporis præternaturalis pendent, & ipse status præternaturalis peculiaria habet symptomata. Semioticam, Medicinæ partem utilissimam, ea adhuc destitui evidentia, quæ in praxi satisfacit, experientia abunde confirmat, nec fieri potest, ut ad eandem perducatur, nisi ubi omnibus viribus in id annitantur viri ad artem salutarem excolendam nati, ut cum philosophia ad notiones determinatas revocata, beneficio istiusmodi notionum & ipsa connectatur.

§. 23.

Curaroria denique, quæ subinde & Therapeutice strictiori sensu accepto vocabulo dici solet, itidem vel generalis est, vel specialis. A generali communiter separatur specialis, cum pathologia & semiotica specialis eidem jungi sueverit, quemadmodum paulo ante *Influxus in Curatoriam.*

 dictum

dictum. Vocatur autem a nonnulli Curatoria specialis juncta Pathologi & Semioticæ speciali *Nosocomice* (c In Curatoria generali agitur de me thodo medendi & medicamenta ex tri plici naturæ regno petita quoad virtu tes medicas ad classes generales revo cantur, prouti v. gr. sunt vel emetica vel cathartica, vel diaphoretica, vel diu retica, & ita porro. In speciali doce tur, tum qualibus medicamentis sit o pus, tum quibusnam in specie sit uten dum, ut morbus profligetur, vel sym ptomata mitigentur, tum denique qu pro dato quovis morbo conveniat æ gro diæta. Medendi methodus cum i eo potissimum versetur, ut remedia apta eademque certo ordine adhibea Medicus, in indicationibus explicandi multum occupatur, unde intelligitur quid fieri debeat, ut ægro succurratu quid vero omitti necesse sit, ne eiden noceatur. Atque his indicationibu opus inprimis habet Medicus in Cura toria speciali, ubi speciem morbi op

semio

(c) vid. Jonstonus Med. pract. part. p. 499.

Semioticæ certo cognovit. Supponit adeo indicatio medicamentorum virtutes medicas ad sua genera revocatas & singulorum in specie virtutes perspectas. Virtutes medicamentorum eodem modo investigantur & demonstrantur, quo ciborum ac potuum qualitates. Quamobrem quæ de cibo ac potu paulo ante (§. 20) dicta sunt, ea quoque ad medicamenta applicari debent. Petuntur medicamenta ex triplici regno naturæ, animali, vegetabili & minerali, adeoque Physicæ objectum sunt. Quamobrem quin Physica ad notiones determinatas reducta influat in hoc Medicinæ caput, nemo est qui dubitare valet. Et quoniam hodie medicamenta arte chymica præparantur; hanc quoque ad rationes evidentes reduci optandum erat. Medicamenta alia simplicia sunt, alia composita. Compositio supponit virtutes simplicium cognitas, ac inquirendum præterea, num in compositione simplicium virtutes alterentur. Rationes quoque reddendæ dosium medicamentorum tam simplicium, quam compositorum, cum quod genuina quantitate sumtum

ægro auxilium affert, minore nil juvet, majore noceat. Nemo hic notiones determinabit, quales methodus demonstrativa requirit, nisi in philosophia & ceteris Medicinæ partibus eadem methodo pertractatis diu multumque fuerit versatus. Quemadmodum Geometria practica ad regulas, quæ praxi satisfaciunt, easque certas reduci nequit, nisi supponatur Geometria theoretica rigidis demonstrationibus munita; ita quoque praxi Medicæ deerit certitudo, quæ optari poterat, quamdiu partes ceteræ, de quibus diximus, evidentiam non fuerint consecutæ. Nil addimus de regimine corporis in statu præternaturali: cum enim totum pendeat a recto rerum non naturalium usu in morbis, ita ut artis auxilio impetretur, quod natura negat, veluti si frigus a corpore arcetur vestimentis, vel aër in conclavi ope ignis in fornace efficitur calidus; ea patere debent per Diæteticam & Pathologiam tam generalem, quam specialem. Plus igitur in præsenti non addimus.

§. 26.

Necessitas & u- Vita ac sanitate, si ab anima discesseris

ſeris, homini nil quicquam carius eſſe debere in confeſſo eſt apud omnes. Quamobrem cum Medicina doceat, quomodo vitam ac ſanitatem conſervare, morbos præcavere & debellare debeamus; ſi qua alia dogmata certa ac evidentia eſſe debeant, de Medicinæ dogmatis id inprimis deſiderari nemo refragabitur. Apparet adeo quam ſit neceſſarium, ut partes Medicinæ ad formam demonſtrativam reducantur & cum philoſophia ad eandem formam ante reducta connectantur. Et quoniam Medicina ad notiones determinatas revocari haud quaquam poteſt, niſi ante philoſophia ad iſtiusmodi notiones reducta fuerit, quemadmodum veritatum medicarum a ſe invicem & a philoſophicis dependentia, quam modo contemplati ſumus, manifeſto loquitur; immo utilem hac in parte Medicinæ operam navare minime poteſt, niſi qui methodi diſcendæ gratia in Matheſi fuerit multum verſatus & philoſophiam methodo ſcientifica pertractatam ſibi familiarem reddidit, ne idea exemplari evidentiam dogmatis venandi viribusque deſti-

tilitas influxus in Medicinam.

tuatur; quam necessarius sit philosophiæ nostræ in Medicinam influxus, nemo non videt. Etsi autem tanta sit in Medicina agendorum moles, ut eam ab uno homine superari haud quaquam posse lubentissime concedamus, immo tanta requiratur observationum repetendarum & continua repetitione emendandarum copia, ut unicum seculum, nedum unius hominis ætas tanto molimini sufficiat; non tamen de successu desperandum, ubi plures per plura secula laborem cœptum continuabunt, quemadmodum Astronomia docere potest eos, qui rationum perspicillis usi idem videre non valent. Ponamus vero tandem obtineri in arte salutari notiones determinatas ac evidentes, quales desideramus: sanitatem magis in potestate habebunt homines regulas diæteticas a Medicis edocti, ipsi vero Medici in potestate magis habebunt morbos ac certius ægrotis afferent auxilium. Atque hæc ad utilitatem influxus philosophiæ ad leges demonstrativæ methodi exactæ in Medicinam probandam abunde sufficiunt.

II.

De bona fide toto præscriptionis tempore requisita Jure Canonico.

§. 1.

Tyronibus notum est, jure civili sufficere ad præscriptionem, bonam fidem adesse initio acquisitæ possessionis; at jure canonico tempore quoque intermedio semper bonam fidem exigi (*a*). *Innocentius* III. Pontifex Romanus hanc urget rationem, quia omne, quod non est ex fide, peccatum est. Ita enim (*b*): Quoniam omne, inquit, quod non est ex fide, peccatum est; synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis. Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat con- *Institutum autoris.*

(a) vid. Struvii Jurisprud. Rom. Germ. forens. lib. 2. tit. 9. §. 9.
(b) c. fin. X. de præscript.

conscientiam alienæ. Rident subinde Doctores Protestantes Pontificem, quasi reddiderit rationem parum convenientem a baculo ad angulum argumentatus, atque hoc inprimis exemplum allegare solent, quoties contendunt in Jure Canonico allegari rationes prorsus alienas, quibus nulla insit vis ad persuadendum, quod probari debebat. Nihil enim inconvenientius dici posse opinantur, quam præscriptionem ex fide proficisci debere sensu scripturæ & bonam fidem, quam in præscriptione requirunt leges, eandem esse cum illa fide, de qua loquitur Apostolus (c): Omne, inquiens, quod non est ex fide, peccatum est. Mihi contrarium videtur, qui contendo & bonam fidem juxta finem Juris canonici toto præscriptionis tempore requirendam esse, & rationem a Pontifice allegatam esse genuinam ac menti Apostoli maxime conformem. Lubet igitur in præsenti ostendere, quod verba Apostoli conveniente loco allegentur a Pontifice & quod hypothesibus Pontificiis

(c) Rom. XIV. 23.

ficiis convenienter ex iis inferatur, quod inde ab eodem colligitur.

§. 2.

Primum itaque dispiciendum, quid Apostolus fidem appellet eo loco, ad quem provocat Pontifex. Qui Pontificem reprehendunt, in ea sunt opinione, quod ipsi sermo sit de fide salvifica: sed in eo oppido falluntur. Repugnat enim contextus & reclamant Interpretes etiam Protestantes. Ex contextu nimirum apparet, per fidem hic intelligi judicium, quod licitum sit, quod agimus. Atque adeo ex fide non esse dicitur, quod, dum facimus, illicitum tamen judicamus. Apostolus enim contendit, si quis a Judaismo ad christianismum conversus sibi persuadet legem de ciborum mundorum & immundorum discrimine sibi adhuc observandam esse & hac persuasione non obstante carnem pro immunda habita comedit, eum peccare, & hanc reddit rationem, quod non agat ex fide, hoc est, secundum conscientiam, peccatum vero sit, quod ex fide non est, hoc est, quod contra con-

Quid Apostolus Rom. XIV. fidem appellet.

conscientiam fit, Dictum igitur Apostoli omne quod non est ex fide, peccatum est, convenit cum regula philosophorum: Quicquid fit contra conscientiam, peccatum est, etiam ubi fuerit licitum, vel, ut alii efferunt, conscientia erronea obligat hominem, ne contra eam agat. Etenim hanc obligationem urget Apostolus isto loco. Unde *Hammondus* celebris Paraphrasta novi Testamenti hunc locum ita effert: „Ad judaizantem quod attinet, satis causæ non est, cur male „habeatur, quia non audet comedere quod sibi illicitum esse putat: lethale enim esset peccatum, & propter quod ejus conscientia eum damnaret, si ederet aut faceret rem quampiam adiaphoram, dum eam ipse illicitam existimat. Quisquis aliquid facit, nec judicat minimum id licitum esse (quod judicium vocatur hic fides & cognitio 1. Cor. VIII. 7), sine dubio peccat.„ Et in Annotationibus *Clericus* verba Apostoli, omne quod non ex fide est peccatum est, ita reddit: „Quicquid facimus, dum nescimus, licitumne sit, nec „ne,

„ ne, id proficiſcitur ab animo liciti „ atque illiciti parum curante, adeo„ que peccatum eſt.„ Probat ibidem vocabulum πίςις ab Apoſtolo ſumi in ſignificatu recepto loco *Philonis* Judæi (d), in quo ſacrificium Abrahami allegorice interpretatus ſubdit: „ ἄριςον ἱερεῖον ἡ συχία καὶ ἐποχὴ „ περὶ ὧν οὐκ εἰσὶ πίςις: opima victima „ eſt quies & hæſitantia in rebus, qua„ rum fides non eſt „. Certa enim hic fides eſſe dicitur eorum, quorum conſcientiam certam habemus, judicantes ſcilicet, nihil reſtare dubii, quo minus ea pro licitis habeamus. *D. Thomas* probaturus conſcientiam errantem obligare ad hunc locum Apoſtoli provocat & fidem per conſcientiam explicat (e). Vixit is ſeculo XIII, quo etiam *Innocentius* III. Eccleſiæ præfuit. Unde patet iſto ævo dictum Apoſtoli eodem modo fuiſſe explicatum, quo idem explicat *Hammondus*, explicant quoque alii inter Proteſtantes interpretes.

(d) in libro de Profug. p. 336.

(e) in Summa Theol. part. p. 2. quæſt. 18. art. 5. Conf. *Carbonem* in Compendio l. c. annot. 1. p. 243.

tes, etsi plerique fidem salvificam ab Apostolo intelligi velint & hinc eodem dicto utantur ad probandam thesin in se alias veram (f), quod opera bona Christianorum ex fide in Christum proficisci debeant. Quamobrem dubio caret, *Innocentium* III. eodem sensu accepisse verba Apostoli, ut per fidem conscientiam intelligeret, qua denotari judicium de actionis committendæ vel omittendæ moralitate nemo est qui nesciat. Cum nemine serram contentionis reciprocabimus, utrum fidem rectius per conscientiam, an per fidem salvificam interpretemur: nobis enim sufficit in dubium vocari minime posse quod Pontifex, dum ad dictum hoc Pauli provocat rationem redditurus, cur bona fides toto præscriptionis tempore requiratur, non alium sensum eidem tribuerit. Non nego obligationem conscientiæ errantis fidei salvificæ esse conformem, cum eam demonstrativa ratione inde deduci posse dudum cognoverim, ex quo dogmatum theologicorum nexum seu mutu-

(f) vid. Gerhardus in Loc. 20, §. 8. f. 4.

mutuam earundem a se invicem dependentiam scrutatus sum. Quamobrem si quis vel maxime urgeret, Apostolo de fide salvifica sermonem esse; concedere tamen debet, cum negare non possit, ipsum obligationem conscientiæ errantis in isto loco urgere, quod idem fidei adversa judicet salvificæ, quæ contrariantur conscientiæ erranti, ac ideo in numerum peccatorum referat conscientiæ erranti adversa, quod repugnent fidei salvificæ. Non itaque difficile erit salvare rationem Pontificis, si vel maxime fidem, de qua loquitur Apostolus, pro fide salvifica accipias. Nostrum tamen est interpretari verba Pontificis menti ejus conformiter, non vero iis affingere sensum ab eadem alienum, cum non ingenii ostentationi, sed veritati litemus.

§. 3.

Hisce præmissis intelligitur, quid sibi velit Pontifex in nostro capitulo. Nimirum constituit, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ, hoc est, ut toto præscriptionis tempore persuasus sit, se *Interpretatio capituli.*

H rem

rem a domino accepisse, minime autem ad notitiam ipsius pervenerit, quod eam a non domino acceperit. Persuasus enim se rem a domino acceptam possidere, eam bona fide possidet: at qui contrarium novit, in mala fide versatur, si stylo Juris exprimere velis, quæ modo vulgariter enunciavimus. Reddit autem hanc rationem, quod omni constitutioni atque consuetudini derogandum sit, quæ absque mortali peccato observari non potest, atque adeo jus civile, quod tantummodo initio acquisitæ possessionis bonam fidem requirit, in earum constitutionum numerum refert, quæ absque mortali peccato observari non possunt. Unde apparet, Pontificem possessionem malæ fidei pro peccato mortali habere, quod in homine Christiano tolerari minime possit. Probat porro, cur possessio malæ fidei sit peccatum mortale, quia est contra conscientiam, Apostolus vero peccatum pronunciat, quod non est secundum conscientiam, sed eidem aversatur. Mens adeo Pontificis hæc est. Quoniam docente Apostolo peccatum mortale est, quod est contra consci-

entiam

entiam, qui vero mala fide posſidet, novit rem a ſe posſesſam esſe alienam, adeoque contra conſcientiam eam posſidet; malæ fidei posſesſio peccatum mortale eſt. Quamobrem cum peccatum mortale nunquam tolerari posſit, nec in præſcriptione toleranda unquam mala fides. Necesſe igitur eſt ut præſcribens toto præſcriptionis tempore in bona fide verſetur. Hoc pacto liquet, nihil abſurdi in ratiocinio Pontificis contineri, nec eum inepte dictum Apoſtoli allegare fide ſalvifica cum bona fide JCtorum confuſa.

§. 4.

Erunt forſan alii, qui rem ipſam reprehenſuri ſunt, quaſi absque ratione urgente a Jure civili recedat Pontifex conſcientiæ prætextu, eidem minime concesſuri, quod conſtitutionibus annumerandum ſit jus civile bonam fidem initio ſaltem posſesſionis acquiſitæ urgens, malam fidem poſtea ſupervenientem tolerans, quæ absque mortali peccato obſervari non posſit: oſtendendum itaque nobis eſt, quod ſecundum notiones theologicas, quæ ipſi

Cur Pontifex bonam fidem toto præſcriptionis tempore urgere debuerit.

fuere, possessionem malæ fidei pro peccato mortali habere debuerit, nec fine Juris canonici salvo, mala fides superveniens in præscriptione tolerari potuerit. Utrumque probatu haud difficile, modo principiorum Theologiæ Scholosticæ non fueris ignarus, quam cum *Petrus Lombardus* seculo undecimo in ordinem redegerit & *Thomas Aquinas* seculo duodecimo, quo vixit *Innocentius* III. exposuerit, dubitandum non est, quin huic familiaris fuerit. Constat vero Pontificiis peccatum mortale a veniali ita distingui, ut illud de se inducat reatum pœnæ æternæ, hoc vero non item. Ob peccatum adeo mortale homo damnatur, nisi eidem remittatur: non vero remittitur, quamdiu in eodem perseverat. Jam in numero peccatorum mortalium est peccatum contra conscientiam, quando nimirum quis novit aliquid esse illicitum & hoc tamen non obstante idem facit. Unde peccatum contra conscientiam erroneam, de quo loquitur Paulus, stantibus hisce principiis utique mortale est. Etenim qui per errorem judicat aliquid esse illici-

tum, & hoc tamen non obſtante idem facit, idem utique faceret, etiam ubi non erraret, adeoque quoad ipſum perinde eſt, ac ſi noſſet eſſe illicitum & hoc tamen non obſtante faceret. Mortaliter itaque peccat. Jam qui mala fide poſſidet, is novit rem, quam poſſidet eſſe alterius, adeoque eam injuſte a ſe detineri, cum per legem naturæ alteri reſtituere debeamus quod ſuum eſt, & hoc tamen non obſtante eam detinet nec alteri reſtituit, immo nunquam reſtituendi animum habet. Detinet igitur rem alterius contra conſcientiam, adeoque mortaliter peccat, conſequenter poſſeſſio malæ fidei peccatum mortale eſt. Ecquis non videt *Innocentium* vi hypotheſium ſuarum non potuiſſe non poſſeſſionem malæ fidei in numerum peccatorum mortalium referre. Quamprimum adeo mala fides ſupervenit, hoc eſt, quamprimum quis convincitur, ſe poſſidere rem alterius, nec reſtituendi animum habet, in peccatum mortale incidit, adeoque periculo damnationis æternæ ſeſe exponit. Et quamdiu poſſeſſio malæ fidei continuatur, poſſeſſor in

 pec-

peccato mortali perseverat, immo quamdiu animus ipsi non est rem a se injuste detentam domino suo restituendi, tamdiu in peccato mortali perseverat, adeoque damnationis æternæ obnoxius manet. Hæc omnia manifesta sunt secundum hypotheses Pontificis, ut de iis nullum ipsi dubium superesse potuerit. Atque ita probavimus primum, quod probandum erat. *Innocentius* cum probare non posset, hominem in peccato mortali adeoque eo in statu constanter perseverare, quo damnationis æternæ obnoxius est; nec jus civile probare potuit, quod malam fidem supervenientem admittit in præscriptione, cum ex ipsius mente hic modus præscribendi observari non possit, nisi permittatur, ut quis perpetuo in peccato mortali perseveret. Jam Jus canonicum civium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit (i), atque adeo in eo a civili differt, quod non tantummodo honestatem æternam respiciat, quemadmodum Jus civile, verum etiam conscientiæ rationem habeat.

(i) *Lancelottus* in Instit. J.C. lib. 1. tit. 1.

habeat. Quamobrem cum possessio malæ fidei sit peccatum mortale atque adeo possessorem æterna beatitudine privet per modo dicta; ea nunquam hoc jure permitti, consequenter nec mala fides superveniens in præscriptione tolerari potuit. Unde in capitulo nostro disertis verbis infertur: oportet ut qui præscribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. Atque ita alterum quoque probavimus, quod erat probandum. Utroque autem sufficienter probato, evidens est, Pontificem reprehendi minime posse, quod conscientiæ prætextu jus civile inutiliter immutaverit. Nemo enim ab eo requisiverit, ut aliter statuerit, quam ex principiis theologicis tunc temporis receptis & probatis. Alia vero quæstio est, num secundum principia Theologorum Protestantium mala fides superveniens in præscriptione tolerari possit; alia quoque est, num possessio malæ fidei supervenientis in tantum periculum animæ conjiciat hominem, quantum visum Pontifici. De neutra harum jam disquirimus: neque enim nobis jam sermo est de capituli

veritate, sed tantum de genuino ejus sensu & ratione a Pontifice allegata, utrum ea sit ad rhombum, nec ne, hoc est, num Pontifex ex dicto Pauli stantibus hypothesibus suis legitime ratiocinetur, ut nullo judicii defectu argui ideo possit, consequenter hoc exemplum perperam allegetur ab iis, qui rationes Juris Canonici exagitare solent. Fecimus igitur, quod nostrum erat, dum evicimus Pontificem ex hypothesibus suis legitime fuisse argumentatum.

§. 5.

An fides Apostoli & bona fides Ictorum denotent rem eandem.

Quodsi quæsiveris, utrum bona fides Jctis eodem sensu accipiatur, quo fides Apostolo; citra hæsitationem respondemus, id nec necesse esse, ut salvetur ratiocinium capituli, nec ita visum Pontifici. Vidimus supra Pontificem vocabulum fidei in dicto Apostoli sumsisse pro judicio, quod licitum sit, quod facimus (§. 2), & quod philosophis conscientia dici solet. Bona fides Jctis dicitur (k) sincera conscientia

(k) Simon Schardius in Lexico Juridico.

entia unumquemque certo excusans de ignorantia rei alienæ, quam vel tradit alteri, vel accipit ab alio. Apostolus igitur vocabulum fidei secundum genium linguæ Græcæ latiori in significatu; JCti vero vocabulum bonæ fidei in sensu strictiori sumunt. Præterea notio Apostoli primario refertur ad actionis moralitatem ex opinione agentis; notio autem JCtorum ad dominium rei, quæ traditur vel accipitur, ex opinione tradentis vel accipientis. Non adeo unus idemque est fidei significatus Apostolo atque JCtis. Notionem utramque cum penitus perspexerit Pontifex, quin diversitas significatus ipsi nota fuerit dubitandum non est. Nimis adeo pueriliter sentiunt, qui sibi persuadent, Pontificem sono vocabuli delusum fidem salvificam cum bona fide JCtorum, adeoque res toto cœlo diversas confudisse. Etsi autem non idem prorsus sit vocabuli significatus Apostolo & JCtis, ea tamen diversitas minime obstat, quo minus dicto Apostoli tanquam principio ratiocinandi uti potuerit Pontifex, ubi ipsi cum bona fide JCtorum negotium fuit.

 Ecquis

Ecquis enim hanc ratiocinantibus legem ſcripſit, ut ad probandam propoſitionem non utantur principio, in quo vocabulum aliquod, quod in illa extat, alio ſignificatu ſumitur , quam in iſta propoſitione? Veritas enim non a vocabulis, ſed a notionibus pendet. Equidem non probant leges methodi, ut in una eademque diſciplina unum idemque vocabulum in diverſa accipiatur ſignificatione: inde autem non ſequitur, quod, ſi ad principia extrinſeca recurrendum, non asſumi posſint principia, in quibus terminus aliquis in alio ſignificatu accipitur. Immo acumen judicii probat, ſi quis iſtiusmodi principiis rite utatur, quando iisdem habet opus, ut non obſtet æquivocatio, quo minus probe ratiocinetur, quemadmodum fecit Pontifex. Ceterum hoc exemplo docemur, quam ſit necesſe rationes, quibus veritas theſium adſtruitur, evolvi, quemadmodum poſtulat methodus demonſtrativa, ut ab omnibus vis probandi percipiatur, & a temerariis judiciis ſibi temperent acumine deſtituti.

III.

De Notione Corporis.

Pars altera.

§. 1.

Cum nuper (a) in notionem corporis via analytica inquireremus; ex phænomenis deduximus ad eandem requiri extenſionem, vim inertiæ atque vim motricem, quæ ſimul in corpore tanquam in ſubjecto admittenda, ut phænomenorum ratio ſufficiens inde reddi posſit. Vidimus præterea notiones extenſionis, vis inertiæ atque vis motricis non esſe primitivas, ſed in alias ſimpliciores reſolubiles. Immo vidimus corporum elementa, unde oriuntur, esſe ſubſtantias ſimplices, atque in iis, tanquam phænomenorum fonte, reperiri debere rationes ſufficientes, cur corpora ſint extenſa, cur extenſum ſit imbutum vi inertiæ & cur inſit corporibus vis motrix. Rationem cum nuper reddere non posſemus ob ſpatii angusti- *Inſtitutum Autoris.*

(a) Trim. brum. anni ſuper. n. IV.

gustias, nos id proxime facturos esse promisimus. Agedum itaque! liberemus fidem nostram! Monui jam nuper in Cosmologia nos quæ huc spectant jam synthetica methodo proposuisse; hic vero via analytica rationes istas perscrutandas esse, qua in ipsam corporis notionem inquisivimus. Promissi igitur memores ea via constanter incedemus.

§. 2.

Quo sensu materia & vis motrix dicantur phænomena.

Quodsi ergo ad extensum animum advertimus, eidem figuram inesse deprehendimus, quatenus limitatum est, & figuram in eodem extenso diversimode variari posse observamus, extensione atque hinc pendente magnitudine salva. Extensio itaque cum sit constans quædam determinatio, diversimode modificabilis, supponit subjectum, cui inest, perdurabile & modificabile, adeoque substantiam aliquam, de qua prædicatur (b). Atque inde est quod *Cartesiani* ipsam extensionem substantiam corporum esse contendant.

(b) §.768. Ontol.

dant. Vis inertiæ per extenſum æqualiter diffuſa nec ullam ſubit mutationem, quamdiu extenſum non augetur, vel minuitur. Quamobrem cum vis inertiæ conſtans quædam determinatio ſit, extenſionis ſocia; peculiare non requirit ſubjectum, cui inhæret. Atque ideo extenſio & vis inertiæ tribuuntur materiæ tanquam eidem ſubjecto & materia pro ſubſtantia venditatur. Immo *Carteſianis* materia & corpus ſynonyma ſunt, quæ tamen nos a ſe invicem diſtinguimus & diſtingui debere ex iis patet, quæ nuper de notione corporis diximus, cum præter materiam ad corpus quoque requiratur vis motrix, ſeu ſtylo ſcholæ forma ſubſtantialis. Porro de vi motrice jam nuper (c) evicimus, quod ſit perinde ac materia ſubjectum perdurabile & modificabile, ideoque ab *Ariſtotele* formæ ſubſtantialis nomine fuerit compellata. Videtur itaque corpus ex duabus conſtare ſubſtantiis, nimirum materia, extenſionis ac vis inertiæ ſubjecto, & vi motrice primitiva, quarum una alteram permeat.

(c) Trim. brum. A. 1730. n. IV. §. 6. 7.

meat. Enimvero cum hujus permeationis nullam habeamus notionem, multo minus actionis vis motricis in materiam; dubitandi hinc nascitur ratio, utrum ea, quæ ex phænomenis colligimus, revera ita sese habeant, an vero tantummodo appareant, quamdiu corporis determinationes intrinsecas nonnisi confuse percipimus. Monuimus enim jam nuper nos eas nonnisi confuse percipere & omnes sane difficultates, quæ ex eo consequuntur, si materiam & vim motricem pro duabus substantiis diversis se invicem permeantibus habeamus, abunde loquuntur, nos extensionem, vim inertiæ & vim motricem nonnisi confuse percipere, quamdiu in iis acquiescimus, quæ sensui accepta ferimus: confuse enim percepta aliter apparent quam sunt & hinc cum pro talibus habeantur, qualia apparent, in difficultates inextricabiles, immo manifestas contradictiones nos conjiciunt. Sume e. gr. solis figuram esse disceam, quemadmodum visus insinuat. Ubi ex motu macularum collegeris motum vertiginis solis; manifesta hinc enascetur contra-

tradictio, scilicet quod circulus circa diametrum in gyrum actus oculo immoto constanter instar circuli apparere debeat. Confuse percepta phænomena dicimus (d), quo sensu phænomena dicimus colores, aliasque qualitates sensibiles, ipsam etiam gravitatem & vim attractricem universalem materiæ, siquidem sufficienter probari possit. Eodem igitur sensu materia quoque & vis motrix seu forma substantialis scholæ phænomena dici debent. Atque ea de causa ex simplicibus substantiis tanquam phænomenorum fonte horum quoque phænomenorum reddenda ratio est.

§. 3.

Differentia ab aliis phænomenis. Hæc tamen phænomena ab aliis differunt. Etenim cum phænomena alia, veluti colores & ceteræ qualitates sensibiles, per modum accidentium concipiantur, quæ subjecto inhærent, ex adverso materia & vis motrix, quemadmodum modo vidimus (§. 2), per modum substantiarum concipiendæ sunt. Quamobrem cum *Aristoteles* sub-

(d) §. 225. Cosmol.

ſubſtantiale dixit, quod ſubſtantiæ inſtar concipi debet, etſi talis non ſit, dum formas ſubſtantiales appellavit principium corporum activum, quod ipſis quidditatem ſuam largitur (e); eum imitati materiam & vim motricem phænomena ſubſtantiata dicimus (f). Præterea phænomenorum ceterorum, quæ inſtar accidentium concipiuntur, rationes petuntur ex aliis phænomenis & tandem ex ſubſtantiatis; aſt ſubſtantiatorum ratio immediate ex ſimplicibus petenda, quemadmodum abunde perſpectum eſt iis, qui in philoſophia naturali fuere verſati, & per ea, quæ iſtis inſunt, intelligibili modo explicanda veniunt, phænomena hæc fundamentalia.

§. 4.

Notio directrix in investiganda rationem determinationum intrinſecarum corporis.

Ratum igitur eſt, extenſionem & vim inertiæ, ſive materiam, atque vim motricem, ſive formam ſubſtantialem, non aliter a nobis percipi quam colores ac alias qualitates ſenſibiles, conſequenter vi intellectus ubi concipiuntur.

(e) Hor. ſubſ. loc. cit. §. 7.
(f) *Cosmol.* §. 299 & 300

tur, alias prorsus podire notiones, per quas intelligatur, quid in imaginibus istis involvatur. Confusæ perceptiones ut rite evolvantur, ex Psychologia rationali repetendum (g) ideas sensuales esse similes objecto, quod repræsentant, & hinc, dum sentimus, animam sibi repræsentare substantiarum simplicium determinationes intrinsecas, sed in unum confusas (h). Ad hanc enim similitudinem ubi animum advertimus, quomodo prodeant ideæ confusæ extensionis, vis inertiæ, atque vis motricis palam fiet. Ista igitur similitudo idearum sensibilium cum sensibilibus notionis directricis vice fungitur in investiganda ratione intrinsecarum determinationum corporis. *Cartesius* similitudinem istam non agnovit, sed perceptiones confusas ex solo Dei arbitrio mutationibus ab objectis sensibilibus in organa sensoria impressis respondere voluit: unde ideas qualitatum sensibilium pro primitivis habuit atque simplicibus, neque adeo animadvertit extensionis, vis motricis ac vis inertiæ

(g) §. 91. (h) §. 98.

ideas in alias resolubiles & ab altiori principio deducendas esse. Agedum itaque! similitudine ista utamur tanquam fida duce: ita enim ad interiorem corporis rationem propius accedemus.

§. 5.

Ratio extensionis. Dum extensum percipimus, multitudinem nobis repræsentamus in unitate, adeoque idea extensionis supponit plurium coëxistentiam & unionem, unde continuitas in extenso resultat (i). Corpora sunt elementorum aggregata (k). Unde cum perceptio animæ sit rei perceptæ similis seu idea similis suo ideato; anima corporum extensionem sibi repræsentans non potest sibi repræsentare nisi elementa, quibus aggregatis corpus constituitur. Hæc elementa cum singula sint inter se dissimilia (l), cum alias in aggregatis seu corporibus nulla esset diversitas; plura quoque illa ab anima repræ-

(i) Hor. subs. A. 1730. trim. aut. n. IV. §. 5. conf. §. 548. & seqq. it. §. 566. Ontol.

(k) §. 176. Cosmol.

(l) §. 195. Cosmol.

repræsentari debent tanquam diversa. Unde idea extensionis involvit plurium a se invicem differentium coëxistentiam. Enimvero elementa rerum visu ne quidem armato distinguere valemus, cum observationibus microscopicis testibus ne quidem corpuscula mixta, veluti in metallis, oculo optime amato distinguere valeamus. Quamobrem cum anima per essentiam suam sibi repræsentet corpora convenienter mutationibus, quæ in organis sensoriis contingunt (m); clare & distincte singula elementa sibi repræsentare nequit, sed ea inter se confundit. Unde cum nihil diversitatis clare, nec unitates numerum ingredientes sigillatim percipiantur: in idea extensionis remanere nil quicquam clari potest nisi pluralitas & diversitas indeterminata. Atque adeo patet quomodo notionem extensionis ingrediatur notio multitudinis seu pluralitatis indeterminatæ atque præterea diversitatis notio abstracta. Jam elementa ad corpus constituendum concurrentia ita aggregantur, ut

(m) §.66. Psychol. rat.

inde prodeat corpus unum. Quamobrem vi similitudinis idea cum ideato elementis quoque inesse debet, quod confuse perceptum notionem unionis invehit notioni extensionis. Elementa rerum materialium omnia inter se connexa sunt (n), quatenus scilicet mutationum omnium, quæ in uno elemento contingunt, ratio reddi potest ex mutationibus, quæ in altero contingunt (o). Quemadmodum vero elementa singula clare atque distincte percipere non possumus, ita quoque eorum nexum per determinationes intrinsecas explicabilem clare atque distincte percipere non valemus. Perceptio igitur hujus nexus nonnisi confusa est & quatenus eundem confuse percipimus, unionis notio in ideam extensionis invehitur. Jam elementa omnia a se invicem differunt, nec duo reperiuntur in toto universo, quæ similia prorsus sint, ita ut unum salvo nexu in locum alterius surrogari possit. Quamobrem si ponas statum elementi

(n) §. 204. Cosmol.
(o) §. 209. Cosmol.

menti A explicabilem esse per statum elementi B, impossibile est ut aliud inveniri possit elementum præterquam B, ex quo intelligi possit, cur præsens status elementi A talis potius sit, quam alius. Atque adeo elementum A & B ita invicem coëxistunt, ut alia intermedia salvo eorum nexu coëxistere nequeant: quod cum in toto elementorum aggregato ita sese habeat, certus quidam coëxistentiarum ordo nascitur, vi cujus inter binas quascunque alia existentia intermedia excluditur. Vi similitudinis ideæ cum ideato in idea extensionis quidpiam quoque adesse debet, quod huic coëxistendi modo respondet. Et quia modus ille coëxistendi distincte percipi nequit, propterea quod statum internum elementorum distincte non percipimus; confusa quædam perceptio modi coëxistendi elementorum respondere debet. Remanet igitur nonnisi notio indivulsionis hujus nexus, quam continuitatem dicimus. Atque adeo continuitas confuse repræsentat

(n) §. 204. Cosmol.
(o) §. 209. Cosmol.

modum unionis elementorum ac resultantium inde partium, & distincte explicatur per alias imagines simpliciores continuum, quod partes eo ordine se invicem excipiant, ut alias inter ipsas ordine alio interponi impossibile sit, ut continuitas dicatur excludere existentiam partis intermediæ diversæ inter duas datas sibi proximas possibiles (*p*). Patet adeo quomodo idea extensionis & cum eadem cohærens idea continuitatis in anima nascatur, & cur ideæ isti tales insint determinationes, quas prodire deprehendimus, ubi eam in alias ideas simpliciores resolvere studemus. Atque ita abunde intelligitur, ideam extensionis & continuitatis, quam vulgo habemus, alia prorsus repræsentare, quam apparent, quemadmodum ideæ colorum alia prorsus repræsentant, quam per imagines eorum, hoc est, confusas perceptiones apparet. Quodsi ergo elementorum singulorum status internos per se invicem explicabiles distincte perciperemus, alia prorsus prodiret

re-

(p) §. 554. Ontol.

rerum facies, quamquæ imagine extensionis ac continuitatis nobis obvertitur. Aſt quamdiu diſtinctam ſtatus interni elementorum notionem non habemus, nec ea, quæ ideam extenſionis & continuitatis ingrediuntur, ab imaginibus ſeparare valemus. Sufficit vero nos oſtendisſe, quod rationes altiores dentur eorum, quæ in idea extenſionis ac continui continentur, & quod eædem in elementis deliteſcant, immo quales ſint elementorum determinationes, in quibus deliteſcant, generaliter ſpectatæ.

§. 6.

Vis inertiæ eſt principium pasſionum, per quod nempe intelligitur, cur pasſiones tales potius ſint quam aliæ. Patitur autem corpus unum ab altero, quatenus motus inducitur: inde enim pro diverſitate mobilium mutationes conſequuntur in ſubjecto, ut rigoroſe loquendo hæ mutationes non ſint ipſæ pasſiones, ſed ab hiſce pendeant. Vi igitur ſimilitudinis ideæ cum ideato perceptio vis inertiæ repræſentare debet principium pasſionum, quod in elementis exiſtit; ſed confuſe, quod nihil *Ratio vis inertiæ.*

hil clare & distincte percipimus, quod elementis inest, consequenter in aggregato elementorum, quale corpus est, quod inest uni distinguere non possumus ab altero. Nascitur adeo idea vis inertiæ, quatenus principium passivum in elementis confuse percipimus. Non jam inquirimus, utrum passiones elementorum sint reales, an saltem ideales: neque enim ad præsens negotium spectat hæc disquisitio, cum non inquiramus in specificam harum passionum rationem, sed eo contenti simus, quod in genere constet elementa a se invicem pati. Ceterum cum principium passivum seu potentia patiendi insit singulis elementis; vis inertiæ per omnem materiam diffusa deprehenditur, & quidem æqualiter, quia unum elementum perinde patitur ab altero ac aliud quodcunque: ostendimus enim (q), statum quemlibet elementorum relationem involvere ad cetera coëxistentia omnia, ipsa etiam composita. (r). Principium passivum in elementis

(q) §. 206. Cosmol.
(r) §. 211. Cosmol.

tis deprehendi nequit, nisi quatenus mutationum ratio, quæ in uno elemento contingunt, deprehenditur in elementis aliis coëxistentibus (s). Quamobrem nec vim inertiæ in corporibus percipimus, nisi quatenus mutatio inducenda, ubi per resistentiam, qua frangitur impetus agentis, sese prodit. Confusa cum sit vis inertiæ idea nec a nobis intelligibili modo ita explicari possit, ut tota ab imaginibus separetur; experientia quoque nonnisi magistra addiscimus, quæ ad reddendam passionum rationem sufficiunt.

§. 7.

Vis denique motrix principium activum in corporibus est, per quod actiones corporum explicantur. Vi igitur similitudinis ideæ cum ideato perceptio vis motricis repræsentare debet principium activum quod est in elementis, seu vires activas elementorum, quorum aggregatione constituitur corpus. Cum elementa ista sensu ne quidem armato distinguere valeamus; nec vires activas, quæ singulis elementis insunt, clare ac distincte nobis repræsen- *Ratio vis motricis.*

(s) §. 209. Cosmol.

tare valemus. Quamobrem perceptio vis motricis nonnisi confusa est; consequenter quemadmodum *Cartesius* recte negavit, colores, quales apparent, non inesse subjectis, cum ea, quæ subjecto insunt, & confusa perceptione miscentur, alia sint ab hac imagine, quam sensus sistit; ita quoque dici non potest, tale quid, quale vis motrix apparet, inesse elementis, cum ea, quæ hisce insunt, diversa admodum a vi motrice esse debeant, quippe cujus idea demum resultat, ubi invicem permiscentur, quæ elementis insunt vires. Falluntur adeo qui vim motricem imaginantur tanquam compositum ex viribus, quæ elementis insunt, ita ut vires singulorum elementorum spectentur tanquam partes vis motricis totius corporis: quemadmodum falluntur qui sibi imaginantur extensum sive materiam ex elementis tanquam particulis componi debere. Neque enim idea vis motricis prodit homogeneorum additione, quemadmodum numerus major prodit unitatum seu numerum minorum collectione; sed plurium nobis indiscernibilium per-

mixtio.

mixtione, quomodo omnis idea confusa nascitur. Qui modum, quo ideæ confusæ oriuntur & de quo in Psychologia rationali plura diximus, perpendit; is sibi cavebit ne per imagines explicare velit, quæ ab imaginibus separanda sunt, ut intelligantur.

§. 8.

Motus qualem ideam habeamus. Ex dictis simul intelligitur, qualem motus habeamus ideam. Est nimirum ea itidem confusa, quæ nascitur permixtione longe aliorum, quam fert motus imago, elementis inexistentium. Nostrum vero jam non est inquirere, quænam sint illa quæ invicem permiscentur, cum motum tanquam a vi motrice pendentem in phænomenis consideremus. Quemadmodum vero vis motrix elementis non est, ita nec motus elementis inest; sed in numerum eorum referri debet, quæ confuse percepta imagine quadam exhibentur, quæ extra animam non datur, etsi dentur ea, quorum confusa perceptione nascitur imago in anima. Exemplum colorum, ad quod aliquoties jam provocavimus, hic quoque usum habere

potest

poteſt in illuſtrada idea motus. Etenim nec imago colorum, qualis in anima datur, ſubjecto inhæret; inſunt tamen alia diſtincte explicabilia, quemadmodum ex Phyſicis claret, quæ ſimul confuſe percepta imaginem iſtam in anima gignunt.

§. 9.

Uſus doctrinæ præcedentis. Etſi autem realia iſta, quæ inſunt elementis, ſub cognitionem noſtram non cadant, ut confuſarum idearum geneſin ſufficienter explicare valeremus, de quibus modo diximus, neq; in explicandis phænomenis ad elementa, tanquam eorum fontem, recurrere opus habeamus, cum gradum ſiſtamus in phænomenis ſimplicioribus, nec unquam phænomenon aliquod prorſus intelligibiliter explicemus; haud quaquam tamen inutilis cenſeri debet præcedens tractatio. Utilitatis enim non contemnendæ eſt noſſe, notiones eorum, quæ notionem corporis ingrediuntur, non eſſe primitivas, ſed ſupponere imagines, quæ ex confuſa perceptione realium in elementis exiſtentium oriuntur. Quamprimum enim ea quæ apparent,

parent, seu confuse percepta, cum realibus, quæ rebus insunt, confundimus; ex hoc errore inextricabiles propullulant difficultates, quales omni tempore ingenia summa circa principia generalia corporum ursisse constat. Inprimisautem hinc intelligitur mundum intelligibilem alium prorsus esse a sensibili ex imaginibus nostris compositum. Cumque idea intelligibilis detur in intellectu divino ab omni prorsus imagine separata; cognitionem universi, quæ Deo est, prorsus differre ab ea, quæ in homines cadit, inde perspicitur. Utile est hoc nosse in Theologia naturali, ne intellectui divino affingamus, quæ ab eo aliena sunt.

IV.

De Notione causæ Morbi.

§. 1.

Cum in horis hisce subsecivis de notionibus directricibus egissem (a) ostendens, notiones generales & abstra- *Institutum autoris.*

(a) Trim. Vern. 1729. n. IV. p. 310.

ſtractas uſum habere in dirigendo intellectu, ne in meditando a genuino tramite ad devia aberret, ac deinde notiones ſanitatis (b), morbi (c) & naturalis, præternaturalis & non naturalis in arte medica (d) expoſuisſem, quas notionibus directricibus in arte ſalutari annumerandas esſe palam erat; non defuere qui a me petiere, ut ceteras quoque notiones generales in Medicina evolverem. Eorum igitur deſiderio ut ſatisfaciam, placet in præſenti notionem cauſæ morbi explicare, quam in Pathologia ſubinde non ſatis diſtincte exponunt Medici. Fungitur enim vice directricis non modo in Pathologia generali, verum etiam in ſpeciali: immo uſui eſt in Diætetica, quatenus ea de morbis præcavendis agit. Utrumque ex tractatione ſequente eluceſcet.

§. 2.

De quanam cauſa Medici loquantur. In confesſo eſt apud omnes, quando in Pathologia de cauſa morborum mentio fit, cauſam efficientem intelligen-

(b) Trim. æſt. 1729. n. IV.
(c) Trim. aut. ej. a. n. IV.
(d) Trim. æſt. 1730. n. IV.

gendam esse. Immo idem patet tum ex recensione causarum in genere in Pathologia generali, tum ex causis morborum specialium, quæ in Praxi Medica seu Pathologia speciali allegantur. In Pathologia generali inter causas morborum referuntur res sex non naturales, aër, cibus & potus, somnus & vigiliæ, motus & quies, excreta & retenta, pathemata animi seu affectus. Ita iræ locus tribuitur inter causas podagræ, itemque nimio vini haustui. Ecquis vero non videt, iram & nimium vini haustum causam podagræ aliam esse non posse, quam efficientem? Fructus immaturi dicuntur causæ diarrhϾ. Ecquis vero denuo non videt, eos hujus mali causam esse non posse, nisi efficientem? Similiter causæ morbi generales in Pathologia generali enumerantur plethora, cacochymia, flatus, calculi, vermes. Ecquis vero non videt, unumquodque eorum non posse referri ad aliud causarum genus, quam ad genus causæ efficientis? Quodsi quis causas morborum specialium percurrere voluerit, similiter patebit, eas causis efficientibus

annu-

annumerandas esse. E. gr. hydropis ascitæ causa dicitur esse humor aquosus. Cum hydrops sit tumor quidam abdominis, femorum ac pedum, nonnunquam & scroti, qui ab humore aquoso ortum habet; palam est, humorem hunc aquosum non alio sensu dici causam istius tumoris, quam quatenus eundem efficit, atque adeo tanquam causam efficientem allegari. Non opus est rem satis manifestam & obviam pluribus confirmari. Necesse tamen est ut constet de quanam causa loquantur Medici, ubi notionem causæ morbi evolvere volueris. Etenim ad causam morbi applicanda veniunt, quæ de eadem in abstracto docentur in Ontologia. Quamobrem necesse est ut noris, ad quod causæ genus spectet causa morbi, ne ignores quænam ad eam applicari debeant.

§. 3.

Causa morbi notio in genere explicata.

Causam in genere definivimus per principium, a quo existentia sive actualitas entis alterius ab ipso diversi dependet, tum quatenus existit, tum quatenus tale existit (e). Quamobrem cum

(e) §. 118. Ontol.

cum morbus sit status corporis, in quo una vel plures ejus partes ad usus suos, quibus destinantur, aptæ non sunt (f); causa morbi erit principium, unde dependet actualitas illius status corporis, quo pars aliqua vel plures partes ad usus suos aptæ non sunt, & quod hæ potius partes, quam aliæ ad usus suos ineptæ sint. Principium in se continet rationem ejus, cujus est principium (g). Quamobrem in causa morbi continetur ratio illius status corporis præternaturalis, in quo functio unius alteriusve partis læditur, consequenter ex ea intelligitur, cur hæc vel illa pars ad usum suum, ad quem destinatur, inepta deprehendatur, & cur hæc vel illa potius, quam alia inepta sit. Qui ergo causam morbi distincte cognoscit, is intelligit & intelligibili modo alteri explicare valet, quomodo hæc vel ista corporis pars inepta fiat ad functionem suam obeundum & cur hujus potius, quam alterius partis functio in præsente lædatur. Et ubi demonstra-

(f) Hor. Subs. A. 1729. trim. aut. n. IV. §. 2.

(g) §. 866. Ontol.

re potes, hujus in dato casu partis functionem lædi & rem illam indigitare vales, unde læsio illa pendet, ac præterea firmiter adstruere nosti, non aliunde læsionem istam pendere, te causam morbi perspectam habere certus eris. Enimvero quando Medici de causa morbi loquuntur, ipsis de causa efficiente sermo est (§. 2). Quoniam itaque causalitas causæ efficientis in actione consistit (h); ex ejus quoque, quod causa morbi est, actione intelligitur, quomodo partis cujusdam corporis functio lædatur, seu quomodo ea ad usum suum inepta reddatur. Causa morbi cum agat in partem, quæ ad functionem suam inepta evadit; hæc ad illam se habet quemadmodum patiens ad agens. Actio dicit mutationem status, cujus ratio continetur in subjecto, quod eundem mutat (i); passio vero mutationem status, cujus ratio continetur extra subjectum, quod statum suum mutat (k), etsi in eodem contineatur ratio, cur passio in

eo

(h) §. 881. Ontol.
(i) §. 713. Ontol.
(k) §. 714. Ontol.

eo ſit posſibilis (l). Explicaturus itaque, quomodo cauſa morbum producat, conſequenter à priori demonſtraturus, quod quid morbi cauſà esſe posſit, & mutationem, quæ in agente deprehenditur, & alteram, quam ob iſtam ſubit patiens ſeu pars; cujus functio læditur, explicare tenetur. Cauſa morbi in corporum numero eſt, adeoque vi motus agit, & agendi posſibilitas, quæ potentia agendi dicitur (m), per qualitatem & quantitatem cauſæ intelligitur. Ex adverſo patiendi posſibilitas, quæ potentiæ pasſivæ fert nomen (n), per qualitates illius partis, cujus functio læditur, patet. Unde a priori demonſtraturus; hanc esſe illius morbi cauſam, & qualitates partis, cujus functio læditur, & qualitates & ſubinde quantitatem ſeu magnitudinem illius corporis ſeu materiæ, quæ morbi cauſa eſt, perſpectas habere debet. Tum enim demum perſpicere datur, quamnam mutationem parti læſæ induxerit cauſa morbi & cur propterea ad functionem

(l) §. 715. Ontol.
(m) §. 716. Ontol.
(n) ibidem.

nem suam obeundam inepta deprehendatur. Determinationes intrinsecæ, quæ quantitatem & qualitates complectuntur, partium ex Anatomia addiscuntur; quomodo per eas pars corporis ad certam aliquam functionem apta sit, in Physiologia docemur. Unde patet, in Anatomia & Physiologia satis exculta versatum esse debere, qui causas morbi a priori demonstrare aut explicare in Pathologia speciali voluerit, quomodo causa morbum producat. Ubi constiterit, quænam sit causa alicujus morbi; haud difficulter intelligitur, undenam haurienda sit notitia determinationum intrinsecarum, a quibus actio pendet quoad specificationem, quatenus scilicet ad mutationem datam parti inducendam apta. Ponamus cibum quendam assumtum esse morbi causam, qualitates ejus noxiæ ex Diætetica perspectæ præsupponuntur. Atque tum patet Diæteticam probe excoli ante debere, quam a priori explicare possis, quomodo in morbum producere potuerit. Causam a posteriori detegere certo haud raro difficile est. Ratio difficultatis

pate-

patebit ex sequentibus. Regulam investigandi causam effectus a posteriori præscripsimus, cum usum Logicæ in formandis judiciis intuitivis & notionibus a posteriori exponeremus (o). Nimirum si enti cuidam mutatio accidit, quam primum alteri jungitur; hoc alterum causam illius mutationis esse intelligimus. Si ad causam morbi applicare regulam volueris, statum præsentem corporis ac illius præsertim partis, cujus functio læditur, perspectum atque cognitum habere debes. Neque enim causa morbi talis erit, nisi in hoc statu. Quamobrem si certus esse volueris, causam a te observatam esse sufficientem, ut ejus posita actione semper ponatur effectus (p); necesse est ut eo, quem diximus, modo in demonstrationem inquiras, qua evincitur talis causæ actione partem corporis ad functionem suam ineptam effici posse. Atque adeo intelligitur, theoriam Medicam, quæ a priori demonstrat ad statum corporis

 tam

(o) §. 697. Log.
(p) §. 898. Ontol.

tam naturalem, quam præternaturalem ſpectantia, aut, ſi ita loqui ames, theoriam Medicinæ philoſophicam, Medico non esſe inutilem, ſed apprime necesſariam, ubi incrementum artis medicæ promovere & praxeos certus esſe voluerit. Quamvis enim lubenter concedamus, praxi ſatisfacere notitiam cauſæ a poſteriori acquiſitam, nec prodesſe demonſtrationes, quippe per ſe in praxin minime influentes; vidimus tamen certam notitiam rarisſime absque ea, quæ a priori eſt, haberi posſe. Quamobrem diximus, ad promovendum artis medicæ incrementum, ut ne deſit certa cauſarum morbi cognitio, facere demonſtrationem a priori, qua evincitur, cauſam talem morbum talem producere posſe. Etſi porro lubenter largiamur, ubi cauſæ morborum certæ in apricum fuerint productæ & ſuis limitibus quoad actum cauſandi accurate circumſcriptæ, ne verendum ſit te iis locum minime concesſurum falſo ratiocinio, ubi nullum habent, Medico in praxi ſatisfacere nudam illorum theorematum notitiam absque demonſtratione, quemadmo-

admodum Geodetæ ſatisfaciunt in ſua, quam colit, praxi theoremata Geometriæ, quorum demonſtrationem ignorat, & perſpicillorum atque tuborum & microſcopiorum fabris theoremata dioptrica, quorum demonſtrationem neſciunt; conſtat tamen Medicum notitia, quæ a priori eſt, minime inſtructum ea certitudine praxeos deſtitui, quæ eſt alteri illa inſtructo, nec adeo facile aberraturum in applicatione per oſcitantiam quandam iis familiarem, qui non probe excultum habent intellectum. Quamobrem diximus, notitiam illam, quæ a priori eſt, utilem eſſe Medico, ubi praxeos, quam exercet, certus eſſe voluerit. Cel. *Boerhaavius* (*q*) cauſam morbi vocat, quæ morbum præſentem facit. Ne definitione hac abutaris contra mentem viri de arte ſalutari meritisſimi, probe perpendendum quid ſit morbum præſentem facere. Idem hoc eſt ac in actualitatem morbi influere, ſeu, ſi philoſophica diſpliceat locutio, aliquid ad hoc conferre, ut corpus morbo corri-

(q) in Inſtit. medic. §. 737.

piatur, consequenter ut pars ejus aliqua inepta evadat ad functionem suam, ita ut morbus minime adesset, nisi actio illius rei in partem aliquam corporis præcessisset. Absit adeo ut definitionem ita explices, quasi causa morbi sit, cujus posita actione statim ponatur morbus ipse. Etenim tum in numerum causarum morbi non admitteretur, nisi causa efficiens sufficiens (r), consequenter nonnisi proximæ causæ conpeteret definitio, cum tamen eandem quoque convenire velit remotæ, quam huic morbo producendo nunquam sufficientem profitetur (s). Quodsi jam menti celeberrimi viri conformiter explices, quid sit morbum præsentem facere; nullum superesit dubium, quin definitioni ejusdem consentanea sint, quæ de notione causæ morbi in genere disseruimus.

§. 4.

Differentia causæ morbi externæ ac internæ. Explicata notione causæ morbi in genere, videndum nunc porro erit, quomodo Medici morborum causas divi-

(r) §. 898. Ontol.
(s) loc. cit. §. 741.

dividere soleant. Dividunt easdem in internam & externam, itemque in proximam & remotam. Remotam subdividunt in prædisponentem & procatarcticam. De singulis dicamus seorsim. Patebit enim philosophiam primam divisionibus hisce eam affundere lucem, quæ Medico ad certam causarum cognitionem adspiranti usui non minus esse possunt quam ea, quæ de notione causæ morbi in genere diximus. Causa interna est, quæ intra corpus humanum existit, causa vero externa est, quæ extra idem datur. In numerum causarum referuntur res non naturales, veluti cibus ac potus & excreta ac retenta. Quodsi cibus aliquis vel potus fuerit morbi causa, erit ea externa: est enim cibus ac potus quidpiam, quod extra corpus datur, etsi non ante noceat corpori, nisi eidem ingeratur. Enimvero si fæces alvo retentæ, quæ excerni debebant, fuerint causa morbi; erit ea interna. Similiter plethora, nimia sanguinis abundantia, intra corpus datur. Quamobrem si ea fuerit morbi causa; erit hæc denuo interna. Distinctio causæ

morbi in internam & externam intellectu facilis non prorſus coincidit cum diviſione cauſæ in genere in internam & externam, quæ in Philoſophia traditur prima (t). Cauſam enim internam dicimus, quæ internum principium eſt, actualitatis ſcilicet entis cujusdam ab ipſa diverſi, veluti hic morbi; externam autem, quæ externum eſt principium. Jam principium internum eſt, quod in principiato exiſtit; externum vero, quod extra principiatum exiſtit (u). Quamobrem cum principiatum ſit id, quod rationem ſui in altero habet; morbus, ſeu ſtatus præternaturalis corporis proprie loquendo principiatum eſt, quemadmodum cauſa morbi ejusdem principium, non vero ipſum corpus, morbi ſubjectum. Sed relinquenda utique eſt Medicis ſua loquendi libertas. Neque enim quæ modo diximus alio fine proferuntur, quam ne quis perperam in foro Medicorum applicet, quæ de diviſione cauſæ in internam & externam

(t) §. 882. Ontol.
(u) §. 880. Ontol.

nam dicuntur in Ontologia. Et ſane applicatio iſta parum cauta eſt. In phiioſophia prima enim cauſa in genere dividitur in internam & externam: in Medicina vero cauſa morbi in genere eſt cauſa efficiens (§. 2), adoque ad certam cauſarum ſpeciem ſpectat. Diviſiones autem cauſæ in genere non ſemper ad ſingulas ſpecies applicari posſunt. Quamobrem ne ulla quidem metuenda æquivocatio eſt, quæ obſtet, quo minus Medicina cum philoſophia prima connectatur, quod in philoſophia prima cauſa in genere ſpectata alio ſenſu dicatur externa & interna, quam quo in Pathologia cauſam morbi, quæ ad ſpeciem cauſæ efficientis pertinet, internam & externam appellamus. Cel. *Boerhaavius* cauſam internam definit, quod ſit illa, quæ quodammodo præexiſtit in corpore ante effectum productum: neque enim id, quod cauſa morbi interna eſt, ſtatim cauſatur morbum, quamprimum in corpore exiſtit, ſed antequam morbo quodam corpus laborare incipit, in eo jam datur. Exempli loco eſt plethora, quam esſe plurimorum morborum

rum causam in foro Medico pro comperto & explorato habetur. Enimvero non statim homo in morbum incidit, quamdiu nimio abundat sanguine, adeoque hæc causa morbi præexistit in corpore antequam effectum producit. Quod autem Medicus non simpliciter pronunciet, eam in corpore ante effectum productum præexistere, sed quodammodo præexistere affirmat; id certo utique consilio ab eo factum intelligitur. Etenim fieri potest, ut non statim ponatur in actu causandi, quam primum in corpore datur, consequenter tum causa morbi nondum est, fieri tamen potest, immo sæpe certo fiet: & ubi ponitur in actu causandi, non statim sensibiliter influit in morbum, adeoque morbus per insensibilia incrementa successive gignitur, quemadmodum naturæ solenne est, ita ut morbus demum in sensus incurrat, ubi sensibilia incrementa cepit, quemadmodum res fere sese habet in vegetatione plantarum, quas crescere non videmus, crevisse tamen observamus. Nos cum diximus causam morbi internam esse, quæ in corpore datur, no-

notionem morbi in genere ſupponimus, atque adeo ad eandem diviſionem, quemadmodum methodus jubet, referimus, conſequenter non alio reſpectu quid cauſam morbi dicimus, quam quatenus actum cauſandi exercere poteſt. Quamobrem cum in philoſophia omnia conſideremus in ſtatu posſibilitatis citra reſpectum ad ſubjectum aliquod individuum; plethora quoque cauſa morbi interna dicitur, quatenus morbos in corpore producere valet, &, dum hoc facit, in ipſo corpore exiſtit. Quando vero de ſingulari aliquo ſubjecto quæritur, num plethora, qua laborat, ſit morbi cauſa, non ante cauſam morbi dicere posſumus, quam ubi in actu cauſandi conſtituta in morbi geneſin influit. Neque hoc inſoliti quidpiam habet. Etenim cibum dicimus cauſam morbi quatenus morbum producere valet, citra reſpectum ad aliquod ſubjectum individuum, ſed utique ob actum cauſandi, qui ab eo proficiſci poteſt. Enimvero ſi quæritur num cibus aliquis ſit huic ſubjecto individuo cauſa morbi, cauſam morbi non ante dici-

mus,

mus, quam ubi actum causandi exercet. Quodsi ergo plethora absque actu causandi existit in aliquo corpore individuo, non dicetur causa morbi quoad hoc individuum & isto tempore; quamprimum vero actum causandi exercet, hoc est, in morbi genesin influit, dicenda quoque causa morbi est quoad hoc individuum. Neque vero inutilis est causæ in internam & externam divisio, immo nec inutile est nosse, quod causæ quædam internæ in corpore præexistant, antequam in genesin morbi influant. Huc enim dirigenda attentio est, quando de morbis præcavendis & curandis sermo est: internæ enim tollendæ tum ut morbus tollatur, vel ejus genesis invertatur; externæ vitandæ, ut morbus præcaveatur. Immo hinc pendet judicium utrum morbus aliquis curari vel evitari possit, nec ne.

§. 5.

Notio causæ morbi proximæ & remotæ. Videamus jam porro, quænam sit differentia inter causam morbi proximam & remotam. Causa morbi est ex numero causarum efficientium (§. 2). In philosophia prima causa efficiens distin-

diſtinguitur in remotam & proximam (x). Quamobrem dubio caret, diſtinctionem iſtam ad cauſam morbi eodem ſenſu applicari poſſe, quo ibidem traditur. In philoſophia prima docemus, ſi fuerit ſeries cauſarum efficientium A, B, C &c. ita ut B ſit effectus ipſius A, cauſa vero ipſius C & a cauſa C proficiſcatur effectus E; dicetur C effectus E cauſa efficiens proxima, B autem & A erunt cauſæ remotæ & quidem B cauſa propior quam A, A autem remotior quam B. Quodſi ergo in productione morborum idem obtinet; eodem ſenſu cauſa morbi remota erit, quo in genere dicimus remotam in Ontologia, eritque etiam proxima eodem ſenſu, quo eam ibidem vocamus. Quodſi dubites, num idem in geneſi morborum obtinere poſſit, ut ſcilicet morbus pendeat a cauſarum quadam ſerie; demus exemplum. In Pathologia generali plethora refertur in numerum cauſarum morbi. Jam vero plethora ſuas denuo habet cauſas, veluti cibi admodum nutrientis &

potus

(x) §. 889. Ontol.

potus nimiam quantitatem ſumtam. Quamobrem cauſa una morbi eſt effectus alterius cauſæ, atque adeo plethora esſe poteſt cauſa morbi proxima, cujus cibus ac potus nimia quantitate ſumtus eſt remota. Similiter inter cauſas morbi in Pathologia generali recenſentur calculi & vermes. Nemo non novit, & calculos, & vermes in corpore humano generari, conſequenter dantur eorundem cauſæ in ipſo corpore. Atque adeo ſi in ſolis cauſis internis ſubſiſtas, vermes atque calculi ſunt cauſa morbi proxima, effectus autem alterius cauſæ, quæ reſpectu morbi remota eſt. Enimvero etſi dubium nullum ſuperſit, quin cauſæ morbi proximæ ac remotæ dici posſint eo ſenſu, quem vocabulis iſtis tribuimus in philoſophia prima; nondum tamen inde conſequitur, quod eodem quoque non alio ſenſu cauſæ morbi remotæ ac proximæ dicantur in foro Medicorum, etſi nihil obſtet, quo minus quis Pathologiam cum philoſophia concatenaturus in hac quoque vocabulis eundem tribuat ſignificatum, quem ipſis tribuimus. Immo ſi vel maxime alius ibidem

dem obtineat significatus, rem ipsam tamen, quam nos vocabulis istis indigitamus, admittere tenentur Medici, immo necesse est, ut animum advertant ad hanc causarum subordinationem, vi cujus alia effectui propior existit, alia ab eodem remotior est, ubi de morbis præcavendis ac tollendis quæstio incidit. Præcaventur enim morbi, si a corpore arceantur causæ remotæ; tolluntur, si causæ tollantur proximæ. Agedum vero! videamus, quo sensu Medici causas morborum in proximam & remotam dividunt. *Sennertus* (y) causam proximam definit per eam, inter quam & morbum nihil intercedit: remotam vero dicit, inter quam & effectum alia causa propior intercedit. In serie causarum A, B & C, in qua sequens est effectus proxime antecedentis, inter effectum & causam C, quam nos proximam dicimus, nulla alia intercedit, adeoque C & juxta *Sennertum* proxima est. Similiter inter causam B & effectum datur alia propior, nempe C, adeoque & juxta

L eun-

(y) in Instit. lib. 2. c. 1.

eundem B causa remotior est. Et eodem modo patet, etiam juxta eundem A esse causam remotiorem. Illud quoque ad notinem causarum remotarum & proximarum quadrat, quod monet *Sennertus*, non raro longam causarum seriem sese consequi. Enimvero si verba Medici attente consideres, diffitendum non est, in foro Medicorum causæ remotæ & proximæ significatum esse laxiorem, ita ut quam nos remotam dicimus, veluti species contineatur sub ea, quam remotam Medici appellant. Etenim si remota causa ea est, inter quam & effectum alia causa propior intercedit; remota etiam causa dicenda venit ea, quæ antecedit proximam, & in genesin morbi influit, mutationem quandam inducendo organo, cujus usus vi morbi tollendus, utut proxima sese ad eam non habeat per modum effectus. Atque in hoc significatu laxiori causam remotam accipi a *Sennerto*, ex earum subsequente in procatarcticas & prædisponentes subdivisione patet: de qua mox plura dicemus. Nimirum synonyma ipsis sunt causa remota & mediata, atque pro-

proxima & immediata: quæ tamen a nobis distinguuntur. Causam mediatam & immediatam eo modo explicamus, quo *Sennertus* causam remotam & proximam distinguit. Est enim nobis causa efficiens immediata, cui effectus continuus est. Quamobrem cum effectum continuum agnoscamus, quando inter eum & causæ actionem nulla alia causa principalis interponitur; causa efficiens immediata erit, inter quam & effectum nulla alia causa principalis intercedit, quemadmodum vult *Sennertus*. Quando enim causam in genere appellat, causam efficientem principalem, quæ instrumentali opponitur, utique intelligit. Ex adverso itaque causa efficiens mediata nobis est, cui effectus non est continuus, consequenter inter cujus actionem & effectum alia causa principalis intercedit, quemadmodum habet *Sennertus*. Quemadmodum vero ostendimus (z) causam efficientem proximam esse quoque immediatam & remotam mediatam; ita quoque docuimus, non

(z) §. 912. 913. Ontol.

omnem causam immediatam esse proximam, cum proxima supponat remotam, a qua tanquam effectus dependet. Dicendum itaque *Sennertum* & qui cum ipso faciunt a causa immediata proximam, a mediata remotam non satis distinxisse, propterea quod ad nexum rerum non adverterint satis animum, quatenus is in morborum genesi attendendus: quod enim quodammodo animo ejus obversatus fuerit, cum de causæ divisione in remotam & proximam ageret, ex iis, quæ jam antea adduximus, verbis constat, quod scilicet in aliquibus morbis non raro longa causarum series sese consequatur, sub qua serie, quin etiam comprehendat eam, in qua causa sequens ab antecedente per modum effectus dependet, dubitari nequit. Facile gitur *Sennertus* cum nobis in concordiam reducitur. Cel. *Boerhaavius* (a) causam proximam appellat totam illam simul, quæ totum jam præsentem immediate constituit morbum: remotam vero illam, quæ corpus ita immutat,

(a) in Instit. §. 740. 741.

tat, ut aptum sit suscipere morbum, si adhuc alia accesserit. Quin causa proxima ipsi sit ea, quam immediatam appellamus, nemo non videt. Quid enim aliud est totum morbum jam præsentem immediate constituere, quam morbum tanquam effectum actioni causæ morbi continuum esse, ut inter morbum & actionem hujus causæ nulla alia causa principalis intercedat? Enimvero causa remota, quam vocat, nec remota, nec mediata est sensu philosophico, sed concausa. Etenim cum causa, quæ dicitur, remota corpus ad morbum suscipiendum aptum reddat, si adhuc alia accesserit, & ambæ junctæ, quemadmodum additur, faciant causam proximam, illa vero sola non sit unquam integra causa, nec sufficiens illi morbo producendo: ecquis non videt, morbum hic tanquam effectum pendere a pluribus causis, quarum singulæ solæ eidem producendæ non sufficiunt? Sunt igitur causæ istæ concausæ in genere causarum efficientium insufficientium (b).

 Quod-

(b) §. 885. 897. Ontol. & §. 2. sup.

Quodsi desideres, ut divisioni causarum morbi cum philosophia prima consentienti insit veritas ex principiis ejus demonstrabilis; poteras causas, quæ proximam antecedunt, *concausas antecedentes* appellare. Ita enim in morbum influere intelliguntur, ei tamen producendo non sufficiunt solæ: quod quot modis fieri possit, earum subdivisio docet. Et hæc ad id sufficiunt, ut notioni insit vis directrix, ne in scrutandis morbi causis insufficientem pro sufficiente amplectamur. Quodsi vero terminum causæ morbi receptum retinere & cum philosophia prima in concordiam reducere volueris; definire eam poteris per concausam, quæ causam proximam antecedit. Ita nihil decedit vi directrici, quam ex philosophia prima recipit notio, & nihil in dictione in gratiam philosophiæ primæ immutandum. Atque hoc nobis maxime probatur, qui innovationem terminorum in eo, quo evitari poterat, casu damnamus, utpote confusionem in disciplinas invehentem, quæ multis modis nocere deprehenditur.

§. 6.

§. 6.

Causa morbi, quæ vulgo remota dicitur, dividitur in procatarcticam & prædisponentem. *Procatarctica* dicitur etiam προφάσεις seu *Occasio*. Hanc causam definit *Sennertus* (c) per eam, quæ latentes in corpore causas excitant & movent, & ita quidem ut manifeste ad sensum evidenter corpus nostrum afficiant. Ponamus aliquem mœrore incidere in melancholiam, vel prorsus in amentiam aut furorem. Quoniam hunc non semper experimur tristitiæ ingentis effectum, melancholia, amentia & furor ab ea causa sola proficisci nequit. Necesse igitur est, ut corpus jam alia de causa ad melancholiam, amentiam vel furorem ita sit dispositum, ut tristitia accedente morbus hic cerebri producatur. Quamobrem mœror animi seu ingens, quo quis affligitur, tristitia causa procatarctica est. Quodsi supponas esse in corpore rem quandam, qualiscunque tandem ea fuerit, quæ juncta mœrori effectum tam noxium producere potest, *Notio causæ procatarcticæ.*

(c) loc. cit. §. 734.

nec a mœrore ſolo, nec ab ipſa ſola producendum, ſive mœror cauſam iſtam quocunque modo in actu cauſandi conſtituat, ſive ſocias vires præſtet, ſeu quocunque modo una cum altera illa cauſa is in morbum influat; dicetur etiam hoc ſenſu mœror ſeu ingens triſtitia cauſa melancholiæ, amentiæ, furoris procatarctica aut, ſi mavis, ejusdem occaſio. Ponamus cibum aliquem ventriculo ingeſtum non nocere corpori, accedente autem potu vel cibo altero excitari diarrhœam vel dyſenteriam; erit potus vel cibus alter dicendus diarrhœæ vel dyſenteriæ cauſa procatarctica. Apparet adeo cauſam procatarcticam influere quidem in geneſin morbi, ſed per ſe non aptam eſſe ad eundem producendum. Nimirum vel ſupponit aliquam mutationem jam antea ab aliis cauſis parti cuidam corporis inductam, vel cauſam aliquam, quam immutat & hac ipſa immutatione in actu cauſandi conſtituit, vel cui vires ſuas conjungit, ut, quod ſeparatis fieri non poterat, conjunctis fiat. Atque hinc colligitur, cauſas procatarcticas omnes non eſſe unius ejusdemque generis, ut adeo laxiori

ſenſu

ſenſu fieri debeat interpretatio verborum *Sennerti*, quando affirmat, cauſas procatarcticas excitare & movere latentes in corpore cauſas. Alias enim ſi ſtricte verbis inhærere velis, facile tibi perſuadebis cauſam procatarcticam tantummodo dicendam eſſe, quæ aliam internam immutat eamque in actu cauſandi conſtituit, vel cum alia cauſa interna jam antea præſente, vires ſuas conjungit ad producendum effectum virium nonniſi combinatione obtinendum; nequaquam vero in eundem cenſum quoque venire cauſam, quæ nocet parti alia jam de cauſa mutationem quandam paſſæ, cum *Galenus* ad mentem prorſus *Hippocratis* diſerte pronunciet (d), cauſas procatarcticas ſuapte natura vehementem morbum producere non poſſe, ſed, ſi in corpus ad morboſam affectionem paratum & morboſam παρασκευὴν habens incidant, illud in morbum conjicere & Cel. *Boerhaavius* affirmet, (e) cauſam procatarcticam ſolis nocere prædiſpoſitis, ut fiat talis morbus. Et idem omnino tenendum eſt de defini-

(d) apud Sennertum loc. cit.
(e) loc. cit. §. 743.

finitione *Boerhaaviana*, quod causa procatarctica sit ea, quæ accedit remotæ, eamque excitat, ut morbum faciant simul. Nimirum si ea, quæ definitionibus subjiciuntur, cum iisdem consentire debent, triplex omnino influendi modus causæ procatarcticæ, quem indicavimus, admittendus erit. Erit adeo causa procatarctica, quæ cum per se in corpore sano morbum producere non possit, eundem tamen producit, quatenus agit in corpus per alias causas ad morbum jam dispositum, vel causis aliis in corpore jam existentibus vires eum producendi largitur: quod posterius duplici quemadmodum diximus, modo fieri posse intelligitur, vel mutationem inducendo causæ, ut jam ad morbum producendum apta sit, vel vires suas cum viribus causæ alterius internæ conjungendo, ut prodeat actio ad producendum effectum idonea, qualis a causa ista sibi relicta proficisci nequit. Causæ procatarcticæ manifestæ sunt & facile hinc observantur, immo hactenus per solas observationes innotuerunt. Quoniam tamen etiam aliæ causæ sunt manifestæ, quæ procatarcticæ non

non ſunt; igitur tenendum eſt, quomodo cauſa procatarctica ab alia cauſa manifeſta diſcernatur. Cauſa manifeſta ea eſt, ad cujus præſentiam ſtatim ſequitur morbus, ita ut dubitari non poſſit eidem morbum tanquam effectum tribuendum eſſe. Quamobrem procatarctica eſſe intelligitur a poſteriori, ubi eadem poſita non tamen in diverſis ſubjectis ponitur vel morbus idem, vel morbus aliquis. Etenim ſi alia cauſa manifeſta morbi ponitur, quæ procatarctica non eſt, nocebit ea ſingulis ſubjectis eodem modo. Cum enim cauſa procatarctica ſupponat corpus vel in ſe, vel præſentia alicujus cauſæ ad morbum diſpoſitum; non nocet niſi prædiſpoſito, conſequenter non omni: aſt cauſa morbi alia cum nullam præſupponat ad morbum diſpoſitionem, nocere debet corpori omni, etiam ſano. Quodſi a priori judicare volueris quænam cauſa data ſit procatarctica, neceſſe eſt, ut eam intime habeas perſpectam, utque præterea cognita tibi ſit natura morbi, cujus eſt cauſa. Etenim ubi per ea, quæ in notione cauſæ comtinentur perſpicere nondum potueris,

quo-

quomodo morbus in corpore ad ejus præsentiam fuerit ortus; ab ea sola immediate morbum non pendere animadvertis, consequenter eam morbi nonnisi procatarcticam causam esse intelligis. Determinata autem causæ procatarcticæ cognitio tum demum habetur, ubi noveris, qualem dispositionem in corpore præsupponat, ut causæ locum subeat. Atque hac opus est, ubi morbum inde oriturum certo prævidere, consequenter certas morbos præcavendi regulas præscribere volueris, quas nunc tantummodo probabiles esse nemo non novit. Est autem regularum certarum vis major, quam probabilium, propterea quod vi evidentiæ per se influant in appetitum, ratione appetitui sensitivo reluctante, cum ex adverso regulæ probabiles exemplorum contrariorum numero infirmentur, ut, rationibus, quibus movetur appetitus sensitivus, facile cedant, nisi magna sit vis præjudicii autoritatis, qua creditur artifici in arte sua. Accedit, quod regulis probabilibus annumerari possint, quæ sunt a veritate alienæ, ut adeo sanitati minime proficuam

cuam commendent abstinentiam, subinde prorsus noxiam. Omni adeo studio contendendum erat, ut determinatas causarum morborum procatarcticarum acquireremus notiones.

§. 7.

Causa prædisponens dicitur a *Galeno* (f) dispositio, quam sequi seu a qua generari morbus aptus est. Vocatur nomine græco προηγυμένη. Talis est plethora, quippe quæ morbum non actu producit, sed corpus ad morbum disponit, ut accedente causa alia generari possit. Convenientius forsan dici poterat, causas prædisponentes esse causas, quæ corpus ad morbum generandum aptum efficiunt, aut, si mavis, mutationem quandam inducunt, ut accedente jam alia causa in morbum incidere possit, quem alias eadem producere minime poterat. Atque hujus causæ ambitus latius mihi patere videtur, quam vulgo statuitur. Etenim Medicis causæ prædisponentes tantummodo internæ sunt, atque adeo potissimum ad fluida referuntur & res toto genere præter naturam, seu quæ totæ præternaturaliter *Notio causæ prædisponentis.*

(f) Artis Med. c. 88.

ter in corpore generantur, veluti calculi & vermes. Veteres nimirum in morbis magis ad fluida, quam solida respexere. Sed impossibile non est, ut etiam partibus solidis, immo & fluidis a causa quadam externa inducatur quædam mutatio, vi cujus disponitur ad morbum quendam alia causa accedente suscipiendum, sive mutatio ista sit effectus permanens, sive transiens. Atque tum causa illa externa prædisponentium numero non inutiliter accensetur. Sane quemadmodum morbi prædisponentes causæ internæ ideo cognoscendæ, ut, iis tempestive sublatis, morbi antevertantur; ita externas nosse prodest, ut præcaveantur. Quodsi tamen vocabulo ex reverentia antiquitatis vim inferre nolueris, & causas illas externas, quæ dispositionem morbificam corpori inducunt, causis insufficientibus annumerare volueris; per nos quidem licet, modo eas non prorsus insuper habeas cum Diæteticæ detrimento. Causarum vero prædisponentium, præsertim externarum, si eas huic generi accensere velis, observatio sæpius difficilis, tum quod ante morbum in corpore lateant, ubi in-

ternæ

ternæ fuerint, tum quod externarum effectus, quatenus morbificus est, seu dispositio morbifica corpori inducta non æque patet, nec a priori ante agnoscitur, quam ubi simul vim causæ morbificæ accedentis perspexeris.

§. 8.

Equidem non ignoro non deesse hodie aliquos, qui contemtu Metaphysicæ omnem doctrinam generalem de morbis ex Medicina eliminandam esse contendunt: verum hi sunt, qui notionum directricium utilitatem minime perspiciunt, quam in inveniendo & demonstrando afferunt. Quamobrem commendamus iis ut legant, quæ de his notionibus alibi (g) docuimus. Quodsi methodi compotes causarum investigationem & propositionum determinatarum de causis morbi demonstrationem ipsimet tentaverint; quam sint necessariæ generales istæ causarum morbi notiones, ipso opere experientur. *Epilogus.*

FINIS Trimestris brumalis.

CON-

(g) Trim. vern. A. 1729. n. IV.

)o(

CONSPECTUS
TRIMESTRIS BRUMALIS.

I.

II.

III.

IV.



HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES
ANNI M DCC XXXI,
QUIBUS
PHILOSOPHIA
AD
PUBLICAM
PRIVATAMQUE UTILITATEM
APTATUR.

AUTORE

CHRISTIANO WOLFIO,
POTENT. SUECORUM REGIS, HASSIÆ LANDGRAVII, CONSILIARIO REGIMINIS, MATHEMATUM AC PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PRIMARIO IN ACADEMIA MARBURGENSI, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ SOCIETATUMQUE REGIARUM BRITANNICÆ ET BORUSSICÆ MEMBRO.

TRIMESTRE VERNALE.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ, M DCC XXXVIII.
PROSTAT IN OFFICINA RENGERIANA.

HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES

Anni MDCC XXXI.

Trimeſtre Vernale.

I.

De Theoria negotiorum publicorum.

§. 1.

Non dubito fore pleroſque, qui mirabuntur, cur de theoria negotiorum commentari conſtituerim. Exiſtimabunt enim, aut nullam dari iſtiusmodi theoriam, aut, ſi vel maxime aliqua dari poſſit, eam tamen inutilem fore, propterea quod videmus negotia publica absque theoria non ſine ſucceſſu tractari, immo omni ævo tractata fuiſſe. Sed hi erunt, qui de re nondum ſatis inſpecta decretoriam ferre ſolent ſententiam. Non nego, nullam adhuc theoriam doceri in ſcholis, nec novi quenquam, qui eam condiderit & ſcriptis comprehenderit, etſi paſſim legantur, quæ eam condituro uſui eſſe poſſint: non tamen concedo, nullam eſſe theo- *Ratio inſtituti.*

riam iis, qui cum laude negotia administrant. Quamobrem minime inanem operam a nobis ſumi arbitramur, dum, quid ſibi velit theoria iſta & quomodo cognitio ejus acquiratur, diſtincte docere intendimus. Ipſam theoriam tradere jam nobis animus non eſt: ſed qualis ea ſit, quanam re conſtet, id nobis docere propoſitum eſt. Ita nimirum intelligetur, perperam eandem pro non ente haberi, & theoria perfecta præferetur imperfectæ, quæ in fortunæ poteſtate relinquit, quæ noſtræ ſubjici poterant, & defectibus obnoxia reddit, quæ ad normam rectitudinis reduci poterant. Patebit autem, tum demum felicem fore Rempublicam, ubi ad certam theoriam negotia publica examinabuntur. Quæ vero de negotiis publicis dicentur, ea ad privata eadem facilitate applicabuntur non ſine felicitate generis humani.

§. 2.

Negotia publica quanam dicantur & quid

Quid ſit *Theoria*, diximus alibi (§. 467 *Pſych. rat.*), nempe veritatum univerſalium complexus. Et *completam* appellamus, quæ veritates uni-

ver-

versales ad statuendum de re aliqua in quolibet casu sufficientes complectitur; *incompletam vero*, quæ quasdam saltem comprehendit, non vero omnes (*not.* §. *cit.*). *Negotia publica a privatis* hoc distinguuntur, quod illa spectent res totius civitatis, hæc vero res singulorum. *Theoria* igitur *negotiorum publicorum* est complexus veritatum universalium de negotiis publicis, hoc est, iis, quæ res civitatis spectant. Sumimus autem vocabulum civitatis in significatu apud Philosophos recepto, qui in jure naturæ suo loco explicabitur, & tanquam vulgo notus hic supponi potest. Germani vocant **einen Staat**. Hæc igitur theoria tum demum dici potest *completa*, ubi nullum occurrit negotium publicum, qualecunque tandem illud sit, de quo non tradantur veritates universales ad idem recte expediendum sufficientes. Notionem rectitudinis supponimus ex Philosophia practica universali, quæ in nulla actione ad negotium requisita quidpiam ex parte intellectus vel voluntatis ac noluntatis desiderari patitur (§.

sit theoria eorundem.

 72

72 & *seqq. Part. I. Phil. pract. univ.*). Est enim omne negotium humanum complexus quidam variarum actionum, quæ denuo in diversos actus diversarum facultatum resolvuntur. Sed de his jam non dicemus, quæ ex primis Philosophiæ practicæ principiis intelliguntur.

§. 3.

Quod Theoria negotiorum publicorum detur.

Ex definitione nominali Theoriæ negotiorum publicorum statim colligitur, eam non esse in numerum non entium referendam. Negotia publica dari nemo in dubium vocat. Eadem negotia redire, non minus exploratum est. Quamobrem cum entia universalia constituantur similitudine partiali individuorum seu singularium, vel minus universalium, aut, si mavis, eo, quo unum individuum seu singulare alteri singulari, vel ens unum minus universale alteri minus universali simile est (§. 232 *Ontol.*), & in similitudine singularium species (§. 233 *Ontol.*), in similitudine vero specierum genera, & in horum similitudine genera superiora consistant (§. 234 *Ontol.*); quin negotia

gotia publica ad certa genera certasque ſpecies revocari poſſint dubitandum non eſt. Genera & ſpecies definiri poſſunt (§. 172. 173 *Log.*). Dari adeo poſſunt definitiones generum & ſpecierum negotiorum publicorum, ſeu in ſe impoſſibile non eſt, ut negotia publica ad ſua genera ſuasque ſpecies revocata accuratis definitionibus circumſcribantur. Experientia conſtat, de negotiis humanis quemadmodum in genere omnibus, ita etiam de publicis varias incidere quæſtiones, veluti num hoc fieri debeat & quomodo fieri debeat. Judicium, quo in dato caſu altera pars contradictionis definitur, veluti quod hoc fieri debeat, & quod fieri debeat hoc modo, ſingulare eſt, idque discurſivum, non intuitivum: neque enim in notione negotii, quæ animo noſtro obverſatur, quid fieri debeat, comprehenſum intuemur, ut intuitivo judicio ſit locus (§. 51 *Log.*), cum nulla opus eſſet deliberatione, quam tamen neceſſariam experiuntur, quotquot negotia publica adminiſtrant. Eliciendum adeo eſt ratiocinio, cum aliter

ter ad judicium dianoëticum non perveniatur (§. 52 *Log.*). Ratiocinia, quæ syllogismis distincte proponuntur (§. 332 *Log.*), nituntur dicto de omni & nullo (§. 353 *Log.*), adeoque supponunt propositionem aliquam universalem, quæ de tota specie, vel de toto genere sive absolute, sive sub expressa conditione enunciat, quod de negotio singulari in casu dato enunciandum (§. 348 *Log.*). Adeoque necesse est dari propositiones seu veritates universales de negotiis publicis ad sua genera suasque species revocatis, quarum beneficio judicatur quamnam contradictionis partem amplecti debeamus, siquidem quæstio aliqua incidit de negotio quodam publico in dato casu expediendo, & dum deliberamus, ad has ipsas veritates universales animum advertere debemus. Quoniam igitur dantur definitiones negotiorum publicorum ad sua genera suasque species revocatorum, danturque propositiones universales, quibus enunciatur, quæ negotiis istis vel absolute, vel sub certis conditionibus conveniunt, veritatum

rum vero universalium, quales præter definitiones ac propositiones non dantur aliæ, quemadmodum ex operationibus intellectus a priori demonstratur, & disciplinæ methodo scientifica pertractatæ loquuntur, complexus theoria est (§. 2); evidens omnino est dari theoriam negotiorum publicorum, seu eam non esse impossibilem. Quodsi quæsiveris, ubinam detur; facilis est ex Philosophia nostra responsio. Datur in Mundo rationali veritates omnes universales continente (§. 263 *Part. I. Theol. nat.*), cujus descriptio est Philosophia methodo scientifica pertractata. Inquirere enim in veritatem latentem idem est ac in mundo rationali peregrinari, & latentem in apricum producere idem est ac ad eum spectandum admitti, veritatem vero detectam alios docere idem est ac iisdem narrare, quidnam in mundo rationali, dum nobis ad eundem aditus concedebatur, viderimus. Qui vero methodo demonstrativa philosophatur *aliis* ad mundum rationalem aditum parat, quibus inaccessibilis erat. Ce-

terum qui negant dari theoriam negotiorum publicorum, principiorum ontologicorum & logicorum sunt ignari, nec ex Psychologia intellectus naturam habent perspectam, mundique rationalis nulla ipsis notio est. Enimvero si quis in operibus nostris metaphysicis fuerit probe versatus, is & quæ diximus intelliget, & theoriam negotiorum publicorum possibilem agnoscet. Velim huc animum advertant, qui de nimiis subtilitatibus metaphysicis conqueruntur, & quam parum justæ sint ipsorum querelæ discant, nec indignentur, si intelligentes hasce contemnant, hebetudini ingenii tribuentes, quod ipsi acumini tribuunt, cum intellectum propius nosse ipsis datum sit.

§. 4.

Generalia theoria negotiorum capita. Postquam igitur constat, theoriam negotiorum publicorum non esse impossibilem (§. 3); nostrum jam est, ut eam propius intueamur. Quotiescunque de negotiis publicis deliberatur, duplex incidit quæstio: altera de Jure est, utrum scilicet jure tuo

& absque violatione juris alterius hoc agere poſſis, nec ne; altera de utilitate, utrum nimirum expediat hoc facere, nec ne. Juri enim ſuo lubenter cedit, qui idem ſibi damnoſum potius, quam utile experitur. Duabus adeo virtutibus eminere debent illi, quibus negotiorum publicorum cura demandatur, juſtitia atque prudentia. Illa opus eſt, ne agere velint, nec agendum ſuadeant, niſi quod juſtum eſt, ab eo, quod injuſtum eſt, abhorrentes: hæc autem requiritur, ne noceant, dum prodeſſe volunt. Ponamus exempli loco deliberandum eſſe, utrum ad arma ſit veniendum, nec ne. Prima hic ſollicitudo animum tenere debet, num adſint cauſæ belli juſtæ. Deinde diſpiciendum eſt, utrum e præſenti ſtatu civitatis ſit, nec ne, bellum gerere. Illam disquiſitionem juſtitia; hanc prudentia urget. Et tum demum recte decernitur bellum eſſe indicendum, ubi & juſtum eſt, & civitati expedit bellum gerere. Eorum igitur, qui negotia publica curant, ſymbolum eſt: Juſte ac prudenter. Equidem

dem non ignoro utilitatis haud raro solius rationem haberi, de jure cogitationem esse nullam: parum tamen nos movet eorum autoritas, qui faciunt, quod facere minime debent, & quod ab aliis fieri nolunt, obliti illius pervulgati: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Immo pro certo habendum utilitatem absque jure fucata saltem specie imponere incautis, utpote damnorum futurorum causam, nec prudentiæ nomen mereri eam, quæ a justitia sejungitur, cum virtus nulla alteri contrarietur, sed omnes potius amicissimo vinculo conjungantur. Enimvero ex profundiori philosophia hæc hausta sunt, quam ut hic distinctius doceri possint. Nexum rerum humanarum intimius perspicere debet, qui hæc capere voluerit: sit ita quod eorum veritas exemplis quoque persuaderi possit, ubi Historicorum volumina attenta mente perlustrare & ad ea, quæ domestica experientia suggerit, animum attendere volueris. Mihi, qui philosophus audio, incumbit veritatem demonstrare a priori rationem reddendo

do eorum, quæ ſunt ac fiunt (*§.* 46 *Diſc. prælim.*). Philoſopho enim domicilium ſuum in mundo rationali eſt, Hiſtorico ſenſibilem inhabitandam relinquit, utut in ſenſibili peregrinetur novas ſibi ſedes in rationali quæſiturus. Satis aperta loquor iis, qui, quæ alibi (§. 258 & ſeqq. *Part. I. Theol. nat.*) de mundo rationali tradidimus, perſpecta habet.

§. 5.

Fons primus theoria negotiorum publicorum.

Negotia publica jure naturæ ac gentium reguntur, niſi quatenus pactis jura acquiſita, quæ ipſum jus naturæ ſervari præcipit, ita ut quod pacto quæſitum fuit jus absque injuria alteri invito adimi non poſſit. Quamobrem ex principiis juris naturæ ac Gentium deducendum eſt, quod in negotiis publicis juſtum eſt, ut adeo hoc jus ſit fons primus theoriæ negotiorum publicorum. Immo ſi theoria juris naturæ & gentium fuerit completa, theoriam quoque ejus, quod in negotiis publicis juſtum eſt, continet. Qui igitur ſyſtema juris naturæ ac gentium condit, quod nomen ſuum tuetur, partem unam theoriæ negotio-

tiorum publicorum tradit. Sane non alio fine *Grotius* præclarum iſtud de jure belli ac pacis opus conſcripſit, quam ut prodeſſet iis, quibus negotiorum publicorum cura eſt commiſſa, ne deſint ipſis principia ad ratiocinandum neceſſaria, ubi de eo, quod juſtum eſt, deliberatur. Et quamvis illo tempore, quo vivebat, methodi leges, ſine quibus in nulla ſcientiarum parte theoria exaſciata ſperanda, nondum eſſent perſpectæ, & Mundus rationalis inter inaudita adhuc referendus nondum innotuiſſet; quæ tamen tradidit, pleraque bona ſunt & ad theoriam negotiorum publicorum condendam utilia, ubi de eo, quod juſtum eſt, agitur, quemadmodum in Præfatione novæ illius operis editioni, quam in uſum prælectionum noſtrarum de jure naturæ ac gentium curavimus, præmiſſa nos obſervaſſe meminimus. Cum nobis in operibus noſtris philoſophicis propoſitum ſit mundum rationalem deſcribere; operam quoque daturi ſumus, ut quoad jus naturæ ac gentium inſtituto noſtro ſatisfaciamus:

fini-

finita enim parte altera philoſophiæ practicæ univerſalis ſyſtema iſtius juris dabimus, quod ad negotia publica juſte expedienda plurimum profuturum confidimus. Equidem hoc jus multo latius patet, ita ut ambitu ſuo omnia quoque negotia privata complectatur; non tamen ideo theoriæ negotiorum publicorum quicquam decedit, quin potius hæc ipſa plurimum inde haurit lucis, ut, qui theoriæ negotiorum publicorum ſtudet, theoria privatorum carere nequeat. Negotiorum publicorum theoria ita pendet a theoria privatorum, ut non modo communia habeant principia; verum etiam negotia publica ſub forma privatorum repræſententur: quod adeo verum eſt, ut jam olim Sinæ huc animum non inutiliter adverterint.

§. 6.

Hinc vero elucet, quantæ ſit neceſſitatis, ut jus naturæ & gentium excolatur. Nemo enim ſanus negare poteſt, in negotiis publicis ſpectari ante omnia debere quod juſtum eſt, ita ut quotidie videamus hos ipſos, qui

Neceſſitas juris naturalis excolendi.

qui injuste agunt & alienis inhiant, juris tamen prætextu se tueri, nec injustos videri velle qui sunt. Ponamus tamen absurdam illam & generi humano valde noxiam opinionem adeo invaluisse, quasi negotia publica nullo jure regantur, & justitia ex aulis principum releganda sit in provincias ad privatos, prudentia sola in illas admissa: an ideo perversa nonnullorum opinio veritatem æternam ac mutari nesciam immutabit, ac minus verum erit, negotia publica juste esse administranda, nec sine naturæ ac gentium jure juste administrari posse? Sane qui sola utilitate metiuntur omnia, jure se tuebuntur adversus potentiam majorem, ubi idem sibi utile existimaturi sunt. Cumque non minus alteri utile esse possit, quod tibi utile, cujus quæso utilitate standum? Num potentioris? Valde dubito, te in hanc abiturum sententiam, ubi te altero, cum quo tibi negotium est, debiliorem agnoscis. Non urgemus, quod supra jam monuimus (§. 4), nocuam esse utilitatem, quæ juris præsidio destituitur ac id demum revera utile

utile dicendum esse, quod nulla injustitiæ labe inficitur. Ubi nexus negotiorum publicorum fuerit perspectus, qui vulgo non agnoscitur, saltem parum expenditur; manifesta erunt quæ dicuntur. Tum vero intime perspicietur, ubi theoria negotiorum publicorum methodo demonstrativa pertractata prostabit, ut eorundem mutua a se invicem dependentia in aprico collocetur. Jure igitur cum regantur negotia publica, nec regantur alio nisi naturæ ac gentium jure, cum ipsa jura positiva nonnisi per illud subsistant, quemadmodum suo loco demonstraturi sumus; ecquis est, qui necessitatem excolendi juris naturæ ac gentium in dubium revocare velit? Pertinet hoc jus ad veritates universales, quas mundus rationalis continet (§. 263 *Part. I. Theol. nat.*). Quare cum in eodem entia universalia omnia (§. 258 *Part. I. Theol. nat.*), adeoque & quæ de iis prædicantur, consequenter veritates omnes universales inter se connectantur, quin quæ ad jus naturæ & gentium spectant cum aliis sint connexæ,

N du-

dubitari nequit. Juris igitur naturæ & gentium theoria, qualem hic desideramus, tum demum dabitur, ubi idem cum veritatibus aliis, unde ejus pendet veritas, connectetur. Hinc nemo nobis vitio vertet, quod theoriam juris & gentium ex principiis metaphysicis demonstremus: quod enim ab iisdem dependeat earundem veritas, philosopho imputandum non est, qui nec mundi rationalis conditor, nec veritatis faber est, sed via demonstrationis veritates æternas ac immutabiles, quas detegit, revelat, & in mundum rationalem alios introducit, qui aditum per se reperire minime possunt. Nec est quod excipias, hoc pacto ad subtilitates metaphysicas rimandas obligari, qui ab iis abhorrent, & quibus tantum temporis spatium non suppetit, ut per tantas ambages ad cognitionem veritatum sibi scitu necessariarum accedant: immo qui in gerendis negotiis toti sunt, eorum ingenia ad speculationes parum apta deprehendi. Neque enim unum est, quod reponere licet. Primo nimirum respondemus, non dari

dari viam regiam ad ſcientiam. Cui adeo tanta ingenii acies non eſt, nec patientia tanta, quanta ad ſcientiam requiritur; is ſuum eſſe non agnoſcat, ut ipſe in mundum rationalem excurrat, & propriis oculis videat, quæ in eodem occurrunt. Deinde notes velim, quemadmodum qui in oras peregrinas proficiſci prohibetur, aliorum relatione contentus eſſe debet, qui quæ ibi viderunt narrant; ita eum, qui demonſtrationes ex primis ſuis principiis deductas capere nequit, contentum eſſe debere, quod propoſitiones norit, quas veras eſſe profitentur, qui vi demonſtrationis convicti iisdem aſſentiuntur. Quæ propriis oculis videre non poſſunt; ea alienis videre tenentur, quatenus videntibus habent fidem. Neque hic quicquam deſideras, a quo illi ſunt alieni, quibus negotiorum publicorum cura eſt. Ecquis enim adeo hoſpes eſt in iis, quæ quotidie fiunt, ut ignoret eos lubentiſſime imitari alios in caſu ſimili, etſi rationes ignorent, cur alter hoc fecerit & hoc potius fecerit modo, quam alio? Quis vero

negare ausit, tum aliorum prudentiæ plenam haberi fidem? Et quis adeo hebes est, ut non videat, istiusmodi imitatorem alienis oculis videre, non suis? Immo quis præterea est qui nesciat, autoritatem eorum, qui juris periti censentur, magnum habere pondus in quæstionibus juris penes eos, qui ipsimet de jure statuere nesciunt. Qui credere solent artifici in arte sua, eccur non etiam credant philosopho, qui, dum quid juris naturæ sit demonstrat, artem suam profitetur? Jus igitur naturæ haud quaquam ideo inutile redditur iis, qui demonstrationes ejus capere nequeunt, quemadmodum theoremata geometriæ non redduntur inutilia geometriam exercentibus, propterea quod demonstrationes eorundem ignorant. Quis adeo vesanus est, ut a geometris theoremata accurate demonstrari nolit, quia demonstrationes non capiuntur ab iis, qui illis in praxi opus habent? Aut quis reprehendit Astronomorum profundissimas theorias, quas capere nequeunt, qui ex tabulis loca siderum computant, aut ex

Ephe-

Ephemeridibus calendaria conſcribunt. Præterea verum non eſt a ſubtilitatibus metaphyſicis abhorrere eos, qui negotiorum publicorum curam habent. Nota nobis ſunt exempla in contrarium. Novi viros ſummos, qui dignitate non minus & generis proſapia, quam prudentia cum militari, tum civili eminent, & in operibus noſtris metaphyſicis legendis aſſidui ſunt, exemplo ſuo abunde docentes a ſublimi rerum cognitione minime abhorrere eos, qui publica negotia tam in bello, quam in pace adminiſtrant, nec eam propterea contemni, quod patientiam legentis facile fatigare poſſint, nec oculo fugitivo perluſtrari queant, quemadmodum hiſtoricorum volumnia percurrere ſolemus. Immo novi, eos non ſine voluptate ſubtilitates, quas vulgus eruditorum accuſat atque damnat, expendere ac de earum utilitate ſecus quam hoc ſtatuere. Quid quod nec Principum deſint exempla, qui ad ſcripta noſtra philoſophica legenda eam attentionem afferunt, qua in mundo rationali verſaturo opus eſt? Nota ſunt

non minus aliis, quam nobis tanta exempla, ut ad ea provocasse sufficiat, præsertim cum jam alii quædam publice laudaverint. Legantur Dedicationes, quarum alteram ad Serenissimum Principem regni Borussici hæreditarium versioni Gallicæ Logicæ a nobis idiomate Germanico conscriptæ præmisit doctissimus interpres, alteram editioni Veronensi Cosmologiæ ad Illustrissimum S.R.I. Comitem de *Schulenburg*, Supremum copiarum terrestrium apud Venetos Præfectum præfixit vir omni scientiarum genere præstantissimus, qui omnem movet lapidem, ut opera nostra tam philosophica, quam mathematica sermone Latino a nobis publicata & nitide, & correcte impressa in Italia facile haberi possint. Nec illud dubium nos angit, quod, qui negotia publica gerunt, non abundent otio, ut per tantas ambages ad cognitionem veritatum sibi scitu necessariarum contendant, quantas requirit methodus demonstrativa. Qui enim in juventute methodum demonstrativam sibi familiarem reddidit & notionibus fœcundis animum imbuit; hi in lectione librorum accurata metho-

thodo conſcriptorum celeriori paſſu progrediuntur, quam in lectione aliorum vulgari modo conſarcinatorum, in quibus continuo ſeſe offerunt, quæ progreſſum remorantur. Quodſi ergo methodo noſtra philoſophabuntur poſteri & ad ſyſtema, quod in adoleſcentia & prima juventute animo comprehenderunt, omnes referent veritates, quas in uſum vitæ memoria teneri conſultum eſt, nec conqueri poterit negotiorum publicorum mole obrutus deeſſe ſibi otium, quale ad veritates intime perſpiciendas requiritur. Quid quod Principes, qui de adminiſtratione imperii philoſophabuntur, neminem tanta negotiorum negotiorum mole obruturi ſint, ut veritatum ad negotia publica feliciter gerenda neceſſariarum cognitioni ulteriori vacare minime queant. Sed alio forſan tempore diſertius docere licebit, quomodo ſyſtema veritatum ſibi comparare, ſemel acquiſitum conſervare ac idem novis acceſſionibus continuo augere liceat, ne veritatum ignorantia laboremus, quæ ad juſte ac recte agendum & ſcitu neceſ-

ſariæ ſunt, & ſciri poſſunt. Tacemus alia, quæ breviter dici nequeunt, niſi verendum, ne perverſæ interpretationi fiant obnoxia. Denique oppido falluntur, qui ſibi perſuadent, eorum ingenia, qui in negotiis gerendis toti ſunt, ad ſpeculandum parum apta deprehendi. Modo enim ſpeculationes recta methodo procedant & circa veritates cognitu utiles ac neceſſarias verſentur, nemo ad eas animum magis diſpoſitum habet, quam qui negotia publica cum laude adminiſtrat, cum in hiſce adminiſtrandis eadem methodo utatur, qua nos ſola rite philoſophari contendimus. Sed hoc etiam apertius dicere licebit, ubi nobis dabitur occaſio de uſu methodi demonſtrativæ in negotiis humanis expediendis dicendi. Puto igitur nos ſatisfeciſſe dubiis, quæ contra utilitatem ſyſtematis juris naturæ ac gentium methodo demonſtrativa ex genuinis principiis adornati proferuntur. Nihil adeo nos deterrebit a ſyſtemate iſto condendo, nec dubitamus fore, ut ejus utilitatem ipſo opere experiantur, qui publica negotia curant.

§. 7.

§. 7.

Negotia publica res civitatis respiciunt (§, 2). In civitate suprema lex est salus & tranquillitas publica. Nemo non eandem agnoscit, nec noviquenquam, qui eam subvertere ausus fuerit, etsi praxis haud raro ab eadem abeat. Quamobrem id demum expedit in negotiis publicis, quod ad salutem & tranquillitatem publicam quomodocunque facit. Quænam e re civitatis sint, in Philosophia civili seu Politica docetur. Quoties igitur de eo, quod expedit in negotiis publicis, incidit quæstio, ex Politica desumenda sunt ad formandum judicium dianoëticum principia. Altera adeo quæstio, quando de negotiis publicis deliberatur, cum sit de eo, quod expedit (§. 4); theoriæ negotiorum publicorum fons alter est Politica. Quodsi theoria prudentiæ civilis completa fuerit, theoriam quoque ejus, quod in negotiis publicis utile est, continebit. Qui igitur systema Politicæ condit, quod nomen suum tuetur, negotiorum publicorum theoriæ partem alteram tradit.

Fons alter theoriæ negotiorum publicorum.

Sane non alio fine docetur Politica, quam ut discatur, quænam sint e re civitatis, consequenter ut ad negotia publica prudenter administranda prosint. Quamvis vero quæ vulgo in scholis docetur Politica parum utilitatis afferat iis, quos prudentia civili instructos esse oportet; negari tamen haud quaquam potest, passim occurrere in libris autorum laude sua minime defraudandorum, quæ in condendo systemate usui esse possunt. Quamvis enim plerumque non satis determinata sint, quæ traduntur, ab eo tamen, qui methodi gnarus est, ad notiones determinatas facile revocantur, &c, ubi notionibus generalibus fœcundis imbutum habet animum, sine quibus nec rite determinare licet, quæ satis determinata non sunt, ex primis suis principiis eadem demonstrabit. Continetur hæc quoque theoria in mundo rationali, de quo supra diximus (§. 4.5), quem in operibus nostris spectandum exhibere nobis proposuimus. Quamobrem ubi Philosophiam trademus civilem, systemate juris naturæ ac gen-

gentium abſoluto, noſtrum quoque erit dare operam, ut quoad prudentiam civilem, qua in negotiis publicis gerendis opus eſt, inſtituto noſtro ſatisfaciamus. Etenim ubi ſyſtema juris naturæ ac gentium abſolverimus & Philoſophiam moralem ad finem perduxerimus, ad civilem accedemus: neque enim ante ad eandem patet aditus, niſi jure naturæ ac gentium atque Ethica præmiſſis, cum, quæ in Politica demonſtranda ſunt, absque principiis ex iſto jure atque hac ſcientia petitis demonſtrari haud quaquam poſſint, niſi ſumere velis ea, quorum demonſtrationem jure exigit aſſenſum non præbiturus, niſi is rationibus intrinſecis eliciatur.

§. 8.

Elucet hinc neſſitas philoſophiam civilem ſive Politicam excolendi, ut adeo inanem operam nos minime ſumturos confidamus, ubi ad eam excolendam eandem induſtriam afferemus, qua in ceteris partibus Philoſophiæ utimur. Utilitatem in negotiis publicis ſpectandam eſſe, nemo in dubium *Neceſſitas excolendi Philoſophiam civilem.*

vo-

vocat, ita ut nonnulli ſola utilitate eadem metiantur & juſtitia, quam publicam appellare lubet, inane nomen habeatur. Quemadmodum jam ante monuimus, prudentiam a juſtitia ſejunctam eſſe nullam (§. 6.); ita quoque pro certo habendum, utilitatem veram ab apparente diſtinguendam, quæ fallaci ſpecie incautis imponit, æternis ſubjacere legibus hominum opinione non immutandis. Vera nimirum utilitas non eſt, niſi quæ tendit ad ſalutem & tranquillitatem publicam tanquam finem ultimum, ita ut ſe habeat ad eundem per modum medii. Hæc ſuprema lex eſt, unde tanquam rivuli deducuntur leges iſtæ æternæ, quas diximus, omnis utilitatis norma. Apparens itaque utilitas eſt, quæ finem iſtum ultimum minime reſpicit, ſed eidem vel aperte adverſatur, vel ad eundem ſaltem conducere videtur. Non adeo facile eſt veram utilitatem ab apparente certo diſtinguere in omni caſu, quemadmodum vulgo creditur. Unde haud raro imprudentiæ notam incurrunt, qui omnes prudentiæ partes ſe adimpleviſſe ſibi videntur & quod

male

male civitati consuluerint eventus docet, qui optime eidem consulere & intendebant, & credebantur. Qui vel huc animum adverterit, abunde intelliget, quam sit necesse prudentiam civilem, qua in gerendis negotiis publicis opus est, certis adstringi legibus, nequaquam vero sufficere ut consilia aliorum, de quibus ex eventu statuitur, cœco imitandi studio nostra faciamus. Quænam sint illæ leges, in Politica demonstrandum. Per has evertuntur noxia quorundam pseudopoliticorum præjudicia, quæ florentissimis civitatibus interitum minantur, nisi malo invalescenti tempestive medeamur. Inter hæc præjudicia, quæ suo loco notanda erunt, refero perversam illorum opinionem, qui utilitatem imperantis ab utilitate civium sejungunt, quasi illa absque hac diu consistere possit, & illam huic male opponunt ac tanquam potiorem eidem præferendam esse præpostere judicant. Videas hodie haud paucos, qui ut placeant principibus & commodis suis velificent, prætextu utilitatis imperantium in viscera Reip.

ſævire ac dum ſaluti publicæ nocent ipſis quoque imperantibus damna dare. Apprime igitur neceſſarium eſt, ut dependentia mutua ſalutis imperantium ac ſubditorum atque floris civitatis a ſe invicem probe cognita & perſpecta ſit, niſi conſilia in detrimentum civitatis vergere debeant. Id vero in aprico poſitum eſt, ubi veritates politicæ inter ſe conexæ in ſyſtemate veri nominis exhibentur, conſequenter ubi Politica methodo demonſtrativa pertractatur, & cum ceteris diſciplinis amico vinculo copulatur.

§. 9.

Unde haurienda ſit theoria negotiorum publicorum

Ex iis adeo, quæ hactenus diximus, patet, theoriam negotiorum publicorum contineri in jure naturæ & gentium atque Philoſophia civili ſeu Politica, ut adeo, quo magis hæ philoſophiæ partes fuerint excultæ, eo plenior quoque theoria negotiorum publicorum proſtet. Quodſi vero ſyſtema juris naturæ ac gentium, itemque Philoſophiæ civilis nondum fuerit completum, ut omnes omnino caſus negotiorum publicorum

rum tum quoad id, quod justum, tum quoad id, quod utile est, accurate definiantur; ex jure tamen naturæ ac gentium & Philosophia civili petenda sunt principia, per quæ definiuntur, quemadmodum ex jure civili eidem conformiter definiuntur casus in legibus non comprehensi. Nimirum tunc defectum theoriæ supplere tenetur, qui de negotio nondum definito statuere debet, & inventorem ejus agat necesse est, quod adhuc desideratur. Quoties enim istiusmodi casus occurrit, toties problema novum resolvendum proponitur. Quamobrem cum incognitum ex iis, quæ cognita sunt, deducendum, aut, ubi principia ad inveniendum, quod quæritur, nondum sufficientia prostant, fatendum solutionem nondum esse in potestate nostra, nisi ex principiis, quæ jam cognita atque perspecta sunt, adhuc latentia detegi a nobis possint, per quæ ad solutionem patet aditus. Quodsi in aulis principum essent, qui philosopharentur, & iis problemata casibus novis emergentibus solvenda propone-

nerentur; solutionibus istis problematum ad generalem formam revocatorum tanquam novis inventis in futurum quoque usum theoria locupletari poterat. Perviderunt hoc jam olim Sinæ, quorum primi non modo Imperatores erant philosophi, ut forma regiminis non per præcipitantiam definiretur; verum etiam philosophi ad vitam recte instituendam & regimen optime administrandum omnem suam cogitationem advertentes in casibus nondum exploratis in consilium vocabantur. Non temere provoco ad exemplum Sinarum, quorum imperium cum sit antiquius ceteris *omnibus*, quorum memoriam Historiarum pandectæ nobis conservarunt, unum adhuc hodie subsistit, ac citra commercium cum gente ulla per aliquot annorum millenarios floruit, cum cetera omnia etsi florentissima dudum fuerint extincta continuis revolutionibus obnoxia. Novi enim plerosque, qui de philosophia & philosophis ex iis statuunt, quæ vulgo in scholis docent Philosophiæ Professores, Theologiæ plerumque Candida-

didati, abjecte admodum de Philosophia & Philosophis sentire: quibus, cum ratione convinci minime possint, (§. 991 *Log.*), satisfaciendum est autoritate nullo argumento labefactanda. Providentiæ divinæ relinquendum est, num & quando Deo visum fuerit mundum ratione, non opinionibus regi, ut in negotiis publicis insit veritas intemerata & civitates in terris florentes eas repræsentent, quæ in mundo rationali dantur, quemadmodum singularia acumine præditis universalia spectanda exhibent. In potestate nostra positum non est, quam ut palam dicamus, quæ in mundum rationalem admissi spectavimus. Erit dies, quo quæ diximus accuratius ponderabuntur non sine felicitate generis humani.

§. 10.

Qui negotia publica recte gerere debent, illis minime sufficit, ut eorundem theoriam animo comprehendant; sed præterea requiritur, ut eam in dato casu rite applicent. Quæ de applicatione tenenda sunt, ex iis intel- *Quænam de applicatione theoria negotiorum publicorum tenenda sint.*

O

telliguntur, quæ de uſu Logicæ in praxi vitæ integro cagite primo Sect. 6. Part. 2. Logicæ docuimus. Nimirum in Theoria caſus negotiorum per circumſtantias ſuas rite determinati (§. 180 *Part.II. Phil. Pract.univ.*) regulis Logicæ convenienter definiuntur & ſic genera ac ſpecies negotiorum publicorum conſtituuntur (§. 179 *Log.*). De hiſce caſibus univerſaliter enunciatur, quid juſtum ſit & utile, ſeu juſte ac prudenter in iisdem fiat. Theoriæ igitur nullus erit uſus, niſi caſum præſentem per ſuas circumſtantias accurate determinaveris, ut conſtet, ſub quonam genere vel quanam ſpecie contineatur, & quænam adeo propoſitio univerſalis ad eam applicari debeat. Circumſtantiæ deſumuntur a ſtatu præſente tum civitatis, tum gentium illarum, cum quibus eſt negotium. Atque adeo patet, ſi vel maxime theoria fuerit perfecta ac omnibus ſuis numeris abſoluta, nullum tamen eſſe ipſius uſum, niſi quoque ſtatum civitatis omnem habueris perſpectum, & ſtatus quoque gentium aliarum, cum qui-

quibus tibi negotium eſt, probe cognitus fuerit. Hinc accidit, ut imitatio aliorum haud raro infeliciter cedat, quia fit in caſu diſſimili, etſi deficiente adhuc theoria frequentiſſima ſit. Non cœca eſſe debet imitatio, ſed oculata. Oculata vero non eſt, niſi caſum, in quo negotium feliciter ceſſit, accurate determinatum perſpexeris, nec minus eum ſufficienter determinaveris, in quo alterum imitari volueris. Utrumque fieri non poſſe, niſi ſtatu utriusque civitatis explorato, modo vidimus. Hæc etiam ratio cur reprehenſionem incurrant, qui ad conſilia adhibent peregrinos, quibus ſtatus civitatis non eſt perſpectus, etſi alias ſint rerum intelligentes & prudentes, niſi una concurrant alii, qui eundem cognitum atque perſpectum habent, & peregrini in hiſce facilem ipſis præbeant aurem, ut ſymbolis collatis decernatur, quid fieri debeat, nec horum unice ſtandum ſit auctoritate. Similiter quia pactis acquiruntur jura, quæ violanda non ſunt, cum juſte non minus, quam prudenter gerenda ſint negotia (§. 4);

 pa-

pacta quoque non ignorare debet qui quid juste fieri possit statuere voluerit. Etsi itaque abunde perspecta sit juris naturæ theoria, qua quid circa pacta justum sit exponitur; non tamen juste aget, qui pacta ignorat vel perverse interpretatur, quorum in negotio aliquo habenda est ratio. Cognitio omnis, de qua modo diximus, historica est. Historica igitur cognitio nisi cum theoria conjungatur, nunquam te justum ac prudentem in gerendis negotiis probabis, sed casui committenda erunt omnia, ita ut nihil laudis tibi relinquatur, etiamsi bene cesserint omnia. Equidem non nego casum, qui ex parte Dei nullus est (§. 462 *Part. II. Theol. nat.*), subjacere legibus providentiæ divinæ; non tamen propterea unum idemque est casui relinquere omnia & providentiæ divinæ committere negotia: neque enim providentia justitiam & prudentiam excludit, ad quam utramque Deus nos obligat & cujus gratia facultates animæ nobis fuerunt concessæ ac providentia ipsius in iis collocati fuimus circumstantiis, ut re-

ctum

ctum earundem usum facere possimus, modo velimus. Sed quomodo providentiæ divinæ committantur negotia, suo demonstrabitur loco, quando officia erga Deum sumus explicaturi: tumque dilucide constabit, id tum demum fieri posse, ubi omnem feceris facultatum usum, quem facere poteras ac debebas, ita ut nihil tibi imputari possit, sed ab omni culpa vacuus sit animus: quod quomodo obtineatur, ex iis intelligi potest, quæ de culpa satis prolixe tradidimus in parte prima Philosophiæ practicæ universalis & suo loco uberius explanabimus.

§. 11.

Quænam discenda sint ad negotia publica gerenda adspiranti.

Ex hactenus dictis intelligitur, quænam discenda sint ei, qui ad negotia publica gerenda adspirat. Imbuendus est animus certa theoria (§. 9) & factorum cognitione (§. 10), & is acquirendus est facultatum animæ usus, sine quo legitimam theoriæ ad facta applicationem sperare minime licet. Ut theoria ad facta legitime applicetur, necesse est, ut

eam & applicare poſſis, & velis. Prius ſupponit rectum facultatis cognoſcitivæ, poſterius rectum facultatis appetitivæ uſum. Illum docet Logica, quæ tradit modum dirigendi facultatem cognoſcitivam in cognoſcenda veritate (§. 1. *Log.*); hunc vero Philoſophia practica, quæ modum exponit dirigendi facultatem appetitivam in eligendo bono & fugiendo malo (§. 62 *Diſc. prælim.*), ac in ſpecie ea ejus pars, quam Ethicam appellamus, quippe quæ oſtendit, quomodo actiones liberæ diriguntur in ſtatu naturali, ſeu quatenus homo conſideratur ſui juris (§. 64 *Diſc. prælim.*). Habitus utendi regulis logicis comparatur aſſidua lectione ſcriptorum ſcientifica methodo conditorum, veluti mathematicorum accurata methodo conſignatorum (§. 1230. 1232 *Log.*). Hinc conficitur, ad negotia publica adſpiranti opus eſſe ſtudio Logicæ & Matheſeos, ut facultate cognoſcitiva prompte ac dextre uti detur: id quod requiritur tum ad theoriam ſcitu neceſſariam acquirendam, tum ad eandem in dato quocunque caſu rite applicandam. Non minus liquet, opus

eſſe

esse indefesso studio Philosophiæ moralis, ut facultatis appetitivæ legitimus fiat usus: id quod indispensabilis necessitatis est, ut theoriam, quam nosti & applicare vales, etiam applicare velis. Quemadmodum vero cum studio Logicæ conjungenda sunt continua exercitia, quibus lectio librorum scientifica methodo conscriptorum prolixe satis a nobis exposita Logicæ part. 2. sect. 3. c. 6. §. 945 & seqq. absolvitur, ubi regulas Logicæ ad praxin transferre volueris, ne in spem futuræ oblivionis addiscantur; ita similiter non sufficit philosophiæ moralis præcepta animo comprehendisse, verum etiam opera danda est continuis exercitiis, quibus habitus virtutum comparantur & odium vitiorum indies incrementa capit, ubi voluntas emendari debet, ne philosophia moralis in spem futuræ oblivionis addiscatur. Dolendum itaque est, quod, qui in Academiis studiis operum navant, de voluntate emendanda prorsus non cogitent, sed sui juris facti libertatem in licentiam vivendi convertant & pravis sodalitiis non

una de causa corrumpantur boni mores. Immo maxime dolendum est, quod Professoribus, quibus salus studiosorum unice curæ cordique est, tot objiciantur obstacula insuperabilia, quæ paucis commemorari non possunt, ne salutaria juventuti consilia exequi valeant. Quænam vero hinc damna redundent in Remp. dici vix potest, & facultate cognoscitiva, etiam superiori, sive intellectu abutuntur, qui facultatem appetitivam, præsertim superiorem, seu voluntatem, ad rectitudinis normam nondum composuerunt. Ipsos sane Theologos abuti videas veritatibus salutaribus, ubi a vera pietate animum habent alienum, ut in monstra hominum degenerent, qui virtutum exemplar aliis esse debebant. Inde est, quod odium theologicum dicatur pejus diabolico & nemo boni incremento magis adversetur Theologo malæ voluntatis. Apprime igitur necessarium est, ut cum cultura intellectus conjungatur cultura voluntatis: nec erit malorum in Ecclesia atque Rep. finis, nisi ad virtutem cum solida doctrina copulan-

pulandam adducatur juventus. Quæ de ſtudio Logicæ ac Philoſophiæ moralis diximus, de omnibus promiſcue intelligenda ſunt, qui ſtudiis literariis in Academiis operam navant, etſi inſtituti præſentis ratio poſtulabat, ut idem potiſſimum urgeremus in iis, qui ad Remp. adminiſtrandam adſpirant. Quoniam vero theoria negotiorum publicorum ex juris naturæ ac gentium ſyſtemate & ex Politica haurienda, aut, quamdiu hæ Philoſophiæ partes nondum omnibus ſuis numeris ſunt abſolutæ, ſaltem principia inde petenda (§. 9); nemo non videt, qui olim negotia publica juſte ac prudenter gerere voluerit, ei inprimis incumbere, ut jus naturæ ac gentium & Philoſophiæ civilis dogmata ſibi familiaria reddat. Cum vero plurimum interſit, ut veritatis convincantur, ne invitante occaſione ab eadem recedant; demonſtrationibus opus eſt, quarum vi extorquetur firmus ac immotus aſſenſus. Quoniam itaque jus naturæ ac gentium demonſtrari nequit ſine principiis metaphyſicis, quæ tanquam cog-

nita præſupponenda, nec dogmata Philoſophiæ civilis absque iis ac principiis Philoſophiæ moralis, quæ & ipſa in demonſtrationibus ex Metaphyſica petit principia, demonſtrari poſſunt; quin Metaphyſicæ ſtudium neceſſarium ſit ad negotia publica cum laude gerenda adſpiranti dubitandum non eſt, modo verioris Metaphyſicæ, qualem nos dedimus, notionem habueris Simul autem patet ex Metaphyſicis ea potiſſimum eſſe delibanda, quorum in jure naturæ ac gentium, Ethica atque Politica maxime uſus elucet. Conſtat autem huc inprimis facere Ontologiam & Pſychologiam empiricam cum Theologia naturali. Quoniam tamen Theologia naturalis Cosmologiæ ac Pſychologiæ rationalis opem haud raro implorat, nec haſce Metaphyſicæ partes prorſus negligendas eſſe conſtat: ſit ita quod haud pauca in iis occurrant, quibus carere poteſt negotiorum publicorum geſtor. Noſſe ſuperflua nunquam nocet; ſed hæſitare in iis, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, damno nunquam caret. Quodſi excipias, ſtudium

um metaphyſicum eſſe nimis prolixum, ſi ſingulas ejus partes ea induſtria pertractare volueris, quam methodus demonſtrativa exigit; haud difficilis eſt reſponſio. Tyronum uſui inſerviunt compendia, in quibus palmariæ veritates demonſtrantur. Hiſce enim perceptis & animo probe infixis ſyſtemata majora, in quibus plenior theoria continetur, proprio perlegent Marte utiliter, ut ſucceſſive augeant ſcientiam. Factorum cognitio hiſtorica eſt. Quomodo vero tractandum ſit ſtudium hiſtoricum, ut proſit ei, qui ad Remp. adminiſtrandam conſilia ſalutaria olim daturus, paucis exponi non poteſt, & a præſenti inſtituto alienum eſt, cum nobis docere propoſitum ſit, quomodo theoria negotiorum publicorum comparetur, non vero quæ in eadem applicanda uſui ſunt. Sufficit itaque oſtendiſſe, qualis factorum notitia hic ſupponenda (§. 10). Obſervamus potius, quo ordine tractanda ſint, quæ ad theoriam iſtam addiſcendam requiruntur. Quodſi igitur ad ea, quæ modo diximus, animum advertas, facile conſta-

ſtabit, cum ſtudio Logico utiliter conjungi mathematicum. Huic ſuccedere metaphyſicum, metaphyſico ſtudium juris naturæ & gentium: quo abſoluto, progrediendum ad Philoſophiam moralem, tandemque ad Politicam. Generalis enim lex eſt, diſciplinas philoſophicas eo tractandas eſſe ordine, quo veritates in iisdem demonſtratæ a ſe invicem dependent. Studium Logicæ & Matheſeos præparatorium eſt, adeoque præmittendum. Metaphyſica in demonſtrationibus ſuis non aliunde haurit principia. Jus naturæ ac gentium Metaphyſicam ſupponit, Ethica vero jus naturæ, & Politica denique Ethicam cum jure naturæ atque gentium. Non nego Hiſtoriam quoque naturalem & Phyſicam ſubinde uſui eſſe poſſe in negotiis publicis; ſed veritates inde petendæ particulares ſunt, ut ideo ſtudium phyſicum tanquam apprime neceſſarium urgendum minime veniat. In Imperio noſtro Romano-Germanico juris quoque publici habendam eſſe rationem in negotiis publicis, nemo in dubium vocaverit. Quemadmo-

modum vero iisdem forma imperii, quemadmodum legibus quibusdam fundamentalibus forma civitatum reliquarum continetur, quæ a Monarchia recedunt; ita jus publicum perinde ac jura ſtatuum Imperii, quæ ex pactis naſcuntur, ad cognitionem factorum pertinent, adeoque ad Hiſtoriam ſpectant, non vero ad theoriam illam negotiorum publicorum, de qua hic nobis ſermo eſt. Idem dicendum eſt de legibus poſitivis, juxta quas autoritate publica deciduntur controverſiæ de juribus privatorum in civitate data. Etſi enim hæ leges, ſi nihil in ipſis deſideretur, theoriæ naturali legum civilium, quæ juris naturæ pars eſt hactenus neglecta, convenire debeant, adeoque ſi rite ſe habeant, ex eadem demonſtrari poſſint; leges tamen poſitivæ ipſæ, quatenus vim obligandi habent, ad facta referuntur, conſequenter reſpectu theoriæ negotiorum publicorum ad hiſtoricum ſtudium referuntur. Quemadmodum vero de factis quibusvis philoſophari licet, nec inutiliter philoſophatur, qui principiis philoſo-

losophicis imbutum tenet animum; ita quoque juris positivi interpres non inutiliter philosophatur de legibus positivis, ut studium juris non sit mere historicum, sed scientificum evadat. Absit itaque, ut quis existimet, nos a studio juris positivi avocare velle eos, qui ad negotia publica gerenda adspirant. Ad hæc enim negotia etiam pertinent, quæ jura civium privata autoritate publica definienda concernunt. Ecquis vero neget, legum positivarum hic præsupponi notitiam? Nec negandum est, subinde etiam in negotiis, quæ superiori cum subditis intercedunt, ad eas recurrendum esse. Oppido autem falluntur, qui juris positivi notitiam cum theoria negotiorum publicorum confundunt eodem errore, quo nonnulli eandem ex Historia hauriendam esse contendunt.

§. 12.

Num negotia publica hactenus gerantur absque omni theoria.

Restat ut adhuc expendamus, num negotia publica gerentibus nulla hactenus sit theoria, &, si qua datur, quomodo ad ejus notitiam perveniatur. Absque theoria definiri non

non posse, quid juste ac prudenter fiat in casu dato, haud difficulter probatur. Etenim judicium de eo, quod justum est & quod expedit in casu dato, eliciendum est syllogismo, cujus major est propositio aliqua universalis, ad theoriam negotiorum publicorum spectans (§. 3.). Judicium igitur istud laturus aut hæsitabit, dubius in quamnam contradictionis partem determinandus sit assensus; aut vi principii alicujus inferet, hoc potius fieri debere, quam aliud: sit ita quod distinctis ratiociniis minime adsuetus ipsemet non advertat, cujusnam principii ope ita potius judicet, quam aliter. In priori casu deficit theoria, & absque ea nihil agitur: in posteriori theoria non destituitur, qui quid fieri debeat pronunciat, utut fieri possit, theoriam, qua nititur, falsam esse, non veram. Neque enim jam quæritur, num vera sit theoria negotia publica definientibus, sed num sit aliqua. Sufficit enim agnosci, absque theoria impossibile esse, ut in casu dato decernatur, quid fieri debeat. Inde est, quod consilii inops dica-

dicatur, qui nescit in quamnam partem sese vertere debeat, hoc est, nulla prorsus theoria instructus, eidemque opponatur, qui in consiliis dandis promptus est, hoc est, qui theoria instructus. Quæritur itaque, quomodo ad theoriæ illius notitiam perveniant, qui negotia publica gerunt. Quicquid cognoscimus, aut a priori cognoscimus, aut a posteriori (§. 435 *Psych. empir.*). Quamobrem & theoria, de qua jam nobis sermo est, aut a priori cognoscitur, aut a posteriori. Eam a priori non cognosci, satis patet. Restat igitur, ut cognoscatur a posteriori: quod quomodo fiat, paulo distinctius nobis est dicendum. Civitates non nunc demum constituuntur, sed dudum constitutæ sunt, nec forma regiminis hodie demum definitur sed dudum definita fuit, etsi subinde quædam in eadem immutari contingat. Juxta formam præscriptam dum expediuntur negotia, non sine theoria geruntur. Insunt enim universalia singularibus (§. 232 *Ontol.*), adeoque quæ quoad administrationem Reip. usu recepta sunt notiones universales continent,

quæ

quæ ad theoriam ſpectant (§. 2.). Qui adeo ipſo uſu diſcit, quomodo negotia publica curæ ſuæ commiſſa ſint expedienda, theoriæ quandam notitiam a poſteriori ſibi comparat, etſi plerumque confuſis tantummodo notionibus contineatur, nec rationes ejus pateant, ad quas vulgo ne animus quidem advertitur, cum plerique contenti ſint noſſe hæc ita fieri debere. Præterea conſtat, eos, qui theoria deſtituuntur, actiones ſuas dirigere per antea facta in caſu ſimili, quem modum dirigendi actiones expectationem caſuum ſimilium diximus (§. 504 *Pſych. empir.*) & quando rationi æquipolleat, demonſtravimus (§. 507 *Pſych. empir.*). Notiones adeo univerſales, quæ antea factis inſunt, theoriæ loco ſunt, ad quam etiam ſpectant (§. 2): ſiit ita, quod eas diſtincte non agnoſcat agens, nec veritatem earundem perſpiciat (§. 513 *Log.*). Hæc theoria per ſpeciem quandam traditionis propagatur & in voluminibus Hiſtoricorum conſervatur. Non alia de cauſa profecto contigit, ut multorum animos ea occu-

paverit opinio, quasi prudentia politica ex Historia sit addiscenda, quam quod inde innotescat, quo eventu hoc vel istud factum fuerit in tali casu. Unde & *Confucius* sapientem ac prudentem actionum suarum directionem & rectam Reip. administrationem cogniturus totum se dedit lectioni Annalium gentis suæ, quos singulari ratione ad hunc usum compositos esse in Notis ad Orationem de Philosophia practica Sinarum jam monuimus. Denique notandum est, negotia publica revocari posse ad notiones communes, quatenus cum negotiis communissimis hominum similitudinem quandam habent. Quemadmodum vero principium reductionis, quo objectum aliquod, de quo quid quæritur, ad aliud notionem quandam communem habens reducitur, ut ea, quæ de hoc nobis innotuere, vi notionis communis ad illud quoque applicari possint (§. 472 *Psych. empir.*), magnum usum habent in veritate latente detegenda, exemplo ipsorum Mathematicorum, qui eodem tanto felicius atque frequen-

tius utuntur, quanto ſunt ingenioſiores; ita quoque illi, qui publica gerunt negotia, ad notiones generales, in negotiis quam communiſſimis obvias, animum advertunt, ut videant, quid ſit agendum, etſi ipſimet ignorent, quomodo cogitatio ejus, quid fieri conducat ac debeat, animum ſubeat, deſtituti quippe eo accumine, quod ad diſtincte percipienda, quæ in anima contingunt, requiritur ſine intimiori Pſychologiæ cognitione non acquirendum. Nimirum vi negotii illius communis notio univerſalis, quæ eidem ineſt (§. 57 *Log.*), animo ad idem attento inſinuatur. Negotio publico oblato vi ſimilitudinis, hoc eſt ejus, quod cum communi quodam commune habet, hujus idea reproducitur (§. 117 *Pſych. empir.*) & attentionem in notionem univerſalem, quæ ſimilitudine negotii publici cum communi conſtituitur (§. 232 *Ontol.*), trahit, utpote in quam mentis aciem nunc potiſſimum intendimus, cum quid fieri debeat deliberamus. Quamobrem dum beneficio memoriæ ideam iſtam recogn-

noscimus (§. 175 *Psych. empir.*), adeoque confuse saltem nobis conscii sumus, nos eam jam antea habuisse (§. 173 *Psych. empir.*), ut ipsimet explicare non valeamus, undenam sit evidentiæ istius sensus, quo persuademur in dato casu hoc esse faciendum (§. 39 *Psych. empir.*); cogitatio de eo, quod fieri debet, animum subit. Quodsi ergo modo dicta accuratiori mentis lance expendas; dicendum erit, consistere in hoc imitationem ingeniosam eorum, quæ vel in communissimis ac maxime obviis negotiis facta sunt, in negotiis publicis. Hinc videas rerum vulgarium notitia instructos, modo acumine ac ingenio polleant, in arripiendis consiliis promptissimos deprehendi, ut inde manaverit præjudicium, quasi nosse literas non modo nil prosit negotia publica gerenti, sed prorsus obsit. Notandum vero est, quæ de reductione negotiorum publicorum ad notiones communes diximus, non modo obtinere, quando de eo incidit quæstio, quid fieri conducat, verum etiam quando quæritur, quid juste fiat.

fiat. Nimirum vulgo animis hominum ea ſedet opinio, quod quid juſte fiat, ubi alteri nulla eſt de nobis conquerendi ratio: cui omnino aliquid veri ineſt, modo notio rite determinetur, quemadmodum ex iis intelligitur, quæ de notione juſtitiæ in Horis hiſce ſubſecivis alibi tradidimus. In negotiis communibus levi attentione advertitur, num alteri de facto alterius conquerendi ratio ſit, & factum alterius defenditur principiis communiſſimis, quibus vulgo ſtatur. Judicium adeo iſtud transfertur ad negotium publicum, utut ita judicantes ipſimet ignorent, cur ita judicent: neque enim rationem reddere valet, niſi qui mentis humanæ indolem ex Pſychologia cognitam atque perſpectam habet, ne deſint notiones diſtinctæ eorum, quæ in anima noſtra contingunt. Hinc enatum eſt præjudicium, quaſi theoria juris naturalis paucis principiis atque ab omnibus conceſſis contineatur, immo ea de cauſa nonnulli guſtum quendam moralem commenti ſunt, quo juſtum ab injuſto, æquum ab iniquo

eadem facilitate discernatur, qua sensibilia sensu distinguuntur, & censuram incurrit Philosophus, si theoriam llius juris profundius scrutatur, ut quoad ipsa principia satisfaciat etiam iis, quorum assensus aliter, quam vi demonstrationis extorquenti nequit, & ut ex ipso fonte hujus juris eadem deducantur: id quod utilitatem affert, quam aliunde sperare minime licet. Illud quoque silentio prætereundum non est, subinde veritatem adeo obviam esse, ob circumstantias casus præsentis, ut oscitantiæ tribuendum sit, nisi eam animadvertas, quæ illis absentibus non nisi multo acumine & longa ratiociniorum serie eruenda, ita ut eam invenire nequeat qui arte inveniendi præstat, deficientibus adhuc principiis, quibus ad ratiocinandum opus est. Quodsi igitur hactenus dicta ad animum revocare volueris, haud obscure intelliges, quomodo veritates ad theoriam negotiorum publicorum spectantes reperiri potuerint ac hodienum subinde reperiantur, quas deinde factorum alienorum imitatores in rem suam convertunt, nunc feli-

felici, nunc infelici successu, prout fortuna eos juvat, vel repellit, aut vel cœca fuerit imitatio, vel rationalis. Accedit & hoc, quod tentando eruatur veritas, quemadmodum facere solent artifices circa ea, quæ sunt artis suæ, ut ob rationes probabiles aliquid fiat & ubi eventus voto minime respondet in rationes inquiratur, cur spes fefellerit, ac error his sæpe invitantibus emendetur, donec multiplici experimento eruatur veritas. Exemplum præbet Architectura militaris, ubi constiterit, quomodo ars muniendi ad præsentem formam tandem fuerit perducta, quamvis etiam Astronomia & Philosophia experimentalis talia suppeditet. Existimandum non est artis inveniendi nihil prorsus esse hominibus, qui scientiis excolendis operam suam minime ad dixerunt. Abunde igitur patet, esse aliquam theoriam, juxta quam expediuntur negotia publica, & ex quonam fonte ea manaverit.

§. 13.

Restat vero, ut dicamus, qualis sit ista theoria, ne quis existimet, super- *Qualis sit theoria juxta*

 flua

quam hactenus negotia publica geruntur.

flua esse, quæ supra de theoria negotiorum publicorum satis prolixe disseruimus. Neque enim dubito fore haud paucos, qui ex modo dictis illaturi sunt, non opus esse scrupulosa ista, quam nos commendamus, obtentu difficili theoria, cum prostet longe facilior, diuturno usu comprobata, ad quam facilis est accessus. Tenendum itaque est, theoriam istam, quæ ob facilitatem laudatur, notionibus plerumque nonnisi confusis contineri, quatenus universalia in singularibus notis continentur, & notiones istas haud raro esse indeterminatas, præsertim ubi propositionibus hypotheticis respondent. Qua de causa contingit, ut propositiones hypotheticæ habeantur pro categoricis, quasi in omni casu verum sit, quod non nisi in aliquo succedit, sicque theoria non subsistat vera, sed in falsam abeat, quæ eventum potestati fortunæ prorsus subjicit, ut hinc prono alveo fluant querelæ de incertitudine negotiorum humanorum. Deinde notandum est, theoriam istam non esse rationalem, sed totam empiri-

piri-

piricam, ut adeo veritatem certo non agnoſcant, qui in eadem acquieſcunt, ſed ea ob probabiles ſaltem quasdam rationes pro vera habeatur. Nec hoc negligendum eſt, quod theoria iſta ſit admodum imperfecta, cum plurima in eadem deſiderentur, quæ ad exaſciatam requiruntur, qualem praxis certa requirit: ne dicam de eo, quod ſit maxime incompleta, quæ nonniſi audacioribus ſatisfacit, non vero prudentiæ locum relinquit. De his ſingulis ut dicamus apertius, præſentis inſtituti ratio non fert. Quodſi quis ea, quæ de theoria vera & exaſciata prolixe inculcavimus, cum hac altera, quam paucis tetigimus (§. 12), conferre voluerit, dictis facilem habebit fidem, modo notetur non omnia, quæ in theoria hactenus frequentata continentur, eodem pretio eſſe taxanda. Neque enim particularia a ſe invicem diſtingui poſſunt, ubi in genere ferendum judicium, quod cum plurimis conſentire ſufficit. Nihil adeo malum eſt, quin ei admixtum ſit aliquid boni, nec quicquam adeo imperfectum eſt, quin ei adhæreat quod

ad perfectum requiritur, quemadmodum & erroribus aliquid veri inesse contingit. Non nego utilem operam sumi in singulis, quæ de theoria ista strictim dicta sunt (§. *cit.*), justo pretio taxandis, dicique a nobis poterant non modo certissimam, sed etiam amplissimam utilitatem habitura. Enimvero diffusa hæc tractatio non modo limites excederet, quibus jam circumscribimur; verum etiam a præsente instituto ad alienum nos avocaret. Nobis enim propositum erat evincere, quod detur aliqua theoria negotiorum publicorum, & docere, quænam ea sit, ex quo fonte manet ac quomodo ad eandem perveniatur; non vero taxare negotia publica, qualia nunc geruntur. Quodsi vera illa theoria & rationalis, quam urgemus, fuerit detecta, & ab iis, quorum interest, agnita ac in usum deducta, modum, quo nunc geruntur negotia publica, unusquisque ipsemet taxabit, nec opus est ut alius opus invidiæ plenum aggrediatur. Corruent enim præjudicia sua ve-

veluti ſponte, quæ nunc multorum animos occœcant, ut veritatem videre nequeant, & malevolis anſam calumniandi dant. Abſit autem ut quis exiſtimet, nos theoriam iſtam, quæ uſu addiſcitur & per traditionem propagatur, ac experientia domeſtica locupletatur, immo ſubinde proprio acumine ampliatur, damnare ac tanquam ſpuriam totam rejicere: hæc enim a mente noſtra procul abſunt, qui non reprehendimus, quod hoc Catone contenti ſint negotiorum publicorum curatores, quamdiu verior illa & magis exaſciata horum negotiorum theoria nondum proſtat. Ecquis enim adeo veſanus erit, ut eos nihil agere velit, quorum eſt curare ut negotia publica habeant exitum? Et quis humanæ ſortis adeo parum memor erit, ut nolit eum facultatum noſtrarum uſum fieri, qui conceditur, quando is nondum in poteſtate eſt, qui nulla ex parte a rectitudine deficit, & omnium ſimul legitimus uſus negatur? Nequaquam exigimus, quæ inter moraliter impoſſibilia recte referuntur, nec eam re-

qui-

quirimus negotiorum humanorum, qualia etiam ſunt publica, exactitudinem, ne ulla imperfectionis labe inficiantur. Id unice jam intendimus, ut ad rectitudinis normam adeo prope accedant, quantum datur, ne defectus agenti imputari poſſit, & hoc urgemus, ut ad omnimodam rectitudinem contendamus, quantum per eum, qui nobis conceditur, facultatum uſum fieri poteſt, utque illi, quibus amplior facultatum uſus divina providentia conceſſus eſt, pro virili propoſitum hoc promoveant, ne deſint obligationi, qua tenentur ad felicitatem generis humani promovendam. Quoniam itaque theoria verior & magis exasciata negotiorum publicorum, quam in anterioribus delineavimus, ad hunc ſcopum collineat; in id incumbendum eſſe contendimus, ut ea in apricum producatur ac collatis plurimorum operis, quantum datur, continuo magis magisque perficiatur: neque enim exiſtimandum eſt unius hominis eſſe completam condere theoriam, quæ aliorum induſtriæ nihil ſuperaddendum re-

relinquat. Id autem pro certo habemus multum præstare, ut aliqua, quamvis manca adhuc & mutila prostet, quam nulla: inventis enim facile est addere & imperfecta facilius emendantur & ad ulteriorem perfectionis gradum evehuntur, quam primum deteguntur. Haud difficile foret exemplo Mathematicorum hoc docere &, qui philosophus audio, rationibus quoque idem confirmare poteram invictis; sed in tantas ambages descendere a præsente instituto alienum putamus. Utilitas & necessitas theoriæ rationalis, quam empiricæ opponimus, ex superioribus abunde elucet. Nec multa attentione, acumine multo opus est, ut agnoscas, theoriam rationalem multis parasangis post se relinquere empiricam. Quamobrem si vel maxime largiamur, quod tamen prætendi nullo modo potest, theoriam, quam diximus, empiricam esse completam, ut nihil amplius eidem accedere queat; id tamen minime obstabit, quo minus ad rationalem reducatur & hæc omni, quo fieri potest, modo excolatur. Lucem his affun-

affundunt, quæ de Logicæ naturalis & artificialis differentia hujusque præ illa utilitate demonstrata sunt in Prolegomenis Logicæ.

§. 14.

An eventus certus pendeat a theoria rationali negotiorum publicorum.

Satisfaciendum denique est quæstioni, num eventus negotiorum humanorum certus sit, si secundum theoriam rationalem dirigantur, quem nunc incertum esse constat, ita ut spem maximam haud raro fallat. Ad judicium definitivum, quo nititur decretum & propositum agendi, requiritur notio distincta casus præsentis & principium generale, quid in eo juste ac prudenter fiat, ex theoria petendum. Illa in ratiocinio definitivo minoris, hoc majoris locum subit. Si vera esse debet conclusio, quod ipsum judicium definitivum est, utraque præmissa vera esse debet (§. 537 *Log.*). Necesse igitur est, ut non modo principium, quod ex theoria petitur, verum sit, sed etiam ut casus præsens rite fuerit determinatus. Casus datus determinatur per circumstantias præsentes (§. 180 *Part. II.*

II. Phil. pract. univ.). Quamobrem nisi circumstantiæ omnes tibi fuerint cognitæ atque perspectæ, casum rite determinare had quaquam potes, consequenter licet negotiorum publicorum theoriam completam habueris, judicium tamen definitivum minime fallax formare non valebis. Applicabis enim principium, sub quo continetur casus, qui tibi videtur, non vero illud, sub quo continetur qui est. Eventus adeo certus non est, cum certitudo pendeat a veritate judicii definitivi. Et si vel maxime noris, circumstantias omnes tibi non esse perspectas, cum tamen agendum sit, quod jam supponitur, secundum probabilitatem per eas, quæ tibi innotuere, circumstantias, vel quas præterea conjectando assequeris, determinandus erit casus præsens & ex theoria applicandum principium, sub quo casus probabiliter determinatus continetur. Nemo autem Logicæ gnarus ignorat non majorem esse certitudinem in conclusione, quam fuerat in præmissis, consequenter patet, non nisi probabile esse, quod sic ju-

ste

ste ac prudenter agat, atque adeo fortunæ aut, si mavis, providentiæ divinæ committendus est eventus. Dubius adeo adhuc eventus est, etiamsi theoriam maxime completam possideas, cumque in potestate tua positum non sit detegere omnes circumstantias, quas ad casum præsentem rite determinandum nosse debebas, nec prævidere liceat circumstantias in executione negotii sese oblaturas, impossibile quoque est ut de eventu certo tibi constet. Absit igitur, ut tibi persuadeas, a theoria negotiorum publicorum rationali expectandum esse, ne spes concepta unquam fallat. Neque vero existimandum est, tum nullum esse theoriæ rationalis effectum: etenim ab omni culpa te immunem præstat. Quanti vero sit possidere animum ab omni culpæ sensu liberum, ubi negotium ex voto non succedit, nec in hoc quicquam tibi imputari potest; abunde intelliget, qui principia theoriæ ac praxeos Philosophiæ practicæ universalis perspecta habet, quæ in utraque ejusdem parte a nobis demonstrantur. Ultra hominum

num ſortem poſitus eſſe debet, qui in omni caſu negotii eventum certo prævidere voluerit. Habet equidem theoria rationalis negotiorum publicorum aliquid ſingulare, quod ubi fuerit familiaris caſibus etiam minime prævifis medeatur, circumſtantiis ex improviſo emergentibus, dum in ipſo actu conſtitutus; veruntamen de eo in præſenti non dicam. Quæ dicenda ſunt, ab iis pendent, quæ de præparatione ad caſus futuros demonſtrantur in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis: inter caſus enim futuros, ad quos nos præparare debemus, referuntur quoque caſus ſubiti ac improviſi, quibus omnino accenſendi ob circumſtantias non cognitas minime determinabiles, dum deliberabatur. Denique hoc quoque notandum venit, quod, qui ſecundum theoriam rationalem probabiliter agit, quatenus ſcilicet eandem ad caſum præſentem probabiliter applicat, de eventu magis ſecurus eſſe poſſit, quam qui nulla probabilitate agit, ſed temerario auſu negotium aggreditur. Sed quæ a principiis

Logicæ probabilium, quæ hactenus in desideratis est, pendent; de iis vix consultum est ut dicatur.

II.

De Versione Librorum juxta Philosophiæ nostræ adornanda.

§. I.

Institutum Autoris. Dudum in more positum est iis, qui sub signis infensissimi scientiæ ac virtutis infucutæ hostis militant ac stipendia merent, ut, si quid male factum appareat ab iis, qui vel lectionibus nostris interfuerunt, vel libros nostros legerunt, vel quæ fando de iis perceperunt, approbarunt, vel principiis quibusdam nostris sive utuntur, sive abutuntur, id omne Philosophiæ nostræ imputetur & captiosa dictione fructus Philosophiæ nostræ appelletur. Cum enim legerint simile quid olim objectum fuisse a Gentilibus doctrinæ christianæ; coeci aliorum imitatores idem telum in Philosophiam nostram vibrant. Et quia etiam canum mores imitantur, latrante Cerbero statim latrant omnes.

La-

Latrant cum molossis catelli, & multitudo philosophiam nostram conlatrantium invictissimum præbet argumentum periculi summi ab ea Ecclesiæ ac Reip. imminentis, quasi nostris temporibus multitudo errantium pariat errori patrocinium. Quodsi ergo quis vel librum aliquem male vertit ex uno sermone in alterum, quod in versione reprehenditur, fructus philosophiæ nostræ perhibetur, etiamsi in vulgus notum sit, quorumnam vestigia secutus fuerit interpres. Illustre in medium proferre poteram exemplum, nisi dudum decrevissem ad apertas fatuantium calumnias nihil reponere, aliis causam pro me accurate eleganterque dicentibus, ne, quod unice in votis habent, circulos meos turbari sinam. Nec est quod a proposito meo me diverti patiar, cum allatæ criminationes, quo sunt acerbiores, tanto magis faciant ad philosophiam nostram propagandam, ut non modo imprudens foret omnis de iis repellendis cogitatio; verum etiam ingratitudinis quandam notam incurrere viderer, nisi zelum tantorum

Q 2 præ-

præpagatorum ſaltem ſilentio venerarer. Qui philoſophus mentis aciem in id convertere ſoleo, quod boni actionibus aliorum vitioſis inhæret: præſertim cum alii eundem publico cultu dignum judicent, teſte dedicatione duobus ſermonibus de myſterio nativitatis Chriſti a Theologo eminente Reinbeckio in præſentia Regis Pruſſiæ recitatis atque ejus juſſu publici juris factis ac poſtea in Sermonem Gallicum verſis præmiſſa, cui maxime applaudunt æquiſſimi rerum æſtimatores, nec deſunt approbatores, quorum ſacratiſſima nomina dicere religio eſt. Quemadmodum vero nobis in more poſitum eſt calumniis opponere veritatem ad erudiendum dociles, altercari autem mulierum ritu cum rixatoribus famoſiſſimis, qui nulla veritatis ac virtutis reverentia, nec agendi more ac modo continentur, ingenuo homine indignum ſemper viſum; itaque quoque quod noſtrum eſt nos facturos exiſtimavimus, ſi de verſione librorum juxta principia Philoſophiæ noſtræ adornanda commentationem in publicum

cum proferremus. Quemadmodum enim vilis & abjecti animi est ad captandam gloriam aliorum famam lacessere; ita quoque nos a censendis ac refutandis aliis semper fuimus ac erimus alienissimi nominatim perstigentes neminem, & nobis sufficit nostram dixisse ac rationibus stabilivisse sententiam. Per nos unusquisque suo abundet genio & laude sua, quam nec immeritam alteri invidemus, fruatur.

§. 2.

Intentio libros ex uno sermone in alium vertentium.

Qui librum aliquem conscribit, id omnino intendere debet, ut eundem legentes mentem ejus percipiant. Quamobrem qui librum ex eo, quo conscriptus est, sermone in alium vertit; non aliud intendere potest, quam ut versionem legentes mentem autoris assequantur, ut perinde sit ac si textum authenticum legerent. Scripsimus nos Logicam lingua vernacula in usum prælectionum academicarum, quem etiam ipsimet in Latinam transferre coacti sumus, in Gallicam, Italicam & Belgicam transtulere alii. Qui hasce dedere versiones, voluisse

utique dicendi ſunt, ut ea, quæ Germanice ſcripſimus, intelligantur etiam ab iis, qui verſiones legunt. Unde ſcopo ſuo ſatisfeciſſe dicendus eſt interpres, ſi perinde ſit, ſive quis librum Germanicum, ſive verſionem legat. Quod hic ſumo, adeo evidens eſt, ut a nemine in dubium vocetur. Habemus adeo principium certum & ab omnibus conceſſum, ex quo deducenda ſunt, quæ de libris ex uno ſermone in alium vertendis præcipiuntur. Cum noſtra, qua philoſophamur, methodus non admittat, ut ſumantur, niſi quæ ab omnibus conceduntur, ſaltem concedi debent, niſi inſanire voluerint, nec permittat ut affirmentur, niſi quæ vi principiorum alibi jam demonſtratorum ex aſſumto deducuntur legitimo ratiociniorum nexu, nemo ſanus intentionem interpretis, quæ ab ea, quam diximus, abit, principiis Philoſophiæ noſtræ conformem dicet. Ponamus itaque interpretem id agere, ut alium a ſenſu Autoris menti lectoris inſtillet; intentionem ejus philoſophia noſtra damnat, nec dici poteſt, quod

in

in vertendo libro obſervaverit, quæ de iisdem vertendis præcipit philoſophia noſtra. Intentio diverſa ab ea, quam hic in interprete requirimus, methodo, qua philoſophamur, e diametro repugnat, &, ſi eandem probare vellemus, methodum iſtam reprobare teneremur, qua philoſophia noſtra ab omni alia diſtinguitur. Id adeo verum eſt, ut, etiamſi meliora & veriora tradere voluerit, quam tradidit autor, id tamen minime ferat philoſophia noſtra, quæ notiones diverſas non confundere ſinit, aliud autem eſt vertere, aliud emendare librum alterius (§. 183 *Ontol.*). Multo minus autem ea fert, ut verba Autoris ſtudio pervertantur, quo gignant ſenſum a mente ipſius alienum: neque enim ſolum diverſa ſunt vertere & pervertere verba, quæ duo confundi non ſinit Philoſophia noſtra; verum etiam hic ipſe auſus, quocunque animo fiat, principiis Philoſophiæ practicæ pro diverſitate intentionis diverſis repugnat. Nemo itaque dixerit absque injuria intentionem ab ea, quam in interprete requiſivimus,

vel in minimis quomodocunque dissidentem esse principiis Philosophiæ nostræ conformem.

§. 3.

Regula prima de identitate significatus vocabulorum in textu authentico & versione sibi mutuo respondentium.

Cum igitur ratum sit, qualis esse debeat intentio ejus, qui librum ex sermone, quo conscriptus est, in alium vertere decrevit, nunc porro disquirendum, quomodo huic intentioni satisfiat. Vocabula sunt signa nostrarum perceptionum, seu rerum per eas repræsentatarum (§. 271 *Psych. empir.*). Mentem adeo autoris intelligimus, si easdem perceptiones in anima nostra excitantur, seu res eædem in ea repræsentantur, quas iisdem indigitare voluit. Nimirum qui mentem ejus intelligere voluerit, is & perspectos habere debet terminos, quibus utitur, nosseque notiones iis jungendas (§. 118 *Log.*). Secus qui facit, mentem alterius non intelligit. Quamobrem cum perinde esse debeat, sive quis textum authenticum, sive versionem legat (§. 2); necesse est, ut per vocabula, quæ in versione leguntur, eædem perceptiones, seu notiones in anima excitentur, quæ in

ea-

eadem excitantur per vocabula in textu authentico iisdem reſpondentia. Atque adeo patet, vocabula Autoris & ea, per quæ redduntur, in verſione eundem prorſus ſignificatum habere debere. De regulæ hujus veritate nemo ambigit, ita ut haud paucos fore non dubitem, qui eam absque probatione admittant, immo qui reprehendant, quod per ſe manifeſta nec ab ullo ſano in dubium vocanda demonſtremus. Enimvero hi erunt, qui & officium Philoſophi ignorant, & a præſentis inſtituti ratione animum avertunt. Philoſophi eſt rationem reddere eorum, quæ ſunt (§. 46 *Diſc. prælim.*), adeoque etiam rationem reddere tenetur, cur identitas ſignificatus vocabulorum in textu authentico occurrentium & in verſione iisdem reſpondentium ſancte ſit obſervanda, quo ſcilicet per naturam vocabulorum & intentionem interpretis intelligatur, cur id fieri neceſſe ſit (§. 56 *Ontol.*). Philoſophus rationem quoque reddit eorum, quæ quod ſint in vulgus notum eſt. Neque enim id facit eo fine, ut ali-

os convincat, verum esse quod hoc sit, sed ut doceat, cur sit. Rusticis notum est stercoratione agrum resoveri: hoc tamen non obstante Philosophus inquirit in rationem, cur stercora agro concilient fertilitatem. Porro nobis jam propositum est ostendere, quænam versio sit principiis Philosophiæ nostræ ac methodo, qua philosophamur, conformis (§. 1.). Necesse igitur est, ut ex principiis, quæ in operibus nostris philosophicis stabilimus, eadem methodo deducamus regulas, quas unanimiter admittunt omnes, ut earundem cum Philosophia nostra manifestus sit consensus. Quodsi enim contingat interpretem libri cujuscunque in hasce regulas impingere, a veritate alienum est, quod Philosophiæ nostræ tribuendum sit, cur in eas impegerit. Alia adesse debet ratio, cur a regulis philosophiæ nostræ conformibus aberraverit, quæcunque tandem illa fuerit, & absurdum est pronunciare, quod interpres ad principia Philosophiæ nostræ animum advertens ab iis necessario recedere debuerit.

§. 4.

§. 4.

Quæ de identitate significatus vocabulorum in textu authentico & in versione sibi mutuo respondentium præcipiuntur, etsi adeo manifesta sint, ut citra manifestam absurditatem in dubium revocari nequeant, adeoque omnes eadem largiantur (§. 3); non tamen eadem facilitate iisdem satisfit, qua præcipiuntur. Quodsi enim versiones librorum, quæ prostant, cum textu authentico, ex quo in alium sermonem translati sunt, conferas; quam sæpe in hanc regulam, quæ identitatem significatus vocabulorum in textu authentico & versione sibi mutuo respondentium urget, impingatur, animadvertes, ut non nudius tertius demum auditæ sint querelæ de paucitate bonarum versionum, & textus authenticus ideo præferatur versioni, immo in Theologo & verbi divini Ministro linguæ Hebraicæ atque Græcæ notitiam requirant Protestantes, quod Bibliorum versionibus non semper tuto fidatur. Sane cum agnoscere teneamur, quotquot scripturam sacram pro oraculis divinis habemus,

Quænam de applicatione regula prima tenenda.

mus,

mus, vocabula singula ea circumspectione fuisse selecta, ut, quod significare debent, quam exactissime exprimant, & minime omnium negare possint, qui ipsa verba autoribus divino spiritu afflatis inspirata contendunt; nullibi magis hæc regula adeo stricte observari debebat, quam in versione Bibliorum. Videmus tamen hoc non obstante interpretes, qui optimi celebrantur, nunc idem vocabulum reddere per diversa, etiamsi idem πολύσημον esse seu plures diversos significatus admittere probari minime possit, nec ulla urgeat ratio, cur ab eodem significatu recedatur; nunc vero plura diversa vocabula exprimi per unum, utut ne minima quidem adsit probabilitatis ratio, quæ suadere possit, eidem rei ab Hebræis atque Græcis plura diversa imposita fuisse nomina. Nemo hoc ignorare potest, nisi qui versiones Bibliorum nunquam cum textu authentico contulit, & ubi temere negare ausit, quod pro experto habendum, contrarii exemplis manifestis in ruborem extemplo datur. Stet per nos stabitque versio-

ni

ni vernaculæ Bibliorum a Luthero factæ suus honos (neque enim nostrum est emendare versionem Germanicam Bibliorum in Ecclesia Protestantium usu receptam): hæc ipsa tamen nobis suppeditat luculenta ejus rei exempla. Monuimus jam alibi (§. 380 *Met.*) necessitate ita exigente, Lutherum decem minimum vocabula Hebraica & triginta fere vocabula Greæca per Germanicum Vernunfft, quod eam animæ facultatem denotat, quæ rationis nomine venit, & qua homo a brutis potissimum distingui solet, reddidisse. An vero a te impetrare poteris, ut tibi persuadeas, Hebræos unam istam eandemque rem decem diversis nominibus, Græcos vero triginta eandem insignivisse? Absonum sane videbitur unicuique præter ullam necessitatem multiplicare tantopere nomina rerum, nec ulla censebitur gens adeo absurda, ut tanta nominum multitudine delectetur. Philosophia nostra, quæ omnimodam actionum rectitudinem tanquam obligationem naturalem urget (§. 189 *Part. I. Phil. pract. univ.*), istiusmodi

di vocabulorum substitutionem minime fert, sed ut regulæ de identitate vocabulorum in textu authentico & in versione exacte satisfiat quam rigorosissime exigit, etsi humanæ sortis memores aberrationes ab eadem in interpretibus æquo animo feramus &, quantum datur, excusemus, nec propterea eorum meritis, quorum laude merito fruuntur, quicquam detrahamus: etenim & hoc ipsum Philosophiæ nostræ principiis conveniens esse cum qua theoriam, tum qua praxin suo constabit loco. Enimvero ut rectius intelligatur, quomodo regulæ isti satisfiat, distinguendum est inter vocabula simpliciter posita, & inter loquendi formulas ex pluribus vocabulis compositas, quas *phrases* appellamus. Vocabula singula in se spectata in qualibet lingua ex usu loquendi proprium quendam habent significatum, quatenus certam quandam perceptionem, adeoque certam quandam rem eadem repræsentatam denotant, etsi per inconstantiam loquendi nonnunquam notionibus, quæ iisdem respondent, pro diversitate circumstantiarum aliquid

quid adhæreat peregrini non ſemper idem, ut vagus hinc naſcatur ſignificatus, quatenus ad hoc ipſum ſignificandum vel ſimul, vel præcipue a loquente adhibetur. Quodſi ergo regulæ de identitate ſignificatus vocabulorum in textu authentico & verſione ſatisfaciendum; ſi in illo vocabulum aliquod ſimpliciter ponitur, eidem in hac ſubſtituendum eſt, quod eundem ſignificatum proprium in eo ſermone ex communi loquendi uſu habet, in quem vertitur. Quodſi contingat, autorem ſumere vocabulum in ſignificatu vago, in verſione ponendum eſt, quod eundem ſignificatum vagum in altera lingua admittit, aut vocabulo in proprio ſignificatu accepto adjiciendum eſt aliud, quod ideam ſecundariam, ad quam in vago ſignificatu reſpicitur, denotat, ubi in verſione ex contextu ſecus conjectando aſſequi non datur, quod in textu authentico ſatis manifeſtum. Minime igitur probandum, ſi vocabulis autoris ſubſtituantur alia, quæ quid denotant, unde illud colligitur, quod is indigitare voluit: quodſi

quodsi enim autor vocabula, quibus utitur, probe ponderat, num ad mentem suam rite exprimendam conducant, adeoque non sine judicio scribit, in ipso contextu continetur ratio, cur hoc potius vocabulo uti maluerit, quam alio, & in hoc emphasis verborum consistit, quæ omnino perit, si aliud in versione substituatur, etsi citra errorem hoc fieri posse videatur. Nemo non hoc admittere tenetur, qui vim ac potestatem verborum novit, quibus regula enunciatur. Secus tamen haud raro faciunt interpretes. Nullibi magis obfervari debebat, quod ad emphasin verborum quomodocunque facit, quam in versione scripturæ sacrcæ, cum nobis persuasissimum esse debeat, autores sacros summo studio elegisse vocabula, ita ut, si non uno modo mentem suam exprimere potuissent, semper dari possit ratio, cur hoc potius modo eandem exprimere maluerint, quam alio. Hoc tamen non obstante optimas, quæ laudantur, versiones in eo deficere deprehendimus. Occurrunt exempla in Theologia natura-

turali, ubi ea, quæ ex principiis rationis de Deo demonstravimus, scripturæ sacræ conformia esse ostenditur. Exempli loco sit, quod de incorruptibilitate Dei diximus (§. 95 *Part. I. Theol. nat.*). Nimirum Apostolus *Rom.* I. 13 Deum appellat ἄφθαρτον, quemadmodum hominem φθαρτόν vocat. Vocabulum istud significat incorruptibilem, quemadmodum vertit interpres vulgatus verborum proprietati inhærens. *Castellio* vero id ipsum reddit per immortalem, & *Lutherus* per vocabulum vernaculum unvergänglich seu non transitorium. Non est quod dicas, perinde esse sive Deum dicas incorruptibilem, sive immortalem, cum incorruptibilis esse debeat, si immortalis est, immo immortalitas proprie magis de Deo incorporeo prædicetur, quam incorruptibilitas, cum corporum sit corruptibile esse. Nihil adeo reprehendendum esse in versione *Castelliana*. Similiter cum vernaculo sermone corpora dicamus vergänglich seu transitoria, quia sunt corruptibilia: id transitorum non est, quod incorru-

ptibile, adeoque ſermone vernaculo recte dici unvergånglich. Neque adeo cenſuram mereri *Lutherum*, quod Deum non dicat unverweslich, ſed unvergånglich. Immo forſan erunt, qui ſibi perſuadebunt, vernaculo ſermone Deum multo ſignificantius vocari unvergånglich, quam unverweslich. Enimvero in Theologia naturali (*loc. cit.*) jam annotavimus, non eſſe vocabulum, quod durationem Dei indefectibilem ſcopo Apoſtoli amentiam gentium ob idololatriam accuſaturi convenientius exprimat, quam incorruptibilitas, ut adeo pereat emphaſis omnis, quæ verborum Apoſtoli eſt & animum ad ea attentum luce ſua percellit, ſi vocabulum quodvis aliud, quo eadem duratio indigitari poteſt, ſubſtituatur. Dicendum itaque eſt mentem Apoſtoli nec a *Caſtellione*, nec a *Luthero* exacte exprimi. Nec utrumque interpretem rite ponderaſſe verba Apoſtoli, & in rationem inquiſiviſſe, cur Deum potius incorruptibilem, quam immortalem aut non tranſitorium appellare maluerit. Plura iſtiusmodi

ſpe-

ſpecimina in medium proferre poteramus, quibus palam fit, interpretes ſcripturæ ſacræ non ea uſos eſſe attentione, qua opus eſt, ſi regulæ de identitate ſignificatus vocabulorum in textu authentico & verſione ex aſſe ſatisfaciendum. Tanto autem facilius attentionem iſtam in ſe deſiderari paſſi ſunt, quod in notionibus confuſis acquieſcentes determinatum vocabulorum ſignificatum minime expenderunt, ut adeo pateat, quantum valeat cenſura illorum, qui ferre nolunt incorruptibile, immortale & non tranſitorium accuratis definitionibus a ſe invicem diſtingui, & tantum non in crimen vertunt, ſi quis in explicanda ſcriptura ſacra vocabula, quæ per notiones confuſas ex communi loquendi uſu iisdem adhærentes intelligi ſatis putantur, ad definitiones confugit, ſine quibus perſpicere non licet, quantum ſignificatus unius a ſignificatu alterius differat, nec mentem loquentis ſufficienter inſpicere licet, qui ad eam exprimendam ſeligit, quod convenientiſſimum eſt. Utinam proſtaret Lexicon Biblicum,

in quo genuinus vocabulorum Hebraicorum & Græcorum in libris utriusque fœderis occurrentium significatus per exactas definitiones stabiliretur, & phrases similiter explicarentur; nullus dubito fore, ut majorem inde utilitatem in explicanda scriptura sacra & ad varios usus applicanda, quam ex vastis commentatorum multorum voluminibus perciperemus. Obiter hic notamus, ex iis, quæ de vertenda Scriptura sacra in sermonem alium modo dicta sunt, haud difficulter colligi, quid sentiendum sit de ausu illorum commentatorum, qui exiguo temporis spatio vasta volumina in publicum protrudunt, ex diversis aliorum voluminibus male cohærentia compilantes & exercitiorum styli memores, quæ pueris in Scholis commendantur propter verborum copiam, dictionem variant, ne plagiarii dicantur. Parum reverenter verbum Dei habent, qui hoc faciunt, præsertim ubi non alio fine quam crumenæ locupletandæ gratia hoc faciunt, ac ideo omni studio coactos quærunt emtores. Urgent

gent Theologi Protestantes linguæ Græcæ atque Hebrææ notitiam in eo, qui Scripturam sacram aliis explicare voluerit, ne versione nimium fidens mentem autoris sacri non satis assequatur & ab ea aliena pro verbo Dei venditet. Ad verborum itaque significatum probe ponderandum, quantum sufficit, ut mentem autoris sacri habeas perspectam, plus temporis requiritur, quam istiusmodi sarcinatores verbis consarcinandis impendunt, præsertim cum versiones, quæ hactenus prostant, loquantur, verba textus authentici hactenus non satis fuisse ponderata ab interpretibus: id quod omnes confiteri tenentur, qui studium linguæ Hebraicæ ac Græcæ tantopore urgent, nisi præter rationem id a se urgeri concedere velint in omnibus promiscue Theologiæ studiosis. Sed hæc dicta sunto de vocabulis absolute positis. Phrases quod spectat, nemini ignotum est, etsi ex pluribus vocabulis componantur, eas tamen spectandas esse instar termini unius, cui quædam respondet notio complexa, per ipsum

significata non vi vocabulorum, sed ex usu loquendi, utut ratio denominandi hinc subinde desumta sit, quemadmodum etiam contingit, vocabula derivativa & composita rationem significatus etymologicam habere. Rarissime autem obtinet, ut eædem phrases sint pluribus linguis communes: quin potius unicuique proprias esse phrases deprehendimus. Quodsi itaque regulæ de identitate significatus vocabulorum in textu authentico & in versione satisfacere volueris; phrases vertendæ sunt per alias in altero sermone receptas & istis quoad significatum æquipollentes, non vero vocabula singula reddenda sunt per ea, quæ iisdem in altero sermone quoad significatum singulis in se spectatis competenter respondent. Ita Latinis omnem movere lapidem dicitur, qui omnia conatur & experitur. In vernacu[la] sermone dicimus sich auf das äuser[ste] bemühen. Hæ duæ phrases eunde[m] habent significatum, nullum tam[en] vocabulum in una lingua respond[et] cuidam in altera. Similiter in sermo[ne]

Latino lapidem ferre altera manu, panem ostendere altera dicitur, qui coram alteri blanditur, clanculum vero inimicum erga ipsum ostendit animum. In vernaculo sermone dicere solemus, sich vorwärts gut stellen, hinter dem Rücken aber sich feindseelig bezeigen. Significatus phrasium idem est, vocabula tamen singula in utroque prorsus diversa. Quodsi ergo secundum literam vertantur phrases, versio haud raro adeo obscura evadit, ut mentem autoris non assequatur, qui hanc legit, immo prorsus nesciat, quamnam verbis notionem jungere debeat.

§. 5.

Regula secunda de phrasibus vertendis.

Inquirendum adeo est interpreti in notionem, quæ phrasi autoris jungenda, ac deinde dispiciendum, quanam phrasi in altero sermone eadem indigitetur. Dum phrasibus vindicantur notiones determinatæ, idem agitur, ac si vocabula accurate definiuntur. Unde denuo patet, quantam utilitatem interpreti afferant notiones distinctæ, si certus esse velit,

ſe mentem autoris rite expreſſiſſe, ita ut nihil deſiderari in verſione poſſit. Neque vero putandum eſt hoc adeo facile eſſe, ut levem ſaltem attentionem, acumen nullum poſtulet. Qui diſtinctis notionibus animum non habent refertum, nec quid interſit, utrum diſtinctas, num confuſas ſaltem habeamus notiones, experti ſunt, de phraſium æquipollentia judicium exactum ferre nequeunt. Unde videas in eodem ſermone ſæpiſſime pro æquipollentibus haberi & promiſcue uſurpari, quibus tamen non præciſe eadem notio reſpondet. Dantur etiam phraſes in uno ſermone, quibus aliquam æquipollentem in altero ſermone reperire minime licet, ut adeo verſio mutanda ſit in periphraſin: quo tamen non obſtante haud raro perit emphaſis. Atque hæc prægnans ratio eſt, cur qui Scripturam ſacram aliis explicare voluerit, Linguæ Hebraicæ atque Græcæ non ſit ignarus, ne minus dicat, quam ſcriptores ſacri verbis ſuis inſinuare voluerunt, neque addat a mente ipſorum aliena. Arduum igitur cenſeri debet verbum

Dei

Dei interpretari & explicare aliis, ne idem minus reverenter habeamus, quam par est. Utinam hoc perpenderent, qui Commentarios in Scripturam sacram conscribere pro modo acquirendi Theologis proprio habent! Non jam descendimus ad particularia, quæ de vertendis phrasibus dici poterant. Supponunt enim phrasium theoriam, quam inter desiderata referre tenemur, cum nondum prostet Philosophia verbalis, disciplinis ad eam spectantibus, quales sunt Grammatica generalis & Rhetorica, ad rationes solidas methodo demonstrativa nondum revocatis. Habent etiam phrases in qualibet lingua suas rationes, quæ a generalibus pendent principiis methodo demonstrativa stabiliendis. Ubi Philosophia realis satis fuerit exculta, erunt etiam qui ad verbalem excolendam utiliter animum appellent. Sufficiat igitur nos hic tradidisse, quæ acumine præditis ad ulteriora prosunt.

§. 6.

Dantur etiam modi loquendi, linguæ uni ita proprii, ut in alia nullum *Regula tertia de Idiotismis*

 ha-

lingua-rum. habeant locum, quos *Idiotismos* appellamus. Per se patet, hos quoad literam verti minime posse. Quamobrem si idiotismi occurrunt, in versione utendum est vocabulis, quæ ex consuetudine loquendi in isto sermone, in quem transfunditur quod alio scriptum, idem significant, quod autor indigitare voluit. Tyronibus linguæ Hebrææ notum est, Hebræos superlativum exprimere per positivum adjecta particula valde, ita ut quod optimum dicitur, valde bonum dicant. Quamobrem cum Gen. I. 31. Moses narrat, Deum vidisse cuncta, quæ fecerat, & fuisse valde bona; nemo non videt, dicendum esse, quod fuerint optima, consequenter in versione Germanica legendum esse non, ut Lutherus vertit, **es war alles sehr gut**, sed potius: **es war alles auf das beste gemacht**, quemadmodum pluribus docuimus, cum evinceremus doctrinam de mundo optimo a Deo creato esse Scripturæ sacræ conformem (§. 406 *Part. I. Theol. nat.*). Sane neque in lingua Latina valde bonum & optimum, neque in Germa-

manica sehr gut & auf das beste gemacht, idem significant. Quod valde bonum est, idem melius esse non repugnat, adeoque optimum nondum est. Similiter idiotismus linguæ Hebraicæ est, quod ignis Dei, vel caligo Dei, denotet ignem maximum, vel calliginem maximam. In versione igitur male legitur ignis Dei vel caligo Dei, cum versionem legentes minime intelligant, quid autor hac appellatione sibi velit. Monuimus quoque jam alibi (§. 416 *Part. I. Theol. nat.*), idiotismum linguæ Hebrææ, qui unico vobabulo Hebraismus in specie dici solet, esse quod omne verbum idem significet ac omne ens seu rem omnem, aut stylo Germanico alles, was genannt mag werden, hoc est, quicquid nominari potest. Unde versio vulgata Jerem. XXXII. 17. Hebraismum sapit, quando in ea legitur, non erit tibi difficile omne verbum, & laudavimus *Castellionem*, qui ita vertit: non est tibi ardua res ulla, atque Lutherum, qui eundem Hebraismum evitaturus verba angeli ad Mariam Luc. I. 37. reddit: Bey GOtt ist kein Ding

Ding unmöglich. Nemo non videt hic quoque, non esse unum idemque, sive in Latino sermone dicas, non est impossibile apud Deum omne verbum, sive neges rem ullam Deo impossibilem esse. Etenim si ad verba priora, quæ Hebraismum sapiunt, animum advertas, tibi persuadebis, dici ab angelo, quod Deus facere possit, quæ dicit; cum potius insinuet eum ens omne ad actum perducere posse, seu facere posse, quicquid possibile. Si verba angeli ratione Hebraismi habita vertantur, argumentum pro omnipotentia Dei suppeditant; minime autem, si Hebraismus infertur in alium sermonem, in quo eidem locus non est. Et quamvis quod per Hebraismum minus recte retentum insinuatur a veritate non abhorret; in contextu tamen omnia magis ac melius cohærent, ubi agelum ad omnipotentiam Dei provocare intelligis: id quod hic latius deducere non est nostri instituti. Abunde igitur patet, idiotismos in versionibus summo studio esse vitandos & scopo interpretis repugnare,

si

ſi eosdem in verſionem inferat (§. 2). Quod vero de phraſibus paulo ante monuimus (§. 5); idem quoque de idiotismis tenendum. Scilicet dantur quoque idiotismorum rationes, quæ ad rationes generales revocari poſſunt in Philoſophia verbali explicandas. Eadem igitur ratio, quæ non permittebat, ut de phraſibus vertendis particularia in medium proferremus, etiam obſtat, quo minus hic ad particularia deſcendamus. Nobis enim in more poſitum eſt nihil affirmare, niſi quod ex principiis a nobis jam alibi demonſtratis fluit. Sufficit & hic aliorum provocaſſe attentionem & excitaſſe acumen, uti videant, qua via ſit eundum, ſi ad ulteriora progredi voluerint.

§. 7.

Ex hactenus dictis prona conſequentia infertur, interpretem apprime gnarum eſſe debere & illius ſermonis, quo liber in alium vertendus conſcriptus eſt, & alterius, in quem eundem transferre debet. Veluti ſi quis Bibliorum verſionem Germani- *Quanam requirantur in interprete*

cam

cam dare voluerit; in eo requiritur & linguæ Hebrææ atque Græcæ, & linguæ Germanicæ accurata notitia. Etenim interpreti perspectus esse debet in utraque lingua proprius vocabulorum significatus (§. 3), perspectæ esse debent phrases in utraque sibi mutuo æquipollentes (§.4), perspecti denique sint necesse est idiotismi (§.6). Ecquis ergo non videt, linguæ utriusque genium interpreti quam optime perspectum esse debere? Ad rimandum proprium verborum significatum & phrasium in utraque lingua æquipollentiam mirifice conducunt notiones rerum distinctæ (§.4. 5), immo subinde adeo necessarium est, ut sine illarum subsidio officio boni interpretis satisfacere non possis. Interpres adeo rerum quoque cognitione exquisita instructus esse debet, de quibus agitur in libro, quem transferre in alium sermonem decrevit: id quod inprimis tenendum est de libris dogmaticis. Qui mathematum rudis est, non bene vertit libros mathematicos: qui in omni philosophia peregrinus ac hospes est, ab

ab eo non expectabis translationem librorum philosophicorum, quæ satisfacit: qui juris imperitus est, versionem librorum juridicorum non dabit, quæ commendari possit. Sed cum nemo sit, qui hæc in dubium vocat, ut multa eam in rem dicamus opus non est. Non nego fieri posse, ut duo collatis operis vertant librum, quorum alter rerum probe gnarus, de quibus in eo agitur, sermonis autem ignarus, in quo conscriptus est; alter vero gnarus sermonis, ignarus rerum. Etenim tum duo simul funguntur officio interpretis & unam repræsentant personam, adeoque perinde est sive ea requisita, quæ sunt boni interpretis, insint eidem subjecto, sive diversis. Illustre habemus exemplum, quo idem confirmatur. Desiderabantur Libri quintus, sextus & septimus Conicorum Apollonii injuria temporum deperditi. Extabat Codex Msc. arabicus in Bibliotheca Serenissimi Magni Ducis Etruriæ. *Abrahamus Ecchellensis Maronita*, Romæ linguarum Orientalium Professor, linguæ Arabicæ notitia pollebat,

bat, sed Mathesin nunquam delibaverat: *Joh. Alphonsus Borellus*, in Pisana Academia Matheseos Professor, in Geometria erat versatissimus & methodum demonstrandi veterum optime callebat. Libros istos Latinos reddidit *Maronita*; curam in Geometricis versioni contulit *Borellus*. Collatis operis anno 1661 Florentiæ prodiit versio, quæ Geometrarum expectationi satisfacit. Illud quoque notandum est, rerum intelligentiam supplere defectum peritiæ sermonis, ita ut conjectura minime fallaci assequamur mentem autoris ex verbis minime percipiendam. Neque hoc mirum videri poterit, cum eodem modo sensus, qui per verba obscurior relinquitur, ex contextu pateat. Qui igitur distincte novit, quomodo sensus verborum per se obscuriorum ex contextu eruatur; ei etiam perspectum est, quomodo rerum gnarus conjectando assequatur mentem autoris, quam ex verbis non satis intellectis, immo sibi nondum notis, percipere nequit. Nimirum in utroque casu ipsa rei notio animo legen-

gentis obversatur, quæ verbis non intellectis aut obscurioribus jungenda verbis aliis perspicuis excitata. Quamobrem si in eam mentis aciem convertit, haud difficulter perspicit, quænam in ea verbis obscurioribus responderant. Facile unusquisque in seipso hujus rei experimentum capiet, qui ad operationes animæ attentionem sufficientem afferre didicit & eo pollet acumine, quod iis, quorum sibi conscius est, a se invicem separandis sufficit.

§. 8.

Regula quarta de explicatione sensus versioni non inferendis.

Qui librum vertit, verba autoris aliis idem significantibus in alia lingua reddere tenetur (§. 2. 3.), & quantus hic requiratur rigor, ne minus, vel plus dicatur, aut a mente ipsius aliena proferantur, præsertim in translatione scripturæ sacræ, supra inculcavimus (§. 4). Qui verba autoris explicat, non tam autoris, quam suis verbis enunciat, quamnam notionem animo legentis insinuare voluerit autor, ut a lectore suo melius intelligatur. Officium adeo interpretis restrictius est; multo autem li-

berius ejus, qui mentem autoris explicare intendit. Hic enim tantummodo de sensu sollicitus, non de verbis, & laudatur si mentem autoris, quamvis verbis aliis ac pluribus explanet. Nemo igitur non videt, cavendum esse interpreti, ne explicationem autoris aut periphrasin cum versione confundat, & versioni inferat, quæ ad mentem autoris explanandam arbitratur. Qui mentem autoris explicat, sive commentatione in verba ejusdem, quemadmodum faciunt Commentatores, sive brevi expositione, quemadmodum solenne est Paraphrastis; is contendit, hunc esse sensum verborum autoris, quem ipsis tribuit: qui vero librum aliquem vertit, is verba autoris aliis tantummodo linguæ alterius reddit lectori relinquens, ut in mentem ipsius inquirat. Commentator adeo & Paraphrasta contendit, hunc, non alium esse sensum verborum autoris: interpres vero non contendit, nisi quod verba autoris fideliter ac rite reddiderit, ita ut si is eodem sermone, in quem librum transtulit, eundem scripsis-

sisset, iisdem verbis usurus fuisset, seu uti debuisset, aut, si autor ipse versionem legat, mentem suam ex his verbis percipiat. Duo hæc a se invicem differre, agnoscere tenetur, qui notionem diversitatis admittit (§. 138 *Ontol.*) & ad eandem animum advertit. Quod autem Commentatoris & Paraphrastæ est, id non esse interpretis, ex iis liquet, quæ de rigore observandi regulam de identitate significatus verborum autoris & interpretis supra inculcavimus (§. 4). Nullibi magis hoc observandum, quam in versione Scripturæ sacræ. Cum enim agnoscamus, eam esse verbum Dei, sollicite cavendum, ne aliorum explicationes pro eodem venditemus. Qui Scripturam sacram explicat, demonstrare tenetur eam esse autoribus sacris mentem, quam ipsis tribuit: cum vero demonstratio omnis procedat ex assumto (§. 851 & *seqq. Log.*), præter verba autorum aut ipsis respondentia in versione rite adornata juxta superiora non est, quod sumi potest aut quod sumere licet. Quamobrem

si quis versionem Bubliorum daturus commentatores consulit, & quem illi probant sensum literalem versioni infert; is non textum, sed explicationem vertit, quam ex Commentario hausit. Nec est quod excipias, id culpandum non esse, ubi textus intellectu difficilis ad faciliorum intelligentiam hoc pacto reducitur, sed laudandum potius esse, præsertim si versione hebetudini consulitur. Etenim adjectis versioni notis idem obtinetur textus integritate salva. Aut textui adjicienda Paraphrasis, quemadmodum quoad Novum Testamentum fecit *Hammondus*. Nemo ignorat, eundem Scripturæ sacræ textum non eodem modo explicari ab omnibus, etiam ubi de sensu literali quæstio est. Quodsi ergo interpretes Bibliorum versionibus inferrent explicationes sensus literalis, quas pro verioribus haberent; versiones haud raro sibi mutuo contradicerent, ac frequenter accideret, ut hominum opiniones pro verbo Dei venditarentur. Notum est *Hermannum* **von der Hardt/** diluvium explicasse per bel-

lum

lum, & arrcam Noæ per munimenmentum. Ponamus itaque interpretem hanc explicationem approbare. Ecquis ferret, ut historiam diluvii, quale a Mose narratur, redditurus describeret bellum, quale fuisse contendit *Hardtius*?

§. 9.

Vides itaque quænam sint principia generalia librorum vertendorum Philosophiæ nostræ conformia, unde deducuntur regulæ speciales Neque enim nostra philosophandi methodus fert, ut alia admittantur, quam quæ iisdem consona sunt, adeoque per ista demonstrantur. Quodsi itaque interpres librum ita vertit, ut ex principiis a nobis hic expositis ac iis regulis, quæ porro ex iisdem derivantur, ratio reddi possit, cur verba autoris sic potius vertere maluerit quam aliter; versio ejus principiis nostris convenit, nec per ea quicquam in eadem reprehenditur. Quodsi vero aliter facit, a principiis nostris versio abhorret, & quid in ea reprehendendum sit, vi eorundem concluditur. Quemadmodum vero nulli dubitamus, neminem fore, qui principia,

Quandonam versio sit principiis autoris conveniens.

quæ defendimus, veritati consentanea non agnoscat; ita quoque nemo non fateri cogitur, versionem principiis Philosophiæ nostræ consentientem reprehendi minime posse. Quamobrem si qua detur versio, in qua jure quid reprehendi queat; ea principiis nostris contraria esse debet, immo ex his ipsis reddi poterit ratio, cur hoc, vel istud in versione minime sit probandum. Si quis vero per ea de versione quadam data judicium ferre voluerit; is ea circumspectione uti tenetur, qua in omni applicatione principiorum generalium opus est. Nimirum judicium verum supponitur de facto interpretis, quod ex collatione versionis cum textu authentico formandum & in ratiocinio, per quod tanquam conclusio infertur de versione judicium, minoris locum tuetur, principium vero nostrum tum demum in locum majoris succedit, ubi istud ponitur (§. 360. 361 *Psych. empir.*) Quamobrem si contingat, judicium de facto interpretis a veritate aberrare; censuram interpres incurrit non vi principii nostri, sed ob falsam ejusdem

dem applicationem, nec ubi laudatur, principiis nostris, sed perversæ eorundem applicationi tribuendum est, quod laudentur, quæ reprehendi debebant. Quemadmodum itaque Philosophiæ nostræ ac nostræ philosophandi methodo tribui nequeunt lapsus ab interprete in versione admissi; ita nec immeritas versionum laudes ad eam referre licet. Nec est quod excipias, interpretem vel encomiastam principia philosophiæ nostræ nostramque philosophandi methodum probare. Ecquis enim est, qui nesciat, vel summos viros in eas impingere regulas, quas præscribunt aliis & erronea eorum de factis aliorum judicia falsa principiorum applicatione niti? Constat *Cartesium* inculcasse, quod semel in vita de omnibus sit dubitandum, in quibus vel minimam incertitudinis notam deprehendimus, ubi scilicet integrum rationis usum habemus, hoc est, ubi eum facultatum nostrarum usum consecuti sumus, qui accuratæ discussioni sufficit, rigoroso examini subjicere debeamus, quæ antea tanquam vera vel falsa ad-

misimus, ubi idem nobis nondum concedebatur. Nec minus constat eundem nullum pronunciasse usum Syllogismorum in veritate investiganda, etsi inter inventores eminentem obtineat locum: id quod veritati minime consentaneum esse, abunde ostendimus. Cur vero veritatem satis obviam non viderit vir tanti acuminis, ratio alia reddi nequit, quam quod regulæ suæ oblitus accuratiori discussioni præjudicii vacare noluerit, quod maturo nondum judicio animo ejus sese insinuaverat. Non semper omnes animum ad regulas, quas probant, advertunt, ubi iisdem utendum erat, etsi non deessent vires iisdem satisfaciendi. Immo non una de caussa accidit, ut qui secundum regulam agere intendit, ab eadem aberret & in contrarium abeat. Cur vero contingat ex veris principiis de facto alterius legitime ratiocinantem per errorem de eodem judicare, ex iis intelligitur, quæ paulo ante diximus. Nostrum non est judicium de versionibus librorum ab aliis factis: neque enim nobis otium est conferendi versiones

cum

cum textu authentico, quibus alia agenda sunt. Quamobrem nec nostrum facimus de ulla versione judicium, nec ullus a nobis de versione aliqua judicium requirat, vel expectet. Quæ de versionibus Bibliorum in anterioribus notavimus, ea nobis innotuere, dum probationes dogmatum ad examen revocavimus, quæ credenda sunt, ne incerta esset fides, & dum inquisivimus, num quæ in Theologia naturali demonstrantur, Scripturæ sacræ conformia sint. Atque hæc dicta sufficiant ad repellenda citra ullius injuriam sinistra malevolorum de philosophia nostra nostraque philosophandi methodo judicia ex facto interpretum derivata, quæ tanquam temeraria a nobis hactenus contemta fuere ac in posterum contemnentur.

III.

De Usu methodi demonstrativæ in explicanda Scriptura sacra.

§. I.

Ex quo methodo demonstrativa philosophari cœpi atque monui can- *Institutum auctoris.*

dem ubivis utiliter adhiberi, ubi certa quæritur cognitio; alii quoque eandem methodum in Medicina, Jure & Theologia adhibere cœperunt, quamvis non ſemper eodem ſucceſſu. Non defuere, qui ſummopere improbarent hunc auſum, ac vel hoc nomine omnes diras evomuerunt in philoſophiam noſtram, quaſi hinc metuendus ſit interitus Reip. ac Eccleſiæ. Equidem riſiſſe tam ineptas opinationes eſt eas refutaſſe, præſertim ubi negotium eſt cum hominibus, qui nec ſapere poſſunt, nec volunt: quoniam tamen didici, non omnibus ſatis eſſe perſpectum, quomodo utendum ſit methodo demonſtrativa in ſuperioribus, quæ dicuntur, facultatibus, ne uſus ejus minus rectus vel etiam abuſus mihi imputetur, & ut aliorum juvarem conatus, dudum conſilium cœpi uſum methodi demonſtrativæ in Medicina, Jure & Theologia in Horis hisce ſubſecivis explicandi. Ea de cauſa in Horis ſubſecivis Anni 1730 docuimus, quomodo methodus demonſtrativa ad Jura Romona applicari poſſit, &

quo-

quomodo in genere jura civilia ad formam demonstrativam redigantur. Restabat, ut etiam diceremus de ejus usu in Theologia & Medicina. Quamobrem cum ad Horas subsecivas continuandas redeamus, a quibus hactenus nos avocarunt negotia alia & impedimenta complura, nostrum esse duximus aperire, quid de usu methodi demonstrativæ in Theologia sentiamus. Quoniam igitur Theologus principia sumit ex Scriptura sacra, adeoque prima ipsius cura est de eadem rite explicanda, necesse omnino est ut ostendamus, quemnam usum in scriptura sacra explicanda præstet methodus demonstrativa. Patebit autem eum esse prorsus insignem, & vanum esse omnem metum, ne, si eadem utamur, mentem Scriptorum sacrorum pervertamus. Constabit potius, nos non magis certos ac securos esse posse de vero sensu Scripturæ sacræ, quam ubi ad methodum demonstrativam exigitur explicatio.

§. 2.

Qui Scripturam sacram alteri explicat, is eum docet, quinam sit sensus *Quid sit explica-*

re Scri- pturam sacram.

sus verborum Scripturæ sacræ, ut mentem Scriptorum sacrorum intelligat, quam per se assequi non potest. Est itaque *Scripturæ sacræ explicatio* oratio, qua alteri significatur, quinam sit sensus verborum Scripturæ sacræ. Ex. gr. Christus Joh. III. 14 affirmat, lucem venisse in mundum & dilexisse homines magis tenebras, quam lucem, quia eorum opera mala erant. Verba hæc explicaturus docere debet, quidnam per lucem, quidnam per tenebras, quidnam per opera mala intelligatur, quid sibi velint hæc verba lucem venisse in mundum, quid dicat dilectio tenebrarum, & quomodo dilectio tenebrarum cum malis operibus cohæreat. Etenim si hæc intelligis, sensus verborum Christi manifestus est, qui non statim unicuique patet, quando eadem legit. Nihil hic sumitur, quod non ab omnibus concedatur, saltem concedi debet, nisi se ignorare confiteri velit, cur Scriptura sacra sit explicanda. Ex hac igitur definitione patet, quinam sit finis, quem intendit scripturam sacram explicatu-

turus, ſignificare nimirum alteri verborum intellectum, ut norit, quidnam iisdem indigitetur. Quodſi itaque oſtendi poſſit, methodum demonſtrativam aliquid conferre ad hunc finem obtinendum; nemo ejus uſum in explicanda Scriptura ſacra negare poteſt. Tanto autem magis idem admittendus, ſi ea præſtat, quæ aliunde expectare minime licet. Equidem cum uſum Logicæ in interpretanda Scriptura ſacra peculiari quodam capite expoſuerimus, cum praxin Logicæ traderemus (§. 968 & ſeqq. *Log.*), methodus autem demonſtrativa in exacta Logicæ applicatione conſiſtat; quæ de uſu methodi demonſtrativæ in explicanda Scriptura ſacra dicenda ſunt, jam tradidiſſe videri poteramus, ut adeo neceſſe non ſit alibi jam tradita hic denuo repeti; quoniam tamen nondum vulgo agnoſcitur, methodo demonſtrativa uti & Logicam exacte applicare eſſe unum idemque, nec quæ de uſu methodi demonſtrativæ in explicanda Scriptura ſacra dicenda ſunt, unicuivis ſtatim aperta ſunt per ea, quæ de uſu

Logicæ in eadem interpretanda demonstravimus; hæc ratio nos minime movet, ut ab instituto præsente recedamus.

§. 3.

Summa dicendorum. Methodus demonstrativa, quam philosophicam diximus respectu Philosophiæ (§. 115 *Discurse prælim.*), requirit definitiones accurratas (§. 116 *Disc. prælim.*), propositiones determinatas (§. 121 *Disc. prælim.*), demonstrationes exactas (§. 120. 124 *Disc. prælim.*) & ordinem legitimum (§. 132. 133 *Disc. prælim.*). Quamobrem si methodi demonstrativæ aliquis esse debet usus in explicanda Scriptura sacra, necesse est, ut ad intellectum verborum faciant definitiones accuratæ & propositiones determinatæ, & ut demonstrationibus ac ordini, qualem methodus demonstrativa exigit, aliquis sit locus. Nos igitur, qui usum methodi demonstrativæ in Scriptura sacra defendimus, ad mentem Scriptorum sacrorum assequendam & intimius inspiciendam mirifice conducere accuratas definitiones & determinatas propositiones, & ut de in-

intellectu verborum certus reddaris opus esse demonstrationibus & legem ordinis demonstrativi summa cum cura observandam esse. Satisfaciemus itaque instituto præsenti, ubi ostenderimus, quinam sit usus definitionum accuratarum & propositionum determinatarum, undenam illæ desumendæ, quomodo hæ ex contextu eruendæ. Utque manifesta evadat utilitas a demonstrativa methodo speranda, demonstrandum quoque est, quod hoc pacto intimius mentem Scriptorum sacrorum inspiciamus, quam absque hisce subsidiis permittitur. Porro dicendum est, quænam in explicanda Scriptura sacra sint demonstranda, nec absque demonstratione admitti possint, ubi certam rerum cognitionem curæ cordique habes, nec in aliorum autoritatem resolvere volueris fidem tuam. Denique & monstrandum, in quibusnam tenendus sit ordo, qui in tradendis dogmatis juxta leges methodi demonstrativæ observandus. Ita futurum confidimus, ut non modo agnoscatur, quam luculentus sit methodi demonstrativæ

usus

usus in Scriptura sacra interpretanda, sed eorum quoque conatus juvemus, qui eadem uti voluerint. Qui vero habent animum a præjudiciis liberum hinc intelligent, quam insulsæ sint contra hanc methodum debacchantium querelæ, solo contemtu vindicandæ.

§. 4.

Quando definitiones usui sint in explicanda Scriptura sacra.

Scripturam sacram intelligit, qui cum singulis verbis eas conjungit notiones, quæ ex intentione autoris cum iisdem jungendæ (§. 969 *Log.*). Quamobrem cum eandem explicaturus alteri, eum docere debeat verborum intellectum (§. 2); necesse est ut ejus animo insinuet notiones eorum vel distinctas, vel confusas. Si tibi notio fuerit distincta, in re percepta plura sigillatim enunciabilia distinguis (§. 38 *Psych. empir.*): si vero fuerit confusa, plura sigillatim enunciabilia minime distinguis (§. 39 *Psych. empir.*). Quamobrem in casu priori fieri potest, ut solis verbis notionem, quam habes, cum altero communices; in casu autem posteriori hoc fieri minime potest, sed curan-

randum ut alter res ipsas, quæ vocabulis indigitantur, percipiat. Quodsi ergo alteri Scripturam sacram explicare volueris, necesse est ut tibi sint notiones distinctæ eorum, quæ verbis a te explicandis ab autore sacro significantur. Quodsi vero alter rem illam, de qua sermo est autori sacro, agnoscere, nec cum aliis confundere, adeoque mentem ejus ex asse assequi debet; nemo non fatebitur, eas ipsi recensendas esse notas, quæ ad rem denotatam agnoscendam sufficiunt, nec plures, nec pauciores esse enumerandas, quam quæ sufficiunt, consequenter Scripturam sacram explicaturo esse debere notiones completas & determinatas (§. 92. 123 *Log.*). Enimvero oratio, qua significatur notio completa atque determinata termino cuidam respondens, definitio est (§. 152 *Log.*). Vides adeo definitionibus opus esse ad Scripturam sacram exacte explicandam. Sed paulo distinctius adhuc docendum, quandonam iis sit opus, ne quis male utatur methodo demonstrativa in explicanda scriptura, nec methodo tribua-

buatur ab ignaris, quod vitio eadem abutentis tribuendum. Methodus demonstrativa non omnium promiscue vocabulorum definitiones urget, sed quorundam significatum per notiones communes, etsi confusas, notum sumit, ubi terminorum definitiones non subeunt locum principiorum in demonstrationibus subsequentibus. Ita *Euclides*, non definit, quid sit totum, quid sit pars, quid æquale, quid majus, quid minus, cum hæc vocabula per notiones confusas, quæ ex communi usu loquendi iisdem adhærent, satis intelligantur, distinctis vero notionibus ad alia demonstranda non habeat opus. Quamobrem qui leges methodi demonstrativæ in Scriptura sacra explicanda observare voluerit; is ad definitiones confugere minime debet, ubi vocabula unicuique nota per notiones confusas ex communi loquendi usu iisdem jungendas, ut istis auditis hæ statim ipsorum animos subeant (§. 273 *Psych. empir.*). In hoc autem casu nulla opus est explicatione: cum enim unusqnisque vocabulis auditis intelligat,

gat, quidnam iisdem significetur, non opus est ut ab alio idem doceatur. Censuram merentur, qui hoc faciunt, siquidem secundum leges methodi demonstrativæ ferendum judicium. Ita methodus demonstrativa nullam admittit explicationem verborum Evangelii: *Matth.* IX. 1. JEsus ascendebat in navem. Etenim si ea explicari deberent, recurrendum esset ad definitionem aut saltem descriptionem navis, & actus in navem ascendentis. Sed hoc demum opus foret, si quis nunquam vidisset navem nec de ejus usu fando quid percipisset, neque vel ipse unquam navem conscendisset, vel alium conscendere vidisset. Quodsi excipias, concionatores istorum verborum explicationi integras horæ quadrantes impendere, non tamen vel navem, vel actum, quo ea conscenditur, definire aut describere, consequenter exinde, quod definitionibus nullus concedatur locus, inferri minime posse, explicatione nulla esse opus: parum nos movet exceptio, quibus praxis concionatorum non probatur, nisi fuerit

rationi consentanea. Ecquis vero defendere ausit, verba, quæ intelliguntur, quamprimum audiuntur, explicatione indigere, & si qua alia proferuntur, quæ ad ea intelligenda non faciunt, ad explicationem eadem recte referri? Nemo sane, nisi qui vel ignorat, quid sit verba alterius explicare, vel non perpendit, quomodo id fieri possit ac debeat. Quæ occasione verborum alterius dicuntur, ea verba alterius non explicant, sed a scopo loquentis maxime aliena esse possunt. Et quis est, qui nesciat, quam absona in medium proferantur etiam ab iis, qui præ multis aliis laudantur, præsertim ubi sensus mysticos & cum Coccejanis typicos fingunt. Nobis hic de sensu liberali sermo est, cui soli explicando inserviunt definitiones.

§. 5.

Vndenam definitiones haurienda, qua in Scriptura sacra, explican-

Quodsi definitionibus in explicanda Scriptura sacra utendum, cautione opus est, ne in seligendis & applicandis definitionibus a veritatis tramite deflectas. Apprime igitur necessarium est, ut ostendamus, unde-

nam

nam definitiones sint desumendæ & quomodo examinandæ, antequam iisdem utaris. Alias enim verendum, ne Scriptoribus sacris tribuas quod a mente ipsorum alienum est, aut ne mentem ipsorum imperfecte explices. Alibi jam demonstravimus (§. 971 *Log.*), in Scriptura sacra non alias supponi notiones, quam quæ animo nostro jam inhærent, aut quas in nobis habemus, dum in nobismetipsis ea experimur, de quibus loquitur. Nemo non videt, in casu priori vocabula in communi sermone usitata in eo sumi significatu, quem ex usu loquendi habent. Quamobrem ante probandum est, definitiones esse usui loquendi conformes, quam per eas mentem Scriptorum sacrorum explicare licet. Quomodo hæ definitiones investigentur, in Philosophia rationali docuimus (§. 150 *Log.*). Exempla demonstrationum, quibus evincitur definitiones usui loquendi conformes esse, plura occurrunt in Ontologia. Immo definitiones esse menti autorum sacrorum conformes ex ipso contextu & locis parallelis probari po-

test, neque hoc unquam negligendum, ubi id fieri potest. Dedimus autem in Theologiæ naturalis parte prima exempla bene multa, quando ostendimus, quæ de Deo ex principiis rationis demonstrata fuere, in eodem prorsus significatu Deo tribui in Scriptura sacra. Quamobrem non probamus, si definitiones ex philosophia nostra petitas ad explicandum significatum verborum Scripturæ transferantur, nisi ostendatur, quemadmodum a nobis in Theologia naturali factum, eas esse menti autorum sacrorum conformes. Quodsi ergo contingat, aliquem alieno in loco uti definitionibus nostris, ut prodeat sensus a mente Autorum sacrorum alienus; id non nobis & definitionibus nostris, sed earundem abusui seu perversæ applicationi tribuendum. Notandum vero in definitionibus ad explicanda verba Scripturæ sacræ transferendis non tam ad definitum, quam ad definitionem respiciendum esse. Etenim alii haud raro in Scriptura sacra occurrunt termini, quibus idem significatur, quod aliis indigitatur in Philosophia. Quoniam

niam termini eandem rem denotant, neceſſe eſt ut eandem habeant definitionem. Quamobrem ſi ex contextu probari poteſt, quidnam vocabulo aliquo indigitetur, & ex Philoſophia conſtat, quoniam termino idem in eadem compelletur, quin definitio ex philoſophia petita utiliter ad Scripturam ſacram explicandam transferatur, dubitandum non eſt. Ita novimus ſtylo Apoſtolorum appetitum ſenſitivum appellari carnem, appetitum vero rationalem, quatenus a ratione illuminata pendet, vocari ſpiritum. Quamobrem quid ſit caro, explicatur per definitionem appetitus ſenſitivi, & quid ſit ſpiritus in oppoſitione ad carnem ita dictus per definitionem appetitus rationalis, habita tamen ratione differentiæ, quæ inter rationem ſibi relictam & rationem illuminatam intercedit. Similiter in Scriptura ſacra cordis nomine venit appetitus in genere ſumtus in ea latitudine, ut ſimul averſationem ſub ſe comprehendat. Quamobrem ad cordis explicationem recte utimur definitione appetitus in gene-

re, & averſationis in genere. Hæc inprimis tenenda ſunt, ubi concordiam rationis ac fidei demonſtrare voluerimus in articulis mixtis. In Scriptura ſacra occurrunt veritates ex principiis rationis indemonſtrabiles. Ubi de hisce fuerit ſermo, definitiones petendæ ſunt ex ſyſtemate theologico, vel ex collatione locorum Scripturæ ſacræ de objecto natura ignoto agentium eruendæ, veluti ſi agitur de fide ſalvifica, de regeneratione, de illuminatione, de ſanctificatione. Notandum vero & hic eſt, occurrere ſubinde terminos theologicos, in Scriptura ſacra minime extantes, quibus tamen deſignantur, quæ per eandem nobis innotuere. Quod igitur modo de definitionibus terminorum philoſophicorum inculcavimus, idem quoque tenendum eſt de terminis theologicis, qui ἄγραφοι dicuntur. Unde intelligitur, quantum conducat in ſyſtemate theologico tradi definitiones accuratas in uſum illorum, qui ſcripturam ſacram aliis explicare voluerint. Quodſi notiones eorum, quæ divinitus

tus revelantur, nobis non ſunt, niſi quatenus ea, de quibus loquitur ſcriptura ſacra, in nobismetipſis experimur, qui acumine pſychologico gaudet, ad ea, quæ in anima contingunt, a ſe invicem diſtinguenda, definitiones equidem condet, per quas alteri patet, quidnam denotet definitum; quoniam tamen ſumenda ſunt, quæ num fieri poſſint alteri minime patet, domeſtica experientia nondum inſtructo, notionis realitatem demonſtrare minime valet, adeoque neceſſe eſt, ut, ſi hic definitionem intelligere velit, ea in ſeipſo experiatur, quæ experientiæ ſpirituali convenienter ſumit definitionis conditor. Sed ea de re plura dicenda erunt, ubi uſum methodi demonſtrativæ in Theologia expoſituri ſumus. Dicta igitur ſufficiant de quæſtione, undenam deſumendæ ſint definitiones, quæ in explicanda Scriptura ſacra uſui ſunt.

§. 6.

Quodſi jam porro quæſiveris, quomodo definitiones ſint examinandæ, antequam ad Scripturam ſacram ex- *Examen definitionum ad S. S. ex-*

plicandam adhibendarum. plicandam adhiberi possint; haud difficilis est responsio. Methodus demonstrativa requirit definitiones regulis istis conformes, quas in Logica demonstravimus. Cum iis consentiunt definitiones tam nominales, quam reales Geometrarum, quas esse accuratas atque tales, quales methodus demonstrativa exigit, nemo in dubium vocaverit. Examinandæ igitur sunt juxta regulas logicas a nobis demonstratas: quæ enim iisdem conveniunt, accuratæ sunt, ut tuto iisdem fidere liceat. Usum definitionum accuratarum in explicanda Scriptura sacra cum evicerimus (§. 4); hinc porro colligitur, quam necessarium sit studium Logicæ illis, qui Scripturam sacram aliis explicare voluerint. Quamobrem facile patet, quid sperandum sit de commentatoribus, qui vel Logicam prorsus non didicerunt, vel saltem verioris notitiam nullam habent, vel habitum regulas Logicæ dextre applicandi sibi minime acquisiverunt, destituti Logica artificali utente (§. 12 *Log.*), immo qui in Logica veriori adeo pere-

regrini ac hospites sunt, ut definitiones accuratas ferre nequeant, sed atro carbone notent, notiones distinctas, in quibus promiscue prædicata definiti cumulantur, cum definitionibus perperam confundentes & quæ demonstranda sunt per ea, quæ sumuntur, cum iis, quæ sumenda sunt, miscentes, ut nullus earum usus sit in methodo demonstrativa, nec in accurata scripturæ sacræ explicatione. Sed hi sunt mores imperitorum ridiculo fastu turgidorum, qui judicis partes sibi arrogant de iis, quæ non intelligunt, quasi artifex habendus sit is, quem fortuna cœca artem profiteri jubet, veluti si Grammaticum ad dignitatem Theologi evehit. Ecquis vero adeo luscus est, ut non videat, multos Theologos dici, qui non sunt? Quicquid igitur ogganniant hujus farinæ homines, nunquam tamen a philosopho impetrabunt, ut ipsis largiatur, definitiones aliter, quam juxta regulas Logicæ verioris dijudicandas esse: quomodo vero hæc agnoscatur, & a spuria, qualis hodie non sine vulgi eruditorum applausu a sciolis obtru-

obtruditur ignaris, discernatur, dudum docuimus (§. 26 *& seqq. Log.*). Tanto majori autem cura instituendum est definitionum examen, quibus in Scriptura sacra explicando utendum, quanto majori sollicitudine cavendum, ne male explices mentem autorum sacrorum. Legenda hic sunt, quæ de dijudicandis libris dogmaticis demonstravimus integro capite, cum praxin Logicæ hactenus parum excultam traderemus (§. 802 *& seqq. Log.*). Reperies enim haud pauca, quæ impedient, quo minus in explicanda Scriptura sacra a veri tramite aberres. Rationibus extrinsecis, quibus fucum facere licet imperitis, philosophus parum movetur, qui non nisi intrinsecis stare solet. Quemadmodum non aliæ homini sunt facultates, quibus utitur in cognoscendis iis, quæ Scriptura sacra docet, quam quæ ad cognoscenda lumini naturali pervia concessæ sunt; ita nec alia datur Logica, quæ in Scriptura sacra explicanda usui est, quam quæ usum illarum in veritate cognoscenda declarat easque dirigit, ne nubem

pro

pro junone amplectaris. Quamobrem nec aliæ dantur regulæ definitionum ad Scripturam sacram explicandam requisitarum, quam quas urget Logica & Mathematici rigorosissime observant. Juxta has itaque, non alias examinandæ sunt definitiones, quibus ad mentem autorum sacrorum explanandam ut volueris. Examen rigorosissimum definitionum cum urgeamus, methodo, qua philosophamur, imputandum non est, si quis, definitionibus parum limatis ad verba Scripturæ sacræ applicatis, sensum eorundem non satis exactum aut menti Scriptorum sacrorum minime conformem elicit. Nos profecto asserere non veremur, quod, si quis ea observaverit, quæ de definitionibus hactenus præcepimus, proditurus sit sensus autoribus sacris dignus & haud raro profundior, quam putabatur. Dedimus specimina in his ipsis Horis dabimusque in posterum alia, si Deus vitam concesserit ac vires corporis animique conservaverit. Ceterum quemadmodum nos æquo ferimus animo, si qui vulgari modo Scri-

Scripturam ſacram explicantes parum accuratos in re tam ardua ſeſe præbent; ita æquum exiſtimamus, ne nimii ſimus in exaggerandis nævis illorum, qui ope definitionum mentem autorum ſacrorum diſtincte explicaturi non per omnia ſatisfaciunt, nec ullo modo tueri licet praxin conſequentiariorum, qui argumento ab invidia pugnant & lapſus intellectus facile a quovis committendos in malitiam vertunt, innocentibus vexas diras creaturi eorumque famæ maculam adſperſuri. Sane ſi quis eodem modo cum ipſis agere vellet, multo majore cum ſpecie in ipſos retorquere liceret convitia, quæ in alios evomunt, cum non ſint tanti Apollines, quanti ſibi videntur. Commendamus igitur illis pericopam evangelicam de feſtuca in alieno oculo viſa, trabe autem in ſuo non animadverſa, qui animum avertentes a verbis Apoſtoli *Col. III.* 31. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia, horrendo boatu ætherem replent, ut, ſi ſuperos

ros flectere nequeant, acheronta moveant. A veri tramite deflectentes omni mansuetudine in viam rectam reducere, id demum est quod probat Philosophia nostra: id quod fieri docendo, non vero convitiando & nocendo nemo non fateri cogitur. Nec alia intentione de usu methodi demonstrativæ in explicanda Scriptura sacra hic commentamur, quam ut dociles erudiamus, & iis, qui a via adhuc aberrant, in eandem reducamus.

§. 7.

De phrasium definitionibus quid tenendum.

Phrases seu loquendi formulæ sunt termini complexi, ex pluribus quippe vocabulis compositæ. Denotant eædem res cum suis attributis, modis ac relationibus (§. 108 *Log.*), atque adeo iisdem non minus quam terminis simplicibus notio quædam determinata respondet. Quodsi ergo ea enumerentur, quæ in notione ista continentur, ut completa evadat notio, quæ nempe sufficit ad rem denotatam cum iis, quæ eidem insunt vel adsunt, agnoscendam, quin hæc oratio, qua notio ista completa atque determinata significetur, sit definitio-

finitio dubitari nequit (§. 152. 349 *Log.*). Patet adeo distinctam phrasium expositionem esse quandam speciem definitionum: sit ita quod vocabulum definitionis restrictiorem communiter significatum habeat. Sufficit non invito principio reductionis (§. 472 *Psych. empir.*), cujus in invenienda veritate tantus usus est (§. 471 *Psych. empir.*), explicationem phrasium ad definitiones reduci. Neque a praxi Mathematicorum abhorret, quod phrases, veluti quando magnitudo aliqua potentia multipla dicitur magnitudinis alterius, definiant & earum explicationes in numerum definitionum rejiciant. Absit autem, ut quis existimet, phrasium explicationes inutiliter ad definitiones reduci. Etenim hac reductione obtinetur, ut ea, quæ de definitionibus præcipiuntur, mutatis mutandis, hoc est, considerando ea, quæ ad notionem determinatam phrasi respondentem requiruntur, instar notarum rei in dato casu constanter inhærentium, quemadmodum determinationes essentiales constanter insunt in omni casu, nec ulla

ulla illarum abesse potest, ad explicationem phrasium transferuntur. Quodsi hoc observaveris, haud difficulter condes theoriam demonstrativam explicationis phrasium, quæ eundem usum pollicetur in iis explicandis, quem præstat theoria definitionum in definitionibus condendis & examinandis.

§. 8.

Enimvero non sufficit, vocabula in Scriptura sacra obvia & phrases in iis occurrentes explicare per definitiones accuratas; verum etiam demonstrandum est definitiones istas esse menti Scriptorum sacrorum conformes. Etenim tum demum mentem alterius intelligis, si cum verbis alterius eas conjungis notiones, quas ipsemet conjungit (§. 117 *Log.*). Quodsi adeo cum iisdem jungis notiones diversas, alium verbis ipsorum fingis sensum, quam quem habent, consequenter mentem alterius pervertis. Quamobrem cum tu contendas, hunc esse verborum sensum, quem definitiones tuæ produnt; hoc

Demonstrationum usus primus in vindicandis definitionibus.

U uti-

utique non nude affirmandum, ſed demonſtrandum eſt. Si negas, demonſtratione eſſe opus, abſurditais facile convinceris. Etenim quis eſt, qui neſciat, eadem Scripturæ ſacræ verba non uno modo explicari a Commentatoribus, ita ut iidem haud raro in contradictoriis verſentur. Aut igitur affirmandum, utrumque ſenſum eſſe verum, aut nulla erit ratio, cur is ſpotius admittendus, quem tu defendis, quam quicunque alius. Prius abſonum eſſe, nemo non ultro fatebitur. Nec poſterius abſurditate vacat. Quo enim jure tu contendis eum eſſe verborum ſenſum, qui tibi videtur; eodem jure contendit alter, ſenſum, qui ſibi videtur, eſſe genuinum. Quodſi rationibus extrinſecis ſtandum, veluti quod altero ſis linguæ authenticæ magis gnarus, vel in explicanda Scriptura ſacra magis verſatus; probabilitas hinc naſcitur, quæ in incerto ſententiam unam alteri præferri permittit, nulla vero certitudo, qualis hic deſideratur. Nemo igitur ſanus negabit, demonſtrandum eſſe, quod is ſit verborum ſenſus, quem ipſis

ipsis tribuis. Neque enim jure ullo exigere potes, ut alter stet autoritate tua, nisi fidem alterius in autoritatem tuam resolvi velis, quæ in divinam resolvenda. Verba, quæ explicantur, esse divina constat, & vera esse illa, quæ istis indigitantur, non minus certum est. Sed explicationem tuam esse veram, probandum utique, gratis concedi minime potest, quantuscunque tibi videaris Apollo. Etsi hæc satis manifesta sint, ut vix fore existimem aliquem, qui idem negare ausit; nemo tamen est, qui nesciat, Commentatores plerumque parum sollicitos esse de explicatione demonstranda. Et, ubi subinde rationem reddunt interpretationis a se factæ, in probationibus ipsorum plurima desiderantur, quo minus pro demonstrationibus haberi possint. Nemo hoc diffitebitur, nisi qui quid sit demonstratio ignorat. Vides adeo usum primum, quem habent demonstrationes in explicanda Scriptura sacra, nimirum ut certus reddaris te mentem Scriptorum sacrorum fuisse assecutum, & ut certos reddas alios,

 ex-

explicationem tuam esse menti ipsorum conformem. Hanc certitudinem requiri, ubi dictis Scripturæ sacræ articuli fidei probandi, in dubium vocari nequit. Usus adeo demonstratiorum in explicanda Scriptura sacra prorsus insignis est, etiamsi præterea non esset alius. Mox tamen constabit dari adhuc alium non minus præclarum. De forma demonstrationis diximus in Logica (§. 551 & seqq.), ubivis eadem, utpote a natura intellectus, non a materia dependente, quemadmodum sibi persuadent, qui demonstrationes ad Mathesin relegant, extra eandem nullibi tolerare volunt. Non igitur opus est, ut hic exponamus, quomodo concinnanda sit demonstratio, qua evincitur, quod explicatio sit menti autorum sacrorum conformis. Eodem modo ubivis ratiocinamur & ratiocinia ubivis eodem modo concatenantur, si legitime sese habeant singula, nec lapsus committantur. De principiis adeo tantummodo quæri potest, undenam sint petenda. Prolixa foret responsio, si quæstioni ex asse

ſatisfieri deberet, accurata enumeratione fontium facta, unde petenda ſint principia, modoque oſtenſo, quo inde eruuntur. Eruuntur enim ex contextu, ex locis parallelis, ex natura ipſius rei. Mutuo etiam petenda ſunt ex philoſophia, & phraſes ſæpius ſupponunt antiquitates ac mores Gentium Orientalium. Dedimus ſpecimina complura, cum in Theologia naturali conſenſum eorum, quæ de Deo ex principiis rationis demonſtravimus, cum Scriptura ſacra evinceremus: dedimus etiam aliqua in his ipſis Horis. Conſulat ea, qui mentem noſtram clarius perſpicere voluerit. Neque enim noſtrum jam eſt præcepta Hermeneuticæ ſacræ demonſtrare, qui tantummodo uſum demonſtrationum in explicanda Scriptura ſacra evincere tenemur. Unicum tamen eſt, de quo quædam moneri non inconſultum ducimus. Diximus ad demonſtrandum ſenſum verborum ſubinde confugiendum ad loca parallela, hoc eſt, conferenda eſſe loca alia, ubi idem vocabulum, vel phraſis eadem occurrit,

vel de eadem re agitur, quemadmodum etiam a nobis factum in iis, quæ modo exemplorum loco adduximus, speciminibus. Quæritur adeo, num in iis, quæ longo tempore ante scripta fuerunt, recurrere liceat ad ea, quæ demum multo tempore post scripta sunt. Quodsi neges, propterea quod Deus dicendus sit adeo perspicue locutus, ut illo ipso tempore, quo ea literis consignata fuerunt, intelligi potuerint, non verborum intellectus demum post multa secula expectari debuerit; nobis hæc negandi ratio sufficiens minime videtur. Etenim fieri potest, ut veteribus consuetæ fuerint loquendi formulæ, ab omnibus satis intellectæ, sed nobis jam ignotæ, quemadmodum etiam apud nos in vernaculo sermone occurrunt plures. Quodsi ergo in libro recentius scripto eadem formula occurrit, ubi ex contextu perspicitur ejus significatus; absonum non est, ut ex hoc loco Scripturæ sacræ explicemus alium interpretationis dubiæ, modo explicationem ferat contextus. Nemo non hoc admittit in

in interpretatione scriptorum profanorum, nec ulla subest ratio, cur admittere minime debeamut. Sane multa occurrunt in libris, quæ nostro ævo sermone vernaculo scribuntur, quæ a nobis optime intelliguntur, non autem intelligi poterunt ab aliis Gentibus eorum ignaris, quæ nobis sunt notissima. Quid ergo obstet, quo minus ex libris multo tempore post scriptis petantur, quæ sensum verborum obscuriorum manifestum reddunt. Verum omnino est, autorum sacrorum verba eo tempore, quo literis consignata fuere, intellecta fuisse ab hominibus tunc viventibus. Sed ex eo non sequitur, quorum sensus jam nobis videtur dubius, ea obscura fuisse hominibus olim viventibus. Demus exemplum aliquod, ne gratis hæc dixisse dicamur. Constat *Luc.* II. 30. Simeonem agnovisse, quod Christus infans sit Messias, & eundem vocasse salutem Dei. Haud obscure hinc intelligitur, apud Judæos usu receptum fuisse, ut per hanc formulam loquendi Messiam indigitarent. Ponamus jam in antiquo fœ-

dere salutis Dei fieri mentionem, nec ex contextu satis constare, quidnam hoc termino indigitetur. Quodsi ergo per verba Simeonis probes, salutem Dei appellari Messiam, & postea ostendas, in loco interpretationis dubiæ ferre contextum, ut & ibidem per salutem Dei Messias intelligatur; quin per ea, quæ multis seculis post scripta sunt, diu ante scripta recte explicentur, salvo principio, quod verba intelligi debuerint illo ipso, quo literis consignata fuerunt, tempore, nullo modo dubitare licet. In principiorum applicatione non modo videndum, num verum sit principium, verum etiam num rite applicetur. Si enim vera esse debet conclusio, quam parit applicatio, non minus minoris, quam majoris constare debet veritas. Ecquis vero concedat, gratis sumi, veteribus intelligi non potuisse verba, quæ hodie a nobis per se non intelliguntur? Probandum hoc utique est, antequam in casu dato rejicias explicationem ab iis pendentem, quæ longo tempore post scripta fuere: neque enim universaliter verum esse, veteribus

bus obſcura fuiſſe verba certo ſenſu accepta, quæ hodie nobis obſcura ſunt, ex antea dictis patet. Hinc vero magis adhuc eluceſcit, quantum præſidii ſit commentatoribus in methodo demonſtrativa, niſi explicationes ipſorum diſceptationi obnoxiæ eſſe debeant. Nullus dubito fore, ut, ſi quis habitu demonſtrandi pollens & rerum cognitione ſufficiente imbutum animum poſſidens explicationes ſcripturæ ſacræ, quas tradunt interpretes, ad examen revocaret juxta methodi demonſtrativæ leges, plurimos notet lapſus ignorantiæ hujus methodi imputandos, quos tamen minime imputamus Commentatoribus, ſi ignorantia ipſis invincibilis dicenda (§. 550. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Non vero ab omni culpa immunes ſunt, qui, cum methodi demonſtrativæ ſint prorſus ignari, nec demonſtrationis leges cognitas atque perſpectas habeant, non modo ejus ad ſcripturam ſacram explicandam applicationem improbant & tanquam inutilem aut minus neceſſariam rejiciunt, cum de re ſibi ignota judicantes præcipitantiam in judi-

 cando

cando agnoſcere & potuerint, & debuerint; verum etiam eos, qui ejus utilitatem urgent, convitiorum plauſtris onerant, & mille iiſdem vexas creare non verentur, cum ab omni malitia non liberum habeant animum & impedire omnibus viribus nitantur, quod noſtro inprimis ævo apprime neceſſarium eſt ad Scripuræ ſacræ autoritatem & religionem chriſtianam ab eadem unice pendentem defendendam. Si incertitudinem tollere volueris, in quam verba Scripturæ adducunt interpretes tot ſententiarum divortiis, non alio modo id facere datur, quam ſi ad methodum demonſtrativam tanquam ad ſacram anchoram recurris.

§. 9.

Uſus propoſitionum determinatarum in explicanda ſcriptura ſacra.

Methodus demonſtrativa requirit, ut in propoſitionibus conditio accurate determinetur, ſub qua prædicatum convenit ſubjecto, ſeu ſub qua aliquid de re aliqua affirmatur, vel negatur (§. 121. *Diſc. prælim.*), conſequenter ut propoſitiones ſint determinatæ (§. 320. *Log.*). Quæritur itaque

que, num propoſitionum determinatarum uſus etiam ſit in explicanda ſcriptura ſacra? Affirmativam tueri nulli dubitamus. Nimirum quæ in ſcriptura ſacra docentur, ad propoſitiones determinatas revocanda ſunt ab eo, qui eandem explicant. Immo cum factis, quæ in eadem narrantur, inſint universalia, ea ad propoſitiones univerſales ab interprete ſcripturæ ſacræ revocanda eſſe contendimus. Conſtat propoſitiones determinatas eſſe utiles cum ad ſcientiam, ut ſcilicet inde alia ratiocinando deduci poſſint, tum ad vitam, ut actiones noſtras ſecundum eas dirigamus, ſeu rite determinemus (§. 122. *Diſc. præl.*). Scripturam ſacram non alio fine legimus, quam ut veritates divinitas revelatas vel, ſi mixtæ fuerint, ut etiam lumini rationis perviæ ſint, a Deo approbatas cognoſcamus, & actiones noſtras ad voluntatem Numinis componamus. Ex veritatibus, quæ totidem verbis in Scriptura ſacra extant, per legitimam conſequentiam eliciuntur aliæ, quæ non minus pro divinitus revelatis habentur,

bentur, quam quæ quoad literam in eadem leguntur, & voluntati divinæ convenire nemo dubitat, ut veritati agnitæ vitam conformem agamus, ut adeo opus non sit probari, quod confitentur omnes, qui in scriptura sacra non sunt hospites ac peregrini. Quamobrem patet, tum demum lectionem scripturæ sacræ nobis esse proficuam, ubi quæ in ea leguntur, ad propositiones determinatas revocantur. Quodsi ergo scripturam sacram aliis explicare volueris, necesse est ut ipsos doceas propositiones determinatas in eadem contentas. Etenim nisi propositiones rite determinentur, subjecto omni tribuis, quod nonnisi sub certa conditione de eodem affirmari potest, & negabis de omni, quod nonnisi sub certa conditione de eodem negandum, aut saltim agnoscis posse prædicatum de subjecto affirmari, posse etiam negari. In casu priori veritati admiscetur error; in posteriori veritas insufficienter agnoscitur. Ecquis vero sibi vel aliis persuadebit, se mentem Autorum sacrorum recte ac penitus perspexisse, ubi iisdem imputat errores vel

vel veritatem, quam profitentur, insufficienter cognoscit. Vides adeo apprime necessarium esse, ut scripturam sacram explicaturus inde elicias propositiones determinatas, sive theoretice, sive practice propositum interpretis consideres. Longum nimis foret repræsentare mala, quæ ex neglectu propositionum determinatarum consequuntur tam quoad theoriam credendorum, quam quoad praxin vitæ homine christiano dignam. Inprimis vero propositiones istæ determinatæ apprime necessariæ sunt, ubi systema Theologiæ dogmaticæ ac moralis condere volueris: id quod clarius elucescet, ubi usum methodi demonstrativæ in condendo utriusque Theologiæ systemate exposuerimus. Enimvero propositionem a te rite esse determinatam, non gratis affirmandum, sed demonstrandum est: id quod duplici modo fieri potest, vel quatenus ex ipso contextu aut locis aliis in subsidium vocatis ostenditur, propositionem aliter determinari non posse, quale quid observatur, dum ex iis, quæ experimur, propositiones determina-

minatas elicimus, teste philosophia nostra experimentali, vel ubi evincitur, subjecto ita determinato convenire vel repugnare prædicatum, quale quid observatur, dum propositiones demonstramus, teste philosophia nostra reliqua, præsertim Latina. Nimirum tunc demum mentem autoris sacri rite perspectam habes, si propositionem eidem convenienter determines. Alias enim tibi affirmandum esse continget, quod ex mente ipsius negandum & contra. Quoniam vero supponendum, autores sacros ab omni prorsus errore fuisse immunes, neque adeo quemlibet eorum sibimetipsi, nec unum alteri contradixisse; ideo non modo ex contextu vel locis aliis collatis demonstrari potest, propositionem rite esse determinatam, sed idem etiam ostenditur, quod propositio sic determinata sit demonstrabilis, adeoque vera (§. 544. 557. *Log.*): quorum hoc in autoribus profanis nonnisi in casu dubio ex æquitate præsumendum (§. 921. 922. *Log.*). Præstat alteri in casu dubio tribuere veritatis agnitionem, quam minime cognovit,

gnovit, quam imputare errorem a mente ipsius alienum. Facile ostendi poterat, esse idem doctrinæ Apostolorum conforme: a qua quam longe recedant, qui omni studio mentem aliorum pervertunt, ut argumento ab invidia ducto contra eos pugnare possint, nemo non videt.

§. 10.

Atque hinc elucescit Demonstrationum usus alter in explicanda scriptura sacra, ut certo constet, nos dogmata menti autorum sacrorum conformia cum de credendis, tum de agendis rite cognovisse. Dogmatum horum gratia cum scriptura sacra explicetur, ut, qui majore acumine pollent, acumine suo juvent alios, ne ignorantia doctrinæ salutaris teneatur ipsorum animus; quam necessariæ sint demonstrationes, quibus evincitur, propositiones menti autorum sacrorum convenienter esse determinatas, haud difficulter perspicitur. Non est, quod excipias, probari hoc aliter posse, nec opus esse demonstratione, nisi Logicæ te imperitum probare velis. *Usus secundus demonstrationum in explicanda S. S.*

Neque

Neque enim demonstratio ab alia probatione differt, nisi principiis, quæ in illa evidentia sunt, ut in dubitationem adduci minime possint nisi ab ignorante, in hac autem nondum prorsus certa & explorata sunt; Illa sola certitudinem parit & assensum immotum præstat; hæc ultra aliquem probabilitatis gradum minime progreditur. Ecquis vero contendere ausit, non opus esse, ut de mente autoris sacri nobis certo constet, sed sufficere, ut probabiliter agnoscamus, dogmata, quæ ex Scriptura sacra hauriuntur, esse menti autorum sacrorum conformia? Et quomodo interpretatio vera a spuria distinguetur, si superfluam esse putas curam ac sollicitudinem de certitudine interpretationis rite factæ?

§. 11.

Demonstrationum usus tertius in explicanda S. S.

Propositiones istæ determinatæ, quæ ex verbis Scripturæ eliciuntur, vel ad veritates mixtas, vel ad pure revelatas spectant. Utrasque demonstrabiles esse, ostendimus alibi (§. 979. 980 *Log.*) Demonstrationes illa-

larum ex philoſophia, harum vero demonſtrationes ex Theologia petendæ, ſi quidem ſupponas ſyſtemata, in quibus eædem jam ſunt ab aliis demonſtratæ. Quodſi vero alibi demonſtratæ nondum proſtant, illarum tamen demonſtrationum principia ex philoſophia, harum vero principia ex Theologia revelata petenda. Quoniam tamen Philoſophia nonniſi in ſubſidium vocatur, quando Theologia eadem habet opus; ſi eadem principia, quæ Philoſophia offert, in ipſa Scriptura ſacra occurrunt, ex hac potius, quam ex illa eſſe deſumenda nemo ſanus negare poteſt, niſi, quod admittunt omnes, negare velit, Scripturam ſacram per ſcripturam eſſe explicandam. Dubium, quod hic moveri poterat, ne hoc pacto fides cum ſcientia confundatur, dudum ſuſtulimus (*not.* §. 980 *Log.*). Multa hic dicenda forent, ſi Hermeneuticæ ſacræ regulas demonſtrare nobis jam eſſet propoſitum. Uberior tamen lux iis, quæ diximus, affundetur, ubi oſtendemus,

mus, quomodo methodus demonstrativa ad Theologiam sit applicanda. Legi autem merentur demonstrationes, quibus in parte prima Theologiæ naturalis consensum dogmatum a nobis ex principiis rationis cum Scriptura sacra evicimus, & specimina, quibus in his Horis usum Philosophiæ nostræ in explicanda Scriptura sacra comprobavimus. Insinuentur enim animo lectoris attenti ideæ exemplares, quæ regularum vicem præstant easdem in casibus aliis imitaturis. Quanta vero sit vis harum idearum, ex iis intelligitur, quæ in parte altera Philosophiæ practicæ universalis de exemplis demonstravimus, quemadmodum proxime constabit, ubi eandem publici puris facere licebit. Quantus sit hic demonstrationum usus in Scriptura sacra explicanda, paucis adhuc edisserendum. Id nimirum præstant, ut mentem Autorem sacrorum intime perspicias, & omnimoda tibi sit certitudo, quod eandem rite ac penitus perspexeris. Etenim si distincte explicare vales notionem verbis re-

respondentem, & quæ enunciantur iisdem ad propositionem determinatam revocare ac rationem a priori reddere potes; nihil amplius requiri potest ad mentem autoris sacri perspiciendam, adeoque eam penitus perspicis. Nosti quomodo accurate intelligenda sint verba ipsius, quiquid affirmet, vel neget, & cur id affirmet vel neget. Nemo igitur non videt, nihil amplius desiderari posse. Quæ autem demonstrantur certa sunt (§. 568 *Log.*) & veritatis assertorum nos convincunt (§. 990 *Log.*), ut dubitationi ne minimus quidem relinquatur locus: id quod exemplo Geometrarum a posteriori confirmatur. Major itaque certitudo desiderari nequit. Quod vero alia via in mentem Autorum eodem modo penetrare & majorem certitudinem obtinere non liceat, experimento comprobatur, ubi explicationes commentatorum cum ea, quæ applicationi methodi demonstrativæ debetur, conferre volueris, modo id tibi fuerit acumen, ut certitudinem, quam parit demonstratio, discernere

valeas ſab opinione certitudinis, quæ incautis & imperitis imponit, conſequenter veritates demonſtratas bene multas comprehenderis. Qui in demonſtrationibus multum ſunt verſati, præſtantiam uſus, quem prædicamus, facile capient: ſurdis autem narratur fabula, ubi nobis res eſt cum hominibus, qui nec diſtincte cognoſcunt, quid ſit demonſtratio, nec ullam unquam demonſtrationem veri nominis perceperunt. Horum igitur nulla hic habenda ratio eſt. Quodſi more ſuo contemnant, quæ non intelligunt, & cultu idololatrico ſuam extollere malunt Dianam, quam veritati facilem præbere aurem; per nos hoc faciant: neque enim noſtrum eſt curare, ut ſapiant, qui vel ſapere nolunt, vel non poſſunt. Non deerunt alii, qui veritati victas dabunt manus.

§. 12.

Uſus ordinis methodi demonſtrativa in explicatione.

Jubet methodus demoſtrativa, ut ea præmittantur, per quæ ſequentia intelliguntur, & demonſtrantur, vel probabiliter adſtruuntur (132 *Diſc. prælim.*), ſeu ut præcedere debeant, un-

unde quomodocunque pendet cognitio ſequentium (§. 134 *Diſc. prælim.*), & in demonſtrationibus propoſitiones ſingulæ eo ordine collocentur, quo ſubeunt animum demonſtrationem concipientis (§. 124 *Diſc. præl.*). Quoniam demonſtrationum multiplex uſus eſt in explicanda ſcriptura ſacra (§. 8 & ſeqq.); per ſe patet, ordinem propoſitionum, quem requirit demonſtratio ordinata, in præſenti quoque habere locum, & eundem hic polliceri uſum, quem ubivis habet, ſcilicet quod facilius intelligatur demonſtratio, quod animum legentis plenius convincat, quod denique genuinam demonſtrationis ideam diſtinctam animo ingeneret, quam in caſu alio ducem ſequaris (§. 858 *Log.*). Quia vero dum dicta ſcripturæ ſacræ explicantur, nullum ſyſtema doctrinarum conditur; quæ de præmittendis iis, per quæ ſequentia intelliguntur & adſtruuntur, nonniſi uſui eſſe poſſunt, quatenus diverſa, quæ exigit explicatio plena & exacta, certo ordine fieri neceſſe eſt. Quinam adeo permittatur uſus hujus

regulæ, quæ de ordine præcipit obſervanda, res ipſa docebit. Tum vero conſtabit, alterum, cui ſcripturam ſacram explicas, & facilius, & plenius a te intelligi. Docebit autem teipſum ordinis regula, quomodo mentem tuam explicare debeas alteri, ne in ea aſſequenda inſuperabiles relinquantur difficultates.

§. 13.

Monitum de Commentariis in Scripturam ſacram hodie ſcribendis.

Quæ modo uberius expoſuimus, abunde loquntur, quales Commentarios in Scripturam ſacram poſtulet ætas noſtra. Cum enim beneficio demonſtrativæ methodi invaleſcat doctrina ſolida, qua irruens undiquaque ſcepticismus unice profligatur; non ſatisfacient Commentarii niſi ſolidam doctrinam offerentes; immo ſi verum dicere fas eſt, plus nocent, quam proſunt. Fruſtra itaque induſtriam ſuam defatigant, qui ex aliis Commentariis novos conſarcinant, ut conſtet aliis, quænam explicatio ipſis probetur, quaſi ab eorum auctoritate novum accedat pondus, vel ea robur acquirat, quod non habet. Si qui enim

enim fuerint, qui ultra vulgus non ſapiunt, iis abunde ſatisfacient Commentarii, qui tanto numero ubivis proſtant, ut opus non ſit repetitoribus. Quodſi dicas, ea, quam nos hic urgemus, methodo brevi temporis ſpatio Commentarios in multos Scripturæ ſacræ libros in publicum protrudi non poſſe; paucis regerimus, Scripturam ſacram non eo fine nobis datam, ut ex verbo Dei quæſtum faciamus, vel vanæ ambitioni litemus.

IV.

De Notione ſymptomatis.

§. I.

Symptoma in Medicina receptus terminus eſt, cujus tamen vaga admodum, nec ſatis determinata eſt ſignificatio, ut *Sennertus* (a) ejus explicationem difficilem judicet. Quamobrem cum notionem ſanitatis (b), morbi (c), naturalis, præternatura- *Inſtitutum autoris.*

 lis

(a) Inſtitut. Lib. 2. part. 3. Sect. 1. C. 1.
(b) In Trim. æſtivo A. 1729. Num. IV.
(c) In Trim. autum. A. 1729 Num. IV.

lis & non naturalis (d) atque causæ morbi (e) evoluerimus & ad fixum ac determinatum significatum reduxerimus; nostrum quoque esse duximus in notionem symptomatis inquirere. Neque enim in praxi Medica utilitate caret, symptomata a morbis accurate distingui. Unde & *Galenus* de differentiis symptomatum data opera commentatus est, & Cel. *Boerhaave* (f) symptologiam peculiarem Pathologiæ partem facit.

§. 2.

Quomodo notio symptomatis investigetur.

Etsi olim, teste *Galeno* (g), vocabulum generaliter usurpatum fuerit de eo omni, quod præter naturam accidit corpori, ita ut etiam sub nomine symptomatis comprehenderentur morbi & morborum causæ; hic tamen significatus dudum exolevit, ut nulla ejus habenda sit ratio. Hodie in confesso est apud omnes symptoma esse debere aliquid, quod præter

(d) In Trim. æstivo A. 1730 Num. IV.
(e) In Trim. brumali A. 1731 Num. IV.
(f) In Institut. Medicinæ p. 378 & seqq.
(g) De Diff. sympt. C. 1.

ter naturam in corpore existit, idem esse distnctum a morbo & causa morbi, quicquid denique præternaturale in corpore datur, vel ad morbum, vel ad causas morbi, vel ad symptomata esse referendum. In eo etiam consentiunt omnes symptoma sequi debere aliud, quod præter naturam in corpore existit, propterea quod *Galenus* (h) dixit, symptomata morbis supervenire eosque sequi, quemadmodum umbra corpus suum sequitur. Quamvis vero huc potissimum animum adverterint Medici, dum symptoma explicare aggressi sunt, & nonnulli symptoma ab aliis præter naturam in corpore existentibus hoc solo distinxerint, quod ex alio præternaturali, morbo potissimum, nascatur; patebit tamen deinceps, illud inter ea referri debere, quæ de symptomatis demonstranda, non sumenda sunt, nec quicquam ad hoc conferre, ut notionem generalem symptomatis investigemus. Sufficiunt enim cetera,

(h) De Differ. sympt. C. 1.

de quibus primo diximus loco. Ex iis igitur methodo analytica deducemus, quæ ad notionem ſymptomatis accurate determinandam faciunt. Notionem ex iis deductam, quam concedunt omnes, genuinam quoque agnoſcere tenentur, qui propriis principiis contradicere nolunt. Ex ea ipſa autem etiam conſtabit, veteres recte ſymptomata a morbis eorumque cauſis diſtinxiſſe, cum ſit ens ab iis diverſum, cujus non minus, quam morborum & cauſarum eorundem habenda eſt ratio, ſive theoriam, ſive praxin ſpectes. Neque dubitamus daturos nos, quod imitentur alii, præſertim illi, qui Medicinam ad leges methodi demonſtrativæ revocare voluerint: qua de re mentem noſtram alio tempore uberius exponemus.

§. 3.

Quid ſit ſymptoma in genere. Machina corporis noſtri ex variis conſtat partibus vi ſtructuræ ſuæ ad certas functiones aptis, & ſtatus corporis naturalis dicitur, in quo ſingulæ ipſius partes ad functionem ſuam aptæ ſunt & vi principii activi corporis

ris functiones ad actualitatem perducuntur (i). Enimvero haud raro contingit, structuram partis cujusdam vitium contrahere, ut ad functionem suam rite obeundam ineptum reddatur, vel a causa quadam interna partem aliquam impediri, quo minus officio suo rite defungatur, atque hunc statum præternaturalem dixere veteres (k). Quoniam symptoma quidpiam præternaturale est (§. 2), eidem locus esse nequit, nisi in eo statu corporis, quo organum aliquod corporis vel officio suo prorsus non defungitur, vel saltem non rite defungitur. Quodsi pars quædam corporis vitium contraxit, ut ad usus suos, quibus per naturam destinatur, non amplius sit aptum consequenter aut functio ejus prorsus cesset, aut saltem non legitimo procedat modo, morbo laborare dicitur (l). Quamobrem cum symptoma a morbo sit di-

(i) In Trimestri æstivo A. 1730 Num. IV. §. 3.
(k) Ibid. §. 4.
(l) In Trimestri autum. A. 1729 Num. IV. §. 2.

diversum (§. 2.); in vitio quodam partis cujusdam machinæ corporis nostri consistere nequit. Quodsi pars aliqua corporis a causa quacunque interna impeditur, quo minus actionem edat, ad quam in se spectata producendam apta deprehenditur, error externus dici suevit (m). Quamobrem cum termini semel recepti non sint temere immutandi, nec istud impedimentum pro symptomate haberi potest. Quicquid partem aliquam corporis vitiat, ut ad functionem suam reddatur inepta & in corpore existit, causa morbi est interna (n). Cum igitur symptoma a causa morbi diversum sit (§. 2); nec in eo consistere potest, quod vitiat structuram partis, ut ad functionem suam reddatur inepta. Nihil adeo relinquitur, quod symptoma dici possit, quam quod præter vitium partium solidarum & (cum fluidorum etiam dentur morbus) fluidarum, atque impedimenta, quo minus partes officio suo fungantur, præternaturale in corpore

(m) Loc. cit. §. 8.
(n) Loc. cit. §. 3. 4.

pore datur. Symptoma igitur definiendum, quod ſit præternaturale in corpore, quod nec partem aliquam ad functionem ſuam ineptam reddit, nec impedit, quo minus officio ſuo recte defungatur. Hoc pacto ſymptoma a morbo, cauſa morbi atque errore externo ſufficienter diſtingui patet. Etenim quia organum corporis ineptum minime reddit ad functionem ſuam, nec morbus eſt, nec cauſa morbi, & quia non impedit, quo minus officio ſuo recte defungatur, nec error externus eſt. Quoniam tamen præter naturam in corpore datur, aliquid præternaturale eſt a morbo ejusve cauſa atque errore externo diverſum, quemadmodum ex unanimi Medicorum ſententia eſſe debet (§. 2). Definitio itaque nominalis ſymptomatis rite ſeſe habet, cum ſufficiat ad idem agnoſcendum & ab aliis, quæ præter naturam in corpore dantur, diſtinguendum. Quod vero dentur ſymptomata hoc ſenſu accepta, a poſteriori per exempla probatur. Si quis ova fricta ventriculo ingeſſit & mane exſurgens ructum nido-

nidorosum emittit; ea non fuisse bene concocta nemo non agnoscit. Impotentia ventriculi ova fricta bene concoquendi error externus est, quoniam vitium nullum in ventriculo latet, sed in cibo, qui qualitate sua impedit, quo minus actione ventriculi agentis, quod suum est, concoquatur. Mala vero cibi concoctio & inde ortus ructus nidorosus est symptoma. Vides hic, symptoma esse aliquid præternaturale (ventriculus enim per se dispositus est ad cibum bene concoquendum), diversum tamen a morbo, qui nullus adest, cum nullum ventriculo inhæreat vitium, ob quod male concoquat cibos, consequenter & a causa morbi, qualis non adest, diversum quoque ab errore externo, impotentia scilicet ventriculi concoquendi cibos. Similiter symptoma est, si sitis augetur in febribus. Est enim ea præternaturalis, diversa tamen a febri, adeoque a morbo, consequenter & causa hujus morbi, cum febrim demum sequatur. Porro si tumor magnitudinem partis auget, eo tamen non obstan-

stante actio ejus minime læditur; symptoma est: etenim præternaturalis is est, diversus tamen a morbo, qualis nullus adest, cum parti nullum inhæreat vitium, ob quod ad actionem suam inepta sit, & ab errore externo, cum ea nullo modo impediatur. Docent exempla, dari in corpore humano præternaturalia, quæ sunt a morbis, morborum causis internis atque erroribus externis diversa, adeoque ab iis distinguenda, cumque ea symptomatum nomine veniant, symptoma recte definiri per præternaturale, quod nec partem corporis nostri vitiat, seu ad functionem suam ineptam reddit, nec impedit, quo minus ad actionem edendam per se aptum officio suo rite fungatur. Nulli igitur dubitamus, quin definitio ad symptomata agnoscenda sufficiat. *Sennertus* (o) symptoma definit, quod sit affectus seu accidens præter naturam, in iis, quæ extra constitutionem partium ad actionem determinate necessaria non sunt, aliquid aliud

(o) Loc. cit.

aliud præter naturam ſequens, ſeu quod ſit accidens præter naturam & mutatio ejus conſtitutionis in corpore, quæ ad actiones edendas determinate neceſſaria non eſt. Non dubitamus, quod hisce verbis idem indigitare voluerit, quod definitione noſtra continetur. Dum enim ſymptoma definit per accidens præter naturam, ipſum præternaturale quid eſſe dicit, & perinde ac nos ad præternaturalium claſſem tanquam ad ſuum genus refert. Dum vero hoc accidens in iis eſſe ait, quæ extra conſtitutionem partium ad actionem determinate neceſſaria non ſunt, hoc ipſo concedit, ſymptoma non vitiare, nec impedire partem corporis, quo minus officio ſuo fungatur. Quod vero addat in definitione priore, ſymptoma ſequi aliud quid præter naturam; id quidem a veritate alienum non eſt, quemadmodum etiam exempla in medium adducta loquuntur, ex definitione tamen rectius exulat, cum ex anterioribus demonſtretur, quemadmodum mox videbimus. Arbitramur itaque, definitionem noſtram

stram a mente *Sennerti* non esse diversam, qui omni studio id agit, ut symptoma menti *Galeni* convenienter explicet. Quoniam morbum, causam morbi & errorem externum independenter a symptomate definimus; Symptoma quoque definiri poterat, quod sit præternaturale quodcunque in corpore humano a morbo, causa morbi & errore externo diversum, quemadmodum in Geometria curva definitur per lineam, quæ recta non est, supposita lineæ rectæ definitione, vel in Ontologia possibile per id, quod non est impossibile, definitione impossibilis præsupposita. Etenim si præternaturale quid observatur, atque vi definitionum morbi, causæ morbi & erroris externi ostendi potest, ipsum non esse morbum, nec causam morbi, nec errorem externum; inde constat, quod sit symptoma. Non est, quod objicias, difficulter hoc pacto symptoma agnosci, cum facilius agnosceretur, applicatione unius definitionis positivæ, quam remotione trium definitionum: etenim ubi definitio applicanda, inquiren-

rendum est, num singulæ rei præsenti insint notæ, quæ definitionem ingrediuntur, & quod adsint haud raro ex aliis demonstrandum (§. 349. 1218 *Log.*). Constat præterea definitiones nominales & reales in disciplinis non tradi tantummodo in eum finem, ut definita agnosci & ab aliis distingui possint; verum etiam ut aliis eruendis & demonstrandis inserviant. Immo nonnunquam rebus agnoscendis prorsus non adhibentur, sed inserviunt alia inde demonstrata, per quæ non minus definiri res poterat: quæ omnia satis aperta sunt iis, qui attenta mente perlegerunt, quæ de definitionibus tradidimus in theoria Logicæ, vel in disciplinis methodo demonstrativa traditis fuere versati. Definitio itaque symptomatis, de qua sermo est, nihil vitii habet, & sufficit, quod per eam intelligatur, quid nomine isto designare voluerint Medici veteres, ac in theoria condenda eum præstet usum, quem definitiones nominales habere debent. Ipse tamen usus quoque docebit, applicationem illius definitonis ad symptomata

mata agnoſcenda non eſſe adeo prolixam, quemadmodum videtur.

§. 4.

Enimvero videamus nunc porro, utrum ſymptoma ſemper ſequatur aliud præternaturale in corpore, nec ne. Ne hanc quæſtionem præter neceſſitatem difficultatibus implicemus, primo loco diſquirendum eſt, num ſymptoma aliquod etiam a cauſa externa pendere poſſit, & quidem proxima: alias enim evidens eſt, a cauſa externa pendere aliquod præternaturale in corpore, quod ſequitur ſymptoma tanquam effectus cauſam ſuam proximam. Videtur quæſtio affirmanda, ſive experientiam, ſive uſum loquendi Medicorum reſpicias. Calor præternaturalis eſt, qui ordinario vehementior. Nec ignotum eſt calorem præternaturalem inter ſymptomata referri. Enimvero nemo eſt, qui neſciat, vehementiorem calorem motu vehementiori excitari, qui a calore in febribus vix differt gradu. Atque adeo patet, calorem præternaturalem excitari poſſe a cau-

An ſymptoma cauſam proximam externam habere poſſit, & num ſemper ſequatur aliud præternaturale in corpore.

ſa externa, qui cum nondum lædat partium actionem, nec pro morbo, nec pro cauſâ morbi haberi poteſt, ſit ita quod cauſis aliis accedentibus in eam degenerare poſſit. Erit itaque ſympt̄oma aliquod (§. 3). Refert etiam *Sennertus* (o) hunc calorem inter ſymptomata. Diſerte enim: „Si aliquis calor, inquit, qua„lis a balneo, æſtu ſolis, motu ve„hementiore excitatur, in partibus „viventibus oriatur, modo tem„peries illa determinata & gradus „ille caloris, qui ad actiones neceſſa„rius eſt, nondum mutetur, non „morbus eſt is calor, etſi non ſit na„turalis corpori, ſed ſymptoma ſal„tem.„ Quæſtio igitur reſtringenda eſt, num ſymptoma aliquod, quod cauſam internam proximam habet, aliud quidpiam præternaturale in corpore ſupponat, & ſic utique affirmanda venit. Etenim non datur ſtatus corporis, niſi naturalis & præternaturalis. In ſtatu naturali ſingulæ corporis partes functiones legitime ... obe-

(o) Loc. cit. C. I.

obeunt (p), adeoque nulla, subest ratio, cur in corpore nostro quidpiam rite sese non habeat. Cum enim in hoc statu corpus sanum sit (q); sanitas & morbus, quo corpus sanitate privatur, ab eadem causa efficiente eodem modo agente penderent: quod quam sit absonum, ipsum principium contradictionis, quod idem simul esse & non esse negat, loquitur. Quamobrem si symptoma aliquod causam internam habere debet, necesse est ut status corporis supponatur præternaturalis, consequenter aliud præternaturale in eodem supponendum, quod sequatur. Videmus itaque, in definitione symtomatis in genere non sumendum esse, quod sequatur aliud præternaturale, cum non modo hoc verum non sit, ubi symptoma causam externam proximam agnoscit; verum etiam, ubi internam causam habet, demonstrari possit, quod necessario aliquid præter

(p) Hor. subsec. A. 1730 Trim. æst. Num. IV. §. 3.

(q) Hor. subsec. A. 1729 Trim. æst. Num. IV. §. 3.

§. 4.

Symptomatum divisio a causa petita.

Tradunt Medici duplicem symptomatum divisionem. Altera desumitur a causa, altera a forma. Dicamus primum de ea, quæ a causa petitur. Quoniam vulgo non habetur ratio nisi causarum internarum, propterea quod symptoma omne dicitur sequi aliud quidqiam, quod præter naturam in corpore datur; symptomata dividi solent in symptomata morbi, symptomata causæ morbi & symptomata symptomatum. Nimirum *symnotoma morbi* est, quod a morbo quodam dependet, seu rationem sufficientem aut saltem aliquam in eodem agnoscit. Unde symptoma morbi non ponitur, nisi posito morbo, aut saltem poni nequit, nisi morbo posito. Quodsi enim cum ipso morbo non necessario ponatur simul symptoma, præter eum alia adhuc requiritur causa, adeoque morbus solus causa ejus sufficiens non est (§. 897. *Ontol.*). *Symptoma causæ morbi* est, quod a causa morbi dependet, adeoque rationem si non sufficientem saltem aliquam in causa morbi habet

(§. 851

(§. 851 *Ontol.*). Unde denuo patet, in casu priore causam morbi esse simul causam sufficientem symptomatis, in posteriori non item, & in priori casu symptoma simul poni cum causa morbi, in posteriori tantummodo poni posse, actu autem non poni, nisi alia causa sive interna, sive externa superaccedente. *Symptoma* denique symptomatis est, quod ab alio symptomate dependet, seu rationem si non sufficientem, saltem aliquam in alio symptomate anteriore, quod sequitur, habet. Quamobrem de symptomatibus quoque symptomatum tenenda sunt, quæ modo de symptomatibus morborum & symptomatibus causæ morbi annotavimus. Quoniam error externus peculiarem quendam corporis præternaturalem statum constituit atque a morbo differt (r); hisce symptomatum speciebus addenda est quarta, quæ symptomata errorum externorum comprehendit. Est adeo *symptoma erroris externi*, quod ab erro-

(r) Hor. subsec. A. 1730 Trim. aut. Num. IV. §. 8.

re quodam externo dependet, & de hisce symptomatis eadem tenenda sunt, quæ de ceteris modo inculcavimus. Denique cum ex anterioribus manifestum sit, symptomata quædam a caussis externis pendere posse immediate, ita ut nihil aliud præternaturale in corpore præsupponant; symptomata in genere non male dividuntur in symptomata immediata & mediata. *Immediata* sunt *symptomata*, quæ immediate a caussa quadam externa dependent, seu caussam externam proximam sufficientem habent. *Mediata* vero sunt, quæ a caussa interna dependent. Mediata subdividuntur in symptomata morbi, symptomata caussæ morbi, symptomata errorum externorum & symptomata symptomatum, quæ a nonnullis in prima atque secunda dividantur, quatenus vel a nullo anteriore symptomate oriuntur, vel a priore quodam symptomate ortum suum derivant.

§. 6.

Divisio symtoma- Altera divisio symptomatum, quæ in foro Medicorum pervulgata ab anti-

tiquissimis temporibus, est in actionem læsam, excretorum & retentorum vitia, & qualitates mutatas, quæ scilicet actiones corporis non lædunt. *Actio* aliqua dicitur *lædi*, si vel prorsus cessat, aut edi nequit, vel si non eo, quo in statu naturali editur, edi potest modo. Quoniam in morbo organum aptum non est ad functiones suas rite obeundas (s) & ob errorem externum impeditur, quo minus actionem, prout decet, edere possit (t); symptomata actionum læsarum a morbis atque errore externo pendent, atque adeo symptomata morbi & erroris externi sunt (§. 4). *Actio* dicitur *abolita*, si prorsus cessat, veluti si ventriculus cibos ingestos prorsus concoquere nequit, vel ægrotus pedibus insistere non valet. *Diminuta* dicitur, si circa quantitatem notatur aliquis defectus, veluti si ventriculus cibos ingestos omnes non concoquit, aut si concoctio diuturniore tem-

tum a forma desumta.

(s) Hor. subs. A. 1729 Trim. Num. IV. §. 2.

(t) Hor. subs. A. 1729 Trim. Num. IV. §. 8.

temporis ſpatio demum abſolvitur, quam fieri debebat, ſi reſpiratio fuerit difficilis, ſi cordis motus fuerit nimis tardus. *Aucta* dicitur, ſi circa quantitatem notatur exceſſus, veluti ſi reſpiratio vel motus cordis acceleratur, vel ſi reſpiratio fuerit magna, pulſus magnus, vigiliæ ſint nimiæ. *Depravata* dicitur *actio* ſi alia editur, quam in ſtatu naturali edi ſolet, veluti ſi mulier gravida appetit carbones aut alia, quæ in nutrimentum commutari nequeunt, aut ſi cibi in verticulo mutantur in putrem humorem. *Excrementa* & *retenta vitio laborare* dicuntur, ſi vel quantitate vel qualitate recedunt ab iis, quæ locum habent in ſtatu naturali, vel ab hisce toto genere diverſa ſunt, aut alieno etiam loco excernuntur. Veluti ſi major multo vel minor urinæ quantitas excernitur, quam in ſtatu naturali fieri ſolet, vel ſi color ejus fuerit inſolitus, vel ei mictus fuerit cruentus, vel cum urina calculi vel pili (quemadmodum vidit *Hippocrates*, vidit etiam *Galenus*) excernuntur, vel ſanguis menſtruus per mam-

mas

mas aut oculos fluit. *Symptoma* denique *qualitatum mutatarum* appellatur, si qua qualitas corporis naturalis mutatur in præternaturalem, absque ulla tamen actionum læsione, veluti cum in ictericis color totius corporis in flavedinem abit, aut in febribus color rubicundus linguæ in nigricantem convertitur; cum pedes tetrum odorem spirant, cum saliva admodum salsa, cum calore nimio æstuat corpus, vel calor quidam præternaturalis deprehenditur in parte corporis inflammata. Nemo non videt, hasce symptomatum differentias probe attendendas esse, cum eorundem in Semiotica multus sit usus. Ad particularia non descendimus, cum nobis jam non sit propositum explicare symptomata, quæ machinæ corporis nostri accidunt; sed tantummodo docere, quid symptomatum nomine veniat, ut ab aliis præternaturalibus distinguatur: id quod abunde nos præstitisse confidimus.

§. 7.

Quoniam in corpore humano quæ contingunt, variis modis a se invicem de- *Cautio in dignoscendis*

Sympto-matis ad-hibenda. dependent, haud raro difficile est, ut præternaturalia a se invicem rite distinguantur. Quamobrem sæpe difficile est symptomata a morbis & a se invicem discernere, utrum scilicet morbi alicujus, num causæ morbi aut erroris externi, vel symptomatis cujusdam alterius symptoma sit. Cautione igitur opus est, ne judicium præcipites. Ubi etiam hoc notandum est, ab Autoribus subinde symptomata actionum læsarum cum vitiis excretorum confundi: id quod tamen facile evitatur modo notes vitia excretorum non considerari nisi quatenus excreta in se spectantur, nulla habita ratione actionis, qua ea excernuntur. Ita nonnulli nimiam urinæ quantitatem, vel etiam ejus paucitatem ad actiones læsas referunt, quia urinam tanquam excretum non in se considerant, sed actionem respiciunt, qua excernitur.

V

De utilitate cognitionis Figuræ Telluris.

§. I.

Institutum au-... Veteres Telluri, quemadmodum ceteris corporibus mundi totalibus,

libus, immo toti mundo Figuram sphæricam tribuerunt. Argumentis invictis probarunt, eam esse rotundam, & quia Soli, Lunæ ac ceteris astris figuram sphæricam competere sibi persuadebant, sensuum magis, quam rationis judicio stantes, per analogiam intulerunt, Terræ quoque figuram sphæricam esse. Quorumcunque adeo cognitio a Figura Telluris dependet, ea eidem convenienter determinarunt. Cum seculo superiori ex observationibus pendulorum a Gallis in insula Cayenna factis gravitas sub æquatore imminuta colligeretur; exinde *Hugenius* in Discursu de causa Gravitatis, quæ Tractatui de Lumine subjungitur, & *Neutonus* in præclaro illo opere principiorum Philosophiæ naturalis mathematicorum demonstrarunt, figuram Telluris esse sphæroidicam, ita ut diameter æquatoris excedat axem, seu rectam ex polo uno in alterum ductam, & illius ad hunc rationem, quamvis non prorsus eandem determinarunt. Cum *Dominicus Cassini* Meridianum in Gallia per observatorium transeun-

euntem dimetiretur, ex inæqualitate graduum intulit, diametrum æquatoris esse axe minorem, figuram adeo sphæroidicam agnoscens, sed sphæroidem tamen prorsus aliam ab *Hugeniano* & *Neutoniano* probans. Nata est hinc inter Gallos potissimum atque Anglos (ceteri enim Mathematici a *Neutoni* potissimum partibus stetere) controversia de figura Telluris, per multa lustra continuata, non rationibus, sed observationibus potissimum terminanda. Instituto huic convenientissimum videbatur, si gradus Meridiani sub circulo polari seu in zona frigida & gradus ejusdem sub æquatore seu in zona torrida accurata mensura determinaretur: ita enim constare poterat, num gradus versus polos decrescant, an vero crescant, quorum illud figuræ Neutonianæ, hoc autem figuræ Cassinianæ convenit. Enimvero negotium tam arduum & tot tantisque difficultatibus obseptum non erat hominis unius, sed plurium requirebat operas socias, & sumtus non privatos, sed regios postulabat. Quamobrem desperandum videbatur philoso-

losophis ac mathematicis, ne unquam disceptatio illa decideretur, & quænam sit figura Telluris certo definiretur. Verum enimvero accidit præter omnem spem ac expectationem inter medios belli tumultus, ut Rex christianissimus munificentia vere regia Mathematicos tanto molimini pares mitteret in regnum Peruvianum in Zona terra, & alios in Lapponiam sub circulo polari sitam, ut illi gradum Meridiani æquatori proximum, hi gradum ejusdem, qui circulum polarem secat, accuratissime dimetirentur. Neminem fore arbitror, qui diffiteatur, evenisse hoc præter omnem spem atque expectationem. Equis enim est, qui nesciat, sumtus etiam modicos videri immensos, quos Principes ad scientiarum incrementa promovenda impendere debent, etiamsi maximis non parcant, ubi vanitati & opinioni litandum, & plusquam immensos censeri, si revera fuerint magni? Immo quis sibi persuadebit, id obtineri posse, ut ad terminandam aliquam controversiam Philosophorum & Mathematicorum

fiant ſumtus maximi, ubi Mars Minervæ invidus nummos omnes veluti ad ſe rapit? Munificentia itaque Regis chriſtianiſſimi fidem omnem ſuperat, eamque admirabuntur ſeri nepotes, quamdiu non deerunt, qui ſcientiis habebunt honorem. Eam igitur omni laude extollere tenentur, quotquot veritates momentoſas theſauros generis humani eſſe agnoſcunt, quos augere & amplificare Regum munus eſt, etſi vulgo non agnoſcatur. Verum enimvero non unum audio ſuſurrantem, parum referre genus humanum, utrum norint nec ne, qualis ſit figura Terræ, quam nobis inhabitandam conceſſit Numen providentiſſimum. Poſſe homines vivere felices, etiamſi ignorent, utrum figura Terræ ſit ſphærica, quemadmodum credidere majores, an ſphæroidica, quemadmodum recentiores ſtatuunt Mathematici, & utrum Sphæroides ſit oblonga, quemadmodum hactenus viſum pleriſque in Gallia Mathematicis, an vero decurtata, quemadmodum defendunt ceteri. Referendam hanc

quæ-

quæſtionem ſi non inter inanes nugas, quibus tempus fallunt otioſa Mathematicorum ingenia, ſaltem inter ſteriles ſpeculationes, quæ non placent, niſi quia difficilis ad easdem aditus non patet promiscue omnibus. Hisce igitur hominibus, adeoque plurimis, non videbitur tantopere commendandum, ſi Regibus perſuadeatur, ut quæſtionibus iſtiusmodi decidendis ſumtus ſuggerant, præſertim magnos, eo inprimis tempore, quo parcendum inutilibus, immo omnibus, quos nulla cogens urget neceſſitas. Exiſtimabunt enim non eſſe Regum, ut ſatisfaciant curioſitati illorum hominum, qui ſibi vivere, quam aliis prodeſſe malunt. Noſtrum igitur eſſe duximus, ut hoc præjudicium pro virili amoveremus: Quod ut faciamus, oſtendendum nobis eſt, a veritate plurimum aberrare eos, qui quæſtionem de figura Telluris in ſterilium numerum referunt, nec aliam inde utilitatem expectant, quam ut otioſa nonnulla ingenia delectet, quibus ſummum bonum videtur ſcire, quæ non ſciunt omnes.

§. 2.

Præjudicium quoddam notatur. Antequam vero in utilitatem cognitionis figuræ Telluris inquiramus; præjudicium quoddam tollendum est. Oppido falluntur, qui veritatem latentem non ante investigandam esse arbitrantur, quam de ejus utilitate constiterit. Etenim quam utile sit veritatem habere perspectam, tum demum patet, ubi eandem vel ad alias veritates latentes eruendum, vel ad quædam facienda applicamus. Applicatio hæc fieri nequit, nisi veritas jam fuerit in apricum producta, nec semper prævider potest, etsi subinde eam prævidere liceat. Quamobrem utilissima haud raro negligerentur, si inventoribus hæc præscribenda lex esset, ne inquirerent in veritatem, nisi cujus utilitatem prævidérent. Non uno hoc doceri poterat exemplo, si vel in sola Mathesi subsistere luberet. Nemo, qui Mathemata vel primis labris degustavit, ignorat, Logarithmorum inventum longe utilissimum esse, quod nunquam satis deprædicari potest. Constat inventorem Logarithmos nunquam fuisse detecturum, ni-

si

ſi ante progreſſiones numerorum geometricæ ac arithmeticæ inter ſe fuiſſent collatæ, quæ quod viam ſternerent ad inventum adeo utile nemo prævidere poterat. Quodſi ergo ob utilitatem minime prævifam, nec prævidendam, ſpeculationes iſtas tanquam ſteriles ex lege inventoribus præſcribenda de non inveſtigandis veritatibus, quarum nulla apparet utilitas, damnasſent; invento tam utili hodienum careremus, immo ignoraremus ea omnia, quorum cognitio a Logarithmorum notitia dependet & quæ quanti ſint momenti, abunde norunt, qui in Matheſi ſunt verſati. Quod vero vel acutiſſimi non ſemper prævideant utilitatem veritatis jam detectæ, non minus exempla docent. Nemo Mathematum peritus in dubium vocat, *Hugenium* inter Mathematicos ſummos recentiores principem quendam mereri locum, ita ut in mathematicis plurimum tribuendum ſit ipſius judicio. Conſtat tamen Mathematicum ſummum de calculo differentiali initio non adeo magnifice ſenſiſſe, cum ejus beneficio dudum inventa aliter tantum-

 modo

modo exprimi censeret, propterea quod utilitatem ejus prævidere minime poterat. Quodsi itaque *Leibnitius* ad hunc calculum inveniendum & alii Mathematici primi ordinis ad eum ulterius excolendum animum appellere minime debuissent, antequam ejus utilitas summa ipsis perspecta fuisset, dubium non est, quin adhuc in desideratis numeraretur inventum prorsus divinum, & omnia ignorarentur, quæ ejus ope hactenus detecta fuerunt, essentque hodienum Geometris inaccessa, ad quæ iisdem ante hoc inventum præclusus erat aditus. Apage igitur te cum præjudicio tuo, quod etsi sapientiam spirare videatur, ad stultitiam tamen referendum, & quin maxime noxium sit haud diffiteri valet, qui quomodo veritates generi humano longe utilissimæ fuerint detectæ, non ignorat. Non opus est, ut in re satis manifesta simus prolixiores.

§. 3.

Num disqui- Ex his, quæ diximus, conficitur, disquisitionem de figura Telluris non posse

posse dici inutilem, etiamsi nulla adhuc appareret utilitas. Quodsi enim ignoras, num usus utique inde redundet in genus humanum, si certo constiterit, qualis sphæroides sit Terra, & si Geometræ figuram hanc definire & ejus proprietates per calculos suos investigare valeant; hinc nondum inferre licet, quod utilitate careat. Præcipitas adeo judicium ad impossibilitatem rei argumentatus. Tacite nimirum supponis, ea in numerum impossibilium esse referenda, quæ tu ignoras, adeoque tacite supponis esse tibi eorum omnium, quæ possibilia sunt, notitiam & quidem adeo familiarem, ut quoties de aliquo eorum cogitandi occasio incidit, id statim animum subeat. Nonne male sanum ipsemet dixeris, nemine refragante, si quis hoc de se affirmaret, ita ut non refutandum, sed derisui aliis propinandum judicares? Quo igitur jure prætendis, tuum aliquid valere debere judicium, quod nullum esse debet, ubi sumis tanquam verum, quod ipsemet maxime absurdum pronuncias? Necesse igitur

Cognitio de figura Telluris tanquam inutilis rejicienda, si nulla hujus notitiæ appareat utilitas.

tur est, ut fatearis, non esse ideo inutilem de figura Telluris disquisitionem, etiamsi usum adhuc nullum prævidere possis, immo si vel maxime nec ullam prævideant utilitatem alii, quam ejus notitia parere debet: fieri enim potest, ut successu temporis detegatur maxima, quam sperare in præsenti non licebat. In iis, quorum eventus a nobis præsciri nequit, casui eundem submittendum esse unanimiter fatentur omnes, qui se prudentes probant. Quamobrem profundi sumtus dicendum non est, si quos faciunt Reges vel summi Principes, ut vera Telluris figura detegatur, sine quibus eam detegere non licet, saltem pro præsenti rerum statu, etiamsi docere nondum possis, quænam inde speranda sit utilitas. Veritates omnes adeo inter se connexæ sunt, ut per cognitionem unius pateat aditus ad alias, quæ inacessæ erant, & humani generis utilitates cum agnitione veritatum adeo cohærent, ut cum harum incremento augeantur & ipsæ. Felicitati adeo generis humani semper consulunt Principes, si ad veri-

veritatum theſaurum amplificandum, quod ſuum eſt, conferant.

§. 4.

An aliquis uſus prævideri poſſit.

Neque vero omnino verum eſt, nullam prævideri poſſe disquiſitionis de figura Telluris utilitatem, etiamſi non Archmedes aliquis, vel Apollonius fueris. In vulgus notum eſt, veteres ſumſiſſe, quod figura Telluris ſphærica ſit, & hanc figuram ſupponunt Mathematici in Aſtronomia, Geographia, Navigatione, Gnomonica, Libellatione. Qui vel fugitivo oculo haſce Matheſeos partes percurrit, is facile obſervabit, quam multa ſint, quæ ex hoc ſuppoſito deducuntur, quod ſphærica ſit Telluris figura. In confeſſo hodie eſt, eam ſphæricam non eſſe. Quamobrem nec accurata eſſe poſſunt, quæ ab eadem pendent, ubi inter figuram ſphæricam & ſphæroidicam, qualis Telluri revera competit, non contemnenda intercedit differentia. Hinc facile prævidere licet, longe aliam futuram partium Matheſeos mixtæ faciem, ſi vera Telluris figura agnita in Ma-

thesin admittatur. Suam igitur accuset ἀβλεψίαν seu acuminis sui defectum, vel omnimodam Mathematum imperitiam vel incogitantiam, si usum nullum prævidere potest. Non est, quod excipias, figuram sphæroidicam a sphærica adeo parum differre, ut pro sphærica haberi possit in iis Mattheseos partibus, in quibus explicanda veniunt, quæ a figura Telluris pendent: hoc enim non sumendum, sed demonstrandum est. Quamobrem ut certi simus, num & quando figura Telluris citra errorem sensibilem pro sphærica haberi possit, in veram Telluris figuram inquirendum. Nostro seculo non convenit sumere tanquam certa, quæ quod vera sint demonstrari nondum potest.

§. 4.

Usus primus in Geographia.

Dicta sufficere poterant pro præsenti scopo, ubi non aliud nobis propositum est, quam temeritatis redaguere judicia præcipitata, quæ in munificentiam Regis christianissimi atque Herculeas operas virorum præclarorum injuria sunt. Non inconsul-

ſultum tamen exiſtimamus, ut quædam ſpecialius declarentur. Conſtat in conſtructione mapparum geographicarum gradus latitudinis, qui in Meridianis determinantur, ſumi æquales, ac hinc definiri inæqualitatem graduum in parallelis, ab utriusque autem pendere diſtantiam locorum. Cum Telluris figura non ſit ſphærica, ſed ſperoidica, gradus Meridiani inæquales ſunt, & inæqualitas graduum in parallelis alio prorſus modo ſeſe habet, quam in hypotheſi figuræ ſphæricæ determinatur. Mappas igitur geographicas accuratas conſtruere non licet, niſi vera Telluris figura fuerit cognita. Et quoniam (quemadmodum diximus) ex horum graduum quantitate præſuppoſita definiuntur diſtantiæ locorum; nec veras eorundem diſtantias exhibebunt mappæ geographicæ, niſi in iisdem conſtruendis ratio habeatur veræ figuræ Telluris, quæ experimentis accuratiſſime factis comprobatur. Quoniam mapparum geographicarum conſtructio atque uſus haud infimum ſibi locum vindicant in Geographia; quin notitia veræ figuræ

guræ Telluris ad perficiendam Geographiam utilis ſit, in dubium revocare non licet. Non dicam in præſenti de figura globorum terreſtrium artificialium immutanda, ut veritati magis conſentiant, quæ in ejus ſuperficie exhibentur, nec de aliis, quorum demonſtratio a figura Telluris dependet, cum jam nobis propoſitum non ſit ſingula minutiſſime perſequi.

§. 5.

Vſus ſecundus in navigatione.

Quæ de mappis geographicis & definiendis diſtantiis locorum in Geographia modo dicta ſunt; ea etiam intelligenda ſunt de mappis hydrographicis, quarum uſus eſt in navigatione, nec non de diſtantiis, quas in eadem noſſe tenentur, qui curſum navis dirigunt, & hic multo majorem attentionem merentur, quam in Geographia, quia diſtantiarum cognitio magis momentoſa in navigatione, quam in Geographia: id quod non ignorant, qui navigationi præficiuntur, ac facile capiunt, qui quæ de arte navigandi demonſtrantur in Hydrographia ad animum revocant. Ete-

nim

nim si vel oculo fugitivo quis percurrere velit problemata, quæ in arte navigandi solvuntur, haud difficulter perspiciet, quandonam distantia cognita præsupponatur, & quænam ab ejusdem cognitione pendent. Navigantibus vero per vastum oceanum exploratum est, quot & quantis periculis objiciantur, si quidem in determinandis distantiis locorum a veritate multum aberraverint. Quamobrem si non alius a cognitione figuræ Telluris expectandus esset usus, quam quem in arte navigandi promittit; hic solus sufficere poterat, ut Reges nullis parcerent sumtibus ad illam accurate definiendam requisitis. Quantum momentum in eo situm, ut ars navigandi omni modo perficiatur, abunde norunt omnes, quorum interest, ut ea ad eum perfectionis gradum evehatur, ad quem industria humana perduci potest.

§. 6.

Usus tertius in parallaxi determinanda.


Qui in Astromonia non sunt prorsus peregrini ac hospites, iis satis superque perspectum est, in parallaxi Lunæ

Lunæ definienda ſupponi non modo veram quantitatem ſemidiametri terreſtris, verum etiam figuram Telluris, quæ nunc cum veteribus ſphærica eſſe ſupponitur. Immo idem ſupponi in parallaxi Veneris & Martis methodo Caſſiniana inveſtiganda notum eſt, unde cognitio parallaxeos Solis ac reliquorum planetarum, & determinatio magnitudinis Solis & omnium planetarum, totiusque ſyſtematis planetarii accurata dimenſio pendet. Nec minus conſtat, parallaxin Lunæ inſervituram longitudini maris determinandæ, ſiquidem ea ſatis accurate definiri poſſit: quod problema hactenus tantopere exercuit Mathematicorum ingenia. Nullum igitur dubium eſt, quin vera figura Telluris cognita haud parum conferre debeat ad Aſtronomiæ perfectionem.

§. 7.

Vſus quartus in elevatione. Denique ut alia taceamus, Geometriæ practicæ ſatis gnaris conſtat, non negligendam eſſe elevationem lineæ horizontalis apparentis ſupra veram in

in libellatione, præsertim ubi aquæ per longa intervalla deducendæ. Supponitur cum veteribus hactenus figura Telluris sphærica, quam veram non esse constat. Atque adeo denuo liquet, ad summum perfectionis gradum, quem ab humana industria expectare licet, perduci minime posse libellationem, nisi vera Telluris figura cognita fuerit atque perspecta. Hæc sufficere puto, ut intelligatur, utilitate maxima non carere figuræ veræ Telluris accuratam determinationem, adeoque a veritate longius distare eorum sententiam, qui sibi persuadent, quæstionem de vera figura Telluris, si non inter tricas inanes, saltem inter quæstiones curiosas collocandam esse, quarum sollutionem tuto ignorare possit genus humanum.



CON-

CONSPECTUS
TRIMESTRIS VERNALIS.

I.

II.

III.

IV.

V.

FINIS TRIMESTIS VERNALIS.



HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES

ANNI MDCCXXXI,

QUIBUS

PHILOSOPHIA

AD

PUBLICAM

PRIVATAMQUE UTILITATEM APTATUR.

AUTORE

CHRISTIANO WOLFIO,

NUNC


POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARIO INTIMO, ACADEMIÆ FRIDERICANÆ PRO-CANCELLARIO, JURIS NATURÆ ET GENTIUM AC MATHESEOS PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ SOCIETATUMQUE REGIARUM BRITANNICÆ ET BORUSSICÆ MEMBRO.

TRIMESTRE ÆSTIVUM.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ, M DCC XXXXI.
PROSTAT IN OFFICINA RENGERIANA.



PRÆFATIO.



CUr ad Horas Subſecivas edendas animum appulerim, in præfatione expoſui, cum Anno 1729. primum Trimeſtre prodiret. Conſtitueram tunc temporis ſingulis trimeſtribus faſciculum quendam in publicum proferre: enimvero labores ordinarii nullas propemodum horas ſubſecivas relin-

quebant, ut adeo ſtatuto tempore trimeſtria prodire non poſſent. Fuere tamen complures, qui, cum utilitatem hujus inſtituti perciperent, me ad idem proſequendum hortarentur. Quamvis adeo finitis Horis Subſecivis Anni 1730. ab eo penitus deſiſtere decreveram; ad aliorum tamen commoda promovenda pronus facile mihi perſuaderi paſſus ſum, ut Trimeſtre Hybernum & Vernale A. 1731. in lucem quoque publicam proferrem. Enimvero anno ſuperiori tot ſeſe mihi objecere obſtacula, ut ne quidem laboribus ordinariis ſufficerem, nedum de Horis Subſecivis cogitare daretur. Contigit vero, ut Marburgum, Muſarum meorum adeo commodam ſedem, relinquerem ac Halam redirem, cujus conſilii rationem fuſius expoſui in Programmate

mate de Necessitate Methodi scientificæ & genuino usu Juris Naturæ ac Gentium, quo lectiones in Universitate Fridericiana in posterum habendas intimavi. Horæ igitur Subsecivæ Marburgenses Anni 1731. non erant consummatæ, deficientibus adhuc trimestribus æstivo & autumnali. Inconveniens videbatur cum mihi, tum aliis laborem cœptum ad umbilicum non perduci. Alii itaque hortabantur ut loco horum trimestrium colligerem in fasciculum Programmata, quæ Marburgi conscribenda mihi erant, cum Pro-Rectoratus munere fungerer, & Orationes, quæ mihi publice recitandæ erant, cum hoc munus in alios transferrem. Non prorsus approbavi consilium amicorum, eidem tamen penitus deesse nolui. Quamobrem ne duo trime-

ſtria reſidua anterioribus diſſimilia eſſent, themata iisdem convenientia ſelegi & eodem modo pertractavi, quo feceram in præcedentibus: ne tamen nihil apud me valeret aliorum autoritas, programmata præcipua trimeſtri æſtivo inſerui, Orationes vero addere inconſultum videbatur. Earum prima erat de actione recta, quam recitavi, cum munus Pro-Rectoratus in Virum Summe Reverendum *Duyſingium*, Profeſſorem tunc temporis Theologiæ Ordinarium, nunc beatorum numero adſcriptum transferrem. Enimvero quæ de rectitudine actionis tenenda ſunt, ea poſtmodum in Philoſophia practica a me demonſtrata ſunt, inde rectius petenda, quam ex Oratione iſta addiſcenda. Nulla igitur ratio ſuadere poterat, cur eandem typis publicis ex intervallo

lo deſcribi curarem. Altera de libertate academica diſſerebam, quam prounciavi, cum munus Pro-Rectoratus in Virum Summe Reverendum *Kirchmeyerum* transferrem, qui adhuc Profeſſioni Theologiæ Ordinariæ ſumma cum laude in Academia Marburgenſi præeſt, cujus mihi memoria conſtanti ac perpetuæ erat voluptati, quoad vixero. Orationem hanc in gratiam Studioſorum conſcripſeram, qui, cum diſtincta libertatis academicæ notione deſtituantur, libertatem in licentiam vertere ſolent eademque multis modis abutuntur non ſine maximo detrimento. Quamobrem & eam in eorundem uſum publici juris facere decreveram, niſi cogitationes de mutando domicilio, quæ animum per maximam anni ſuperioris partem an-

cipitem tenebant, eundem ab hoc proposito divertissent. Etenim mense Februario mihi offerebatur Professio in Academia Ultrajectina conditionibus prorsus extraordinariis. Loci amœnitas & philosophiæ apud exteros felicius propagandæ opportunitas me facile alliciebant ad Professionem oblatam acceptandam, dissuadentibus licet amicis, ne in anno climacterico magno, qui proxime instabat, tantæ mutationis periculum subirem. Animum quoque in transversum agebat ipsum Marburgum, commodissima, quemadmodum dixi, Musarum mearum sedes, qua alibi commodior vix speranda videbatur, & summa Regis Sueciæ ac Principis Hassiæ Gubernatoris, qua fruebar, clementia, mihi nunquam satis deprædicanda: quæ ipsa in causa fuerat,

ſuerat, ut a Rege Boruſſorum piæ memoriæ bis invitatus Halam redire recuſaſſem, lautiſſimis licet ac ſplendidiſſimis conditionibus oblatis, quemadmodum in Dedicatione Tomo ſecundo Philoſophiæ practicæ univerſalis præmiſſa indicavi pluribus. Ecce autem! dum animo perplexo dubia conſilia agitantur, Potentiſſimus Boruſſorum Rex, qui hodie ſceptra tenet, eundem magis adhuc perplexum reddidit, ubi me denuo ad reditum in terras ſuas invitavit oblatis conditionibus mihi & valde honorificis & proficuis, ad invidiam tamen conciliandam maxime compoſitis. Quantis animi fluctibus ab eo tempore fuerim jactatus, ex quibus nonniſi providentia divina emerſi tandem, in eo, de quo paulo ante dixi, Programmate le-

ſtat. Mutatio domicilii obſtitit, quo minus Tomus ſecundus Juris naturæ lucem publicam adſpicere potuerit nundinis hiſce paſchalibus, nonniſi anno elapſo compariturus. Danda igitur in poſterum erit opera, ut tempus omne, quod muneris præſentis ratio permittet a laboribus vacuum, omni animi contentione in continuanda philoſophia, quam reformare aggreſſus ſum, conſumam. Vix itaque horas ſubſecivas ſperare licet, præſertim cum plura ſeſe hic, quam Marburgi offerant obſtacula, quæ non commode declinari poſſunt. Malo igitur nil promittere, quam non ſtare promiſſis, etſi ad ea, quæ fieri non poſſunt, nulla detur obligatio. Quodſi præter ſpem ac opinionem nobis ſuppetet otium, id omne in publicam utilitatem luben-

bentiſſime impendemus, cum nobis nihil magis volupe ſit quam aliorum commodis velificari, neque tempus a nobis melius collocari certi ſumimus, quam quod in aliorum utililatem impenditur. Dabimus adeo horas ſubſecivas non certo tempori alligatas, ſed quocunque tempore licebit. Sed de his, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, ſtatuere quid certi non datur. Hoc tamen ſpondemus, nos omnem moturos eſſe lapidem, ut damnum, quod mutandi domicilii cauſa paſſa eſt philoſophia noſtra, in poſterum reſarciatur. Etenim ſi Marburgi ut manſiſſemus viſum fuiſſet Deo, Tomus ſecundus Juris Naturæ nunc prodiiſſet, cujus primus lucem publicam adſpexit ſuperiori anno. Annus itaque ab eo tempore elapſus eſt ſine linea. Confidimus tamen fore, ut Deo

Deo ſavente annus, quem amiſiſſe videmur, quaſi poſtliminio nobis reſtituatur. Erunt forſan aliqui, qui exiſtimaturi ſunt, a conſcribendis Horis Subſecivis nos in poſterum tuto abſtinere poſſe, ceſſante ratione, ob quam earum edendarum conſilium ingreſſi ſumus. In his ipſis Horis Subſecivis utilitatem Philoſophiæ noſtræ tam in Facultatibus, quas vocant, ſuperioribus, quam in omni vita ſpeciminibus illuſtrare conati ſumus. Illo tempore, quo ad Horas Subſecivas primum cogitationem noſtram convertimus; publicare cœpimus operis noſtri philoſophici in poſterum continuandi partem primam, Logicam. Novum moliebamur opus, Philoſophiam univerſam methodo demonſtrativa ad certitudinem evecturi: id quod inter ea referebatur, quæ fieri non poſſunt.

poſſunt. Edideramus antea compendium quoddam ejus idiomate Germanico, in quo primaria dogmata inter ſe connexa exhibueramus. Hæc magna animorum contentione oppugnabantur & impietatis poſtulabantur, quaſi recta via ad Atheiſmum, Deiſmum, fataliſmum & Epicuræiſmum ducerent, ac omnem religionem, virtutem morumque honeſtatem tollerent, immo ſtatum civilem everterent. Quicquid ad criminationes male ſanas reponebatur, nulla attentione dignum judicabatur ab adverſariis. Hiſce applaudebant, qui ſcripta noſtra non legerant, nec legere dignabantur, ſuo potius, quam meo damno, cum ſatis ſuperque convictus eſſem omnes malevolorum criminationes ſua tandem ſponte in auram abituras. Conſultum itaque videbatur, ut & utilitatem methodi noſtræ, & ipſius quoque Philoſophiæ ſpeciminibus illuſtraremus, quo attentionem eorum excitaremus, qui aliorum perſuaſionibus facilem haberent fidem, & ipſo facto contrarium oſtendentes omnem ſuſpicionem inutilitatis & neſcio cujus

peri-

periculi ab ea removeremus. Enimvero mutata rerum facies est. Vicimus meliorum suffragiis, qui non modo utilitatem, sed inexpectatam quoque Philosophiæ nostræ fœcunditatem & evidentiam perspiciunt. Leguntur opera nostra philosophica tam Latina, quam Germanica a multis, viris etiam generis prosapia & dignitate eminentibus cum in Germania, tum extra eandem, & ab ipsis Regibus ac Principibus aliquod iisdem statuitur pretium. Atque adeo cessat horarum subsecivarum ratio. Enimvero hoc non obstante non tamen desunt, qui non minus earum continuandarum utilitatem agnoscunt, ut adeo supervacaneæ non censeantur, modo iis continuandis otium suppetat: quod divinæ providentiæ nunc committimus, ut alias nos & res ceteras nostras omnes. Halæ d. 15. Aprilis A. O. R. 1741.



HORÆ

HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES

Anni MDCCXXXI.

Trimeſtre æſtivum.

I.

De differentia notionum metaphyſicarum & mathematicarum.

§. 1.

Equidem notiones metaphyſicas diſtincte ſatis explicavimus in Metaphyſicis, Ontologia præſertim & Coſmologia tranſcendentali, ut adeo earum a mathematicis differentia Lectori attento & Mathematum perito per ſe manifeſta ſit, præſertim ubi ex Pſychologia facultates animæ ad cognoſcendum ea, quæ ſub cognitionem humanam cadunt, datas earundemque uſum intimius perſpexit: quoniam tamen video non deeſſe complures, qui, cum ſibi aliis plus ſapere videantur, neſcio quo ab autoritate aliena emendicato acumine ſuperbientes, notiones metaphyſicas cum mathematicis in præjudicium veritatis & progreſſus ſci- *Inſtitutum Autoris.*

 entia-

entiarum miserrime confundunt, seque non minus, quam alios in Labyrinthum conjiciunt, ad Scepticismum tandem recta via ducentem; non inconsultum duxi, ut tempori serviturus differentiam illarum notionum perspicue exponam, cum inter usus Philosophiæ nostræ, quem in his ipsis Horis Subsecivis promovere intendimus, hic etiam referendus sit, ut imaginationis abortus ex Philosophia exterminentur, nec in errores, qui evitari poterant atque debebant, incauti nos præcipites demus, immo ut imaginaria a realibus accurate distinguantur, nec illis amplior concedatur locus, quam sine veritatis detrimento imaginarium in locum veri surrogare licet.

§. 2.

Idem ulterius explicatur. Etsi objectum Matheseos & Metaphysicæ prorsus diversum sit, cum illa de quantitate, hoc de Ente in genere agat, quatenus nimirum Metaphysica in sensu strictiore pro Ontologia sumitur, cui agnata est Cosmologia generalis, quam & transcendentalem voco; sunt tamen nonnulla, quæ & Ma-

Mathematicus & Metaphyſicus conſiderat, veluti extenſio, ſpatium, locus, tempus, vis motrix, motus, infinitum. Per ſe patet, Mathematicum agere non poſſe de iis, quorum nulla ipſi notio eſt, quocunque tandem modo circa ea verſetur. Quamobrem extenſionis, corporis, ſpatii, loci, temporis, vis motricis, motus, infiniti aliquam habere debet notionem. Cum Metaphyſicus in Philoſophia prima notionem entis in genere evolvit, eorundem quoque notiones explicare tenetur. Quæritur itaque, num Metaphyſico eas, quæ in Matheſi uſui ſunt, in Philoſophiam primam & Cosmologiam generalem inferre liceat, ibidem non minus uſui futuras, an vero ſibi cavere debeat, ne iisdem aditum patefaciat, ſed majore acumine reale ab imaginario ſeparare teneatur. De hoc adeo in præſenti potiſſimum diſpiciemus.

§. 3.

Notionum diverſitas a diverſitate facultatum animæ ortum trahit. Sunt homini ſenſus, quibus quoad animam accedit facultas appercipiendi modificationes ſuas, ſeu actus eidem ſucceſ- *Fons diverſitatis notionum.*

 ſive

ſive inexiſtentes, atque imaginatio, quæ quoad abſenſia ſentibilia in locum ſenſuum ſuccedit. Eſt etiam intellectus, quo non modo diſtinctas notiones eorum, quæ ſenſu percipiuntur, verum etiam ratiocinando eas conſequimur, quæ cognitioni noſtræ ſeſe alias ſubducerent, & inprimis ad univerſalium cognitionem penetramus, quæ ſenſui ac imaginationi negatur. Senſus perceptibilia confuſe repræſentant, & quamvis ſenſationibus etiam inſint, quæ tanquam diverſa repræſentantur; niſi tamen intellectus operationes accedant, vix umbra quædam notionum diſtinctarum in perceptionibus iteratis compareret, & ſi in iis acquieſcimus, quæ reflectendo ſuper iis, quæ ſenſu percipiuntur, in iisdem diſtinguuntur & a rebus perceptis abſtrahuntur, progreſſus admodum exigui ſunt. Quoniam ſenſus plura a ſe invicem diſtincta multiplici ratione inter ſe confuſa tanquam unum quid repræſentant, quemadmodum in Pſychologia rationali diſtinctius me explicaſſe memini; ſenſu percepta alia apparent, quam quæ ſunt.

Inde

Inde eſt, quod *Lockio* notiones ſimplices viſæ fuerint, quaſi in alias ſimpliciores non reſolubiles, quæ in infinitas reſolvendæ, antequam ad primitivas pervenias, magno ſane ſcientiæ detrimento. Huic enim præjudicio debetur, quod notiones rerum abſtractarum vi imaginationis fingantur ad modum ſenſibilium & admittantur intelligibili modo in ſe non explicabilia, quales ſunt qualitates occultæ Scholaſticorum. Eſt vero etiam homini intellectus, vi cujus diſtinguuntur, quæ ſenſus una exhibet atque in unum confundit. Et ejus beneficio pervenitur ad notiones rerum diſtinctas; etiam ab omni ſenſu remotas, nec admittuntur niſi talia, quæ in ſe intelligibili modo explicabilia ſunt. Notiones adeo confuſæ dum in ſimpliciores reſolutæ ad diſtinctas reducuntur, res, quæ ſub cognitionem noſtram cadunt, longe aliæ deprehenduntur, quam apparent, nec abortus imaginationis in numerum entium recipiuntur. Quodſi ergo ſenſui & imaginationi nimium tribuas, ad haſce facultates referens, quæ iisdem minime

ſubſunt, nec intellectus ſua munia rite obeat; nihil in metaphyſicis profeceris. Exemplo nobis ſunt non modo Scholaſtici, verum etiam *Carteſius*, quorum illi Philoſophiam præſertim primam Cimmeriis tenebris involverunt, hic eam prorſus neglexit in notionibus confuſis iisque vagis vulgi acquieſcens, quaſi termini abſtracti, qui in Ontologia definiri debebant, in ſe indefinibiles ſint, & quoad principia phyſica imaginaria cum realibus confudit, nec in Pſychologia notiones facultatum animæ dedit fœcundas. Quod adeo notiones habeamus confuſas, ſenſibus debetur ac imaginationi, dum circa ſenſu percepta intellectus non rite fungitur officio ſuo. Si vero notiones fieri debent diſtinctæ & ab imaginibus ſeparanda, quæ nonniſi vi intellectus concipiuntur, ne imaginaria cum realibus confundantur; intellectus munia ſua rite obire debet: quod quomodo fiat, in Logica veri nominis docetur.

§. 4.

Quales notiones ſumant Geometræ.

Notiones, quas Geometræ ſumunt, confuſæ ſunt, eaque de cauſa terminos, qui-

quibus indigitantur, non definiunt, aut ubi eos explicare volunt, ad sensu percepta recurrunt & notiones imaginarias formant, quæ speciem distinctarum mentiuntur. Ex iis igitur non intelligitur, quales res revera sint; sed tantummodo quales appareant, quamdiu sensuum judicio statur. Geometræ tantum inquirunt, quantæ res sint, non vero quales res sint. Ad rerum quantitatem seu magnitudinem determinandam sufficiunt notiones imaginariæ; sed ex iis nihil colligitur, quod prodest ad qualitates illarum cognoscendas. Quamobrem ubi notiones Geometrarum in Metaphysicam infers, non modo ibidem deprehendunduntur infructuosæ, sed quatenus id, quod apparet, sumitur pro eo, quod est, in errores abusus illarum te seducit & subinde in Labyrinthum incidis, ex quo nullus patet egressus. Quodsi adeo quis ætatem in Geometria & calculis consumsit, ac notiones imaginarias sibi non modo reddidit familiares, sed iisdem etiam non sine successu usus fuit in Mathesi, de differentia inter notiones imaginarias & reales minime

cogitat, adeoque facile sibi persuadet, res tales esse, quales apparent, nisi manifesta quædam absurditas statim se prodat. Atque adeo facile contingit, ut sphæram suam egredi ausus in Metaphysicis hallucinetur, & quæ tanquam evidentia citra omnem hæsitationem admittit, ea Metaphysicus, cui alio acumine abstracta discernere datum est, tanquam a veritate aliena rejiciat.

§. 5.

Illustratur 1. notione extensionis.

Ne quæ in genere dicta sunt obscuriora videantur, quam quæ satis intelligantur, nec quis objiciat, quasi Mathematicis sine ratione tribuatur defefectus acuminis, quo ceteros eruditos superare ab omni ævo existimantur; per exempla eundum est, quæ palam faciunt, notiones a Geometris suppositas non esse nisi imaginarias, quarum non modo nullus est in Philosophia usus ad principia rerum naturalium rite determinanda, sed quæ etiam ad errores facile seducunt. Geometræ versantur circa figuras, quas non esse nisi limites extensi, alibi docuimus (*a*), & a ne-

(*a*) *§. 611. Ontol.*

a nemine in dubium revocatur. Hinc & Geometriam definivimus (*b*) per ſcientiam extenſorum, quatenus terminata ſunt. Etſi autem ad figuram etiam referre velis ſpatium, quod intra limites iſtos coarctatur, quemadmodum fert uſus loquendi apud Geometras receptus, ut ideo figuram definiverimus in Geometria (*c*) per continuum perimetro terminatum, ſuppoſita nempe perimetri, quæ proxime præcedit, definitione; continuitas tamen iſta non ſpectatur niſi in extenſo. Notio itaque figuræ notionem extenſi præſupponit, in quam quippe reſolvitur. Neque definitio, quam dedimus in Ontologia, adverſatur alteri, quam dedimus in Geometria, ſed hæc potius ex illa deducitur. Etenim in Ontologia definitionem figuræ dedimus realem, quæ docet, quomodo oriantur in extenſo figuræ, & per quam intelliguntur poſſibiles. Aſt in Geometria definitionem dedimus nominalem, quæ uſui loquendi Geometrarum reſpondet. Limites inhærent extenſo,

(*b*) *Elem. Geom.* §. *1.*

(*c*) §. *32. Elem.*

nec ſine eo concipi poſſunt. Unde inferre licet, extenſum, cui inhæret, ad figuram quoque referri poſſe, ſi ita viſum fuerit, quatenus per eam determinatur magnitudo extenſi terminati. Sed quicquid ſit, ſufficit figuram concipi non poſſe, niſi ſuppoſita definitione extenſi. Nemo Geometrarum extenſum aut, ſi mavis extenſionem definit, neque etiam demonſtrationes geometricæ hanc definitionem exigunt, quippe quarum rigor ſubſiſtit absque hoc principio. Notione igitur confuſa contenti ſunt: unde & *Carteſius* in Principiis Philoſophiæ eſſentiam corporis in extenſione conſiſtere affirmans, quid ſit extenſio, minime explicat. Et *Claubergius*, qui optimus ejus interpres celebratur, extenſum definit per id quod habet partem extra partem, quemadmodum etiam fecerat *Jungius*, qui dixerat extenſum id, per quod ſubſtantia corporea habet partem extra partem. Si enim in abſtrahenda notione extenſionis ſolo viſus judicio ſtatur, in extenſo non diſcernere licet niſi partes extra partes, nulla intrinſeca differentia gaudentes, quippe

quæ

quæ in viſum minime incurrit. Extenſionem vero non niſi confuſe percipi & perinde ac colorem aliasque qualitates ſenſibiles in numerum phænomenorum referendam eſſe demonſtravimus (*d*) & quomodo confuſa hæc idea in anima naſcatur, abunde docuimus (*e*). Quodſi non minus ea, quæ de extenſione tradidimus in Ontologia, quam quæ de ea demonſtravimus in Coſmologia & notione ejusdem in Pſychologia attenta mente lecta intellexeris; abunde patebit, notionem ipſius confuſam, in qua Mathematico acquieſcere licet, non ſufficere Philoſopho. Immo niſi fueris hoſpes in omni hiſtoria literaria, ſimul animadvertes, unde enati ſint tot errores, unde tot dubitationes circa prima rerum principia. Sane quæ in Principiis Philoſophiæ *Carteſii* quoad notionem corporis & motus communicationem deſiderantur, notioni confuſæ extenſionis accepta ferenda ſunt. Ex hoc fonte etiam manavit ſyſtema cauſarum occaſionalium a corporibus deinde ad ani-

(*d*) §. 224. & *ſeqq. Coſmol.*
(*e*) §. 103. *Pſych. rat.*

animam translatum. Fluxit etiam hinc error de identitate corporis & ſpatii, quem *Carteſius* inſtar veritatis manifeſtæ complexus eſt. Profluxerunt errores alii, veluti de materia uniformi, cujus diviſione & compoſitione enata finguntur corpora, de atomis materialibus, de extenſione realitate corpori inexiſtente: Immo eadem extenſi notio eos ſeduxit, qui extenſionem in numerum attributorum divinorum retulerunt, & Materialiſmum invexit, nec non Philoſophos in Labyrinthum de diviſione ac compoſitione continui conjecit. Singula hæc demonſtrare non foret difficile: tanto autem minus neceſſarium videtur in has ambages deſcendere, quia hoc per ſe animadvertet, qui errores iſtos incruſtare aut in eorum fontem inquirere voluerit.

§. 6.

v. notione corporis. Geometræ corpus ſibi repræſentant tanquam extenſum ſimilare, cujus ſcilicet partes non differunt niſi loco, conſequenter omni differentia intrinſeca deſtituuntur, idemque tribus dimenſionibus præditum, longitudine, latitudine & profunditate. Unde Corpus

pus definimus (*f*) per extensum in longitudinem, latitudinem atque profunditatem, supposita scilicet notione extensi confusa (§. 5.), quæ partium similitudinem involvit. Et quoniam extensio in abstracto non concipitur sine continuitate, partes quoque corporis non intelliguntur nisi possibiles, ita ut ipsum corpus concipiatur in partes tantummodo divisibile, nullas vero habeat partes actu a se invicem distinctas. Quoniam experientia abunde docet, corpora, quæ in rerum natura existunt, habere partes actuales, quæ a se invicem distinguuntur, prouti inprimis in corporibus organicis, veluti hominum ac brutorum, conspicitur; nemo non statim advertit, corpus mathematicum a physico differre. Unde ad evitandam æquivocationem illud solidum appellari solet. Hanc vero notionem non esse nisi imaginariam, ex ipsa hujus definitione patescit. Cum enim notione imaginaria ob quandam similitudinem fingatur, quod non est, ut per imaginem quandam veluti oculis præsens sistere valeamus, quod in eos non incur-

(*f*) §. 444. *Elem. Geom.*

incurrit (*g*); qui neglecta omni partium intrinseca differentia, ex quibus constat, nec ad harum principia essendi animum attendit, & fingit extensum quoddam prorsus similare, quale non existit, secundum omnes suas dimensiones terminatum, is omnino corporis nonnisi imaginariam notionem habet. Hæc corporis notio satisfacit Geometræ, cui nonnisi magnitudo ejus curæ est de qualitatibus ejusdem parum sollicito. Perperam autem transfertur in Philosophiam, quando atomi materiales finguntur ad similitudinem corporis mathematici, ab hoc non differentes nisi mole, utadeo corpora physica tandem in corpuscula mathematica, entia imaginaria (*h*), tanquam partes ultimas resolvantur, etsi rationem nullam dare possint, cur, quod imaginarium inviti agnoscere tenentur in magno, in reale degenerare debeat in parvo, quamvis ceteroquin ipsimet ab eo, quod in magno observant, continuo argumententur ad parvum, quasi

(*g*) *§. 110. Ontol.*
(*h*) *§. 141. Ontol.*

quaſi extra omnem controverſiam poſitum ſit parva concipi debere ad ſimilitudinem magnorum, nec alia inter minima, quæ finguntur, intercedat differentia, quam quæ a mole ſeu magnitudine eſt. Non jam inquirere licet in errores, quas abuſus notionis corporis imaginariæ in Philoſophiam præſertim Metaphyſicam & Phyſicam invexit. Sufficit monuiſſe, quod levi attentione animadvertatur, cur qui Matheſi, Geometriæ præſertim ac calculis ſe dederunt, hypotheſi atomiſticæ & Philoſophiæ corpuſculari facilem præbeant aſſenſum, etſi in demonſtrando ac inveniendo rectius utantur aliis intellectus operationibus & ſingulare prorſus acumen prodant. Exemplo nobis eſt *Iſaacus Neutonus* Geometra ſummus, qui tot præclaris inventis Matheſin ditavit & cognitioni Naturæ mathematicæ tantam lucem affudit, ut magno ſuo merito ubivis terrarum maximis extollatur laudibus, ubi ſcientiis mathematicis honos habetur. Quoniam is a Matheſi ſe contulit ad chronologiam veterum regnorum enodandam, adeoque tempus,

pus, quod antea impenderat ſpeculationibus analyticis & geometricis, lectione veterum autorum & calculis chronologicis trivit, Metaphyſicam, præſertim Philoſophiam primam, dubio procul faſtidiens ob tenebras, quæ luci in Matheſi adſuetum offendebant; in Phyſica ſine ulla hæſitatione ſubſcripſit hypotheſi atomiſticæ, lucem in tenebris ſibi inveniſſe viſus, quaſi eadem luce imaginaria pariter ac realia diſcernerentur, ut fons omnis lucis menti expectandæ in ſenſu ac imaginatione ſit quærendus. Etenim qui in Metaphyſica non ſine luce intellectus verſatus imaginaria a realibus diſcernere conſuevit; eidem non minus atomi materiales nonniſi figura ac mole a ſe invicem differentes obſcuræ videntur, quam termini ac diſtinctiones Scholaſticorum.

§. 7.

3. notione ſpatii. Si ſpatium nobis repræſentamus tanquam extenſum uniforme, aut, ſi mavis, ſimilare, continuum, quod eſt indiviſibile ac immobile & a rebus exiſtentibus penetrabile; notionem ejus eſſe

esse imaginariam dudum evicimus (*h*). Hanc sumere Geometras nemo est qui nesciat, nisi in Matthesi non satis versatus. Sane *Neutonus* (*i*) spatium, ait, absolutum, natura sua sine relatione ad externum quodvis, semper manet similare ac immobile. *Cartesius* agnovit eam imaginariam esse, sed corporis & extensionis notione imaginaria delusus ipsum cum corpore idem esse statuit. Quantum vero differat notio realis ab imaginaria, si vi intellectus in distinctam ejus notionem inquiramus, abunde patet ex iis, quæ de notione spatii reali (*k*) & modo, quo idea spatii imaginaria in anima nascitur (*l*), demonstravimus non acquiescentes in iis, quæ sensu confuse percipiuntur, sed vi primorum rationis principiorum confuse percepta in notiones distinctas seu intelligibilia resolventes, quemadmodum fieri debet, ubi imaginaria cum realibus confundere nolueris. Quodsi spatii notio-

(*h*) §. 599. *Ontol.*
(*i*) *in Princip. Schol. 2. def. 8. lib. 1.*
(*k*) §. 590. *Ontol.*
(*l*) §. 104. 106. *Psych. rat.*

nem imaginariam pro reali habeas, confusa evidentia cum claritate notionum lucem mentis a sensu derivans; ipsum quoque spatium ens reale esse fingis, quemadmodum fecit *Henricus Morus* in Enchiridio Metaphysico. Admisso uno absurdo sequuntur plura. Si enim spatium est ens reale sublatis omnibus corporibus adhuc subsistens, aut admittendum est ens aliquod Deo coæternum, sine quo mundum creare non potuisset, consequenter a quo ipse dependet in creando, aut spatium considerari debet tanquam ad ipsum Deum pertinens. Illud invisum est merito Theologis utpote independentiæ Dei omnimodæ adversum: hoc visum est *Moro* & ejus asseclis *Josepho Raphsonio*, *Neutono*, *Samueli Clarkio* & aliis. *Morus* enim contendit spatium esse ipsum Deum, propterea quod eidem conveniant attributa divina: id quod *Raphson* in Conamine de spatio, ente reali & infinito more geometrico demonstrare infeliciter ausus est. *Clarkius* spatium fecit attributum divinum, nempe immensitatem ejus: quod quomodo cum sim-

ſimplicitate Dei conſiſtat, nemo ſanus capiet. Sed optaſſem, ut notionem diſtinctam immenſitatis dediſſet eamque ab imaginibus, quemadmodum in Metaphyſicis fieri convenit, ſeparatam. Vidiſſet enim, quam parum inter ſe conveniant immenſitas Deo tribuenda & ſpatium imaginarium. Sed non opus eſt, ut de hoc hic loci dicam, quod ex parte prima Theologiæ naturalis (m) addiſci poteſt. Profecto intellectus divinus immenſus eſt, ratio divina, potentia, ſapientia immenſa eſt. Quomodo vero ex notione ſpatii imaginaria demonſtrabis, intellectum divinum eſſe immenſum, rationem divinam, potentiam, ſapientiam immenſam eſſe. Aut ſi quis ſumit, quod omnino demonſtrabile & a nobis in Theologia naturali demonſtratum, intellectum divinum eſſe immenſum, potentiam, rationem, ſapientiam divinam immenſam eſſe; quomodo quæſo hinc deducet notionem ſpatii imaginariam? *Neutonus*, cui notiones imaginariæ erant familiares,

(m) *§. 176. 285. 360. 693.*

qui vero ad earum a realibus differentiam nunquam animum attendit (§.6.), ſpatium pro organo ſenſorio Dei habuit. Equidem videri noluit ſententiam *Mori* amplecti, quod Deus ſit ſpatium, diſertis enim verbis hoc negat (*n*); affirmat tamen, eum, quod ubique adſit, ſpatium conſtituere, ac ideo omnia in eo eſſe atque moveri. Cumque Deum omnipræſentem dicat per ſubſtantiam, totumque dicat oculum, totum aurem, totum vim ſentiendi (*o*); videtur ſibi imaginatus eſſe Deum, quæ ſunt in ſpatio percipere, quatenus ipſe ſpatium, quod omnia continet, conſtituit omnipræſentia ſua, videns nos percipere ea, quæ nobiscum in eodem ſpatio coëxiſtunt, adeoque nobis præſentia ſunt, ſeu quibus nos præſentes ſumus. Enimvero ſi diſtinctam organi ſenſorii notionem habuiſſet, qualem dedimus in Pſychologia empirica (*p*), non ignoraſſet, per organon ſenſorium intelligibili

(*n*) *in Princip. Schol. gen. lib. 3. p. 528. edit. Londin. A. 1726.*

(*o*) *ibid. p. 529.*

(*p*) *§. 66.*

gibili modo explicabiles esse perceptiones rerum sensibilium, consequenter cum ex notione illa imaginaria spatii reddi nequeat ratio, cur Deus ea, quæ sunt vel fiunt in hoc universo, percipiat, facile animadvertisset spatium organum sensorium Dei inepte appellari, etiamsi concedatur, quod tamen nullo modo concedi potest, ipsum ad essentiam divinam pertinere, aut attributum quoddam ejus esse. Etenim ipse fatetur sermonem omnem de Deo a rebus humanis per similitudinem quandam desumi, non perfectam quidem, sed aliqualem tamen. Quænam vero est illa similitudo, quæ inter spatium imaginarium & organon sensorium intercedit? Similudo rerum nulla concipi potest sine identitate quadam eorum, quæ ipsis insunt (*q*), qualiscunque tandem ea sit, etiam ubi Deo tribuuntur organa humana (*r*). Quænam igitur sunt, quæ notio imaginaria spatii cum notione organi sensorii communia habet, ut per metaphoram spatium

(*q*) §. 195. *Ontol.*
(*r*) §. 103. *part. I. Theol. nat.*

organum ſenſorium Dei dici poſſit? Nec eſt quod excipias, quod *Neutonus* ipſe aſſerat, ut cæcus non habet ideam colorum, ſic nos ideam non habere modorum, quibus Deus ſapientiſſimus ſentit omnia, eumque more minime corporeo, more nobis prorſus incognito ſentire. Neque enim jam quæritur, quomodo Deus ſentiat, quæ ſpatium continet, ſed quænam ſit ſimilitudo illa aliqualis, ob quam ſpatium, ſi conſideratur tanquam ad Deum quomodocunque pertinens, dici poteſt organum ſenſorium Dei, qualem adeſſe debere ipſe *Neutonus* ſtatuit. Sane qui aſſerit, ſpatium eſſe organum ſenſorium Dei, is & huic vocabulo tribuere debet ſignificatum proprium (*s*), quem Deo non repugnare demonſtrare tenetur, antequam definitione utatur tanquam principio demonſtrandi, & præterea ex notione ſpatii imaginaria, de qua hic ſermo eſt, demonſtrare tenetur, ſpatium eſſe organum ſenſorium Dei. Secus qui facit, more vulgi de Deo diſſerit, prouti in buccam venit, minime autem de

(*s*) *§. 149. Diſc. prælim. & §. 148. Log.*

de eodem philoſophatur. Quodſi *Neutonus* in Philoſophia excolenda eandem operam collocaſſet, quam ad Matheſin augendam contulit; extemplo animadvertiſſet dari ſine mente ſonos, ſi affirmetur, ſpatium eſſe organum ſenſorium Dei: immo non minorem repugnantiam obſervaſſet inter ſimplicitatem & immaterialitatem Dei atque ſpatium, quam quæ deprehenditur, ubi quadrata dicuntur rotunda. Non magis intelliguntur verba, quod Deus exiſtendo ubique conſtituat ſpatium, & quod ſit totus oculus, totus auris, totus vis ſentiendi. Eadem hic repetenda ſunt, quæ de organo ſenſorio modo diximus. Quænam enim notio reſpondet modis hiſce loquendi, omnipræſentia ſua conſtituere ſpatium, conſequenter organum ſenſorium ſuum, eſſe totum oculum, totum aurem, totum vim ſentiendi? Si dicas cum *Neutono*, Deum per allegoriam dici videre, audire, ſentire; facilis eſt reſponſio ex primis Rhetoricæ principiis, allegoriæ non eſſe locum, niſi quid in re quadam ante fuerit cognitum, quod

allegorica ista dictione indigitatur. Quamobrem si per allegoriam dicis, Deum videre, audire, sentire; necesse est, ut quid de Deo ante cognoveris, quod vocabulis hisce indigitare velis, & quid Deo insit, perspectum tibi esse debet, ob quem totus oculus, totus auris, totus vis sentiendi per allegoriam dici queat. Quodsi vero demonstraveris, quænam Deo insint, per allegoriam istis modis loquendi indigitanda; quid tibi tandem cum istis allegoriis est in Philsophia, Oratoribus relinquendis? Quodsi regeras, *Neutonum*, quemadmodum in fine scholii illius generalis, quod ante citavimus, fatetur, disserere ex phænomenis, in hoc scilicet mundo materiali observandis; nihil prorsus lucraris. Qui enim ex phænomenis de Deo disserit, ex iis, quæ observat in mundo materiali, ratiocinando colligere debet, quænam Deo conveniant attributa. Quænam igitur sunt illa phænomena, ex quibus ratiocinando colligitur Deum existendo ubique seu omnipræsentia sua constituere spatium, spatium hoc esse organum senso-

rium

rium Dei, Deum totum esse oculum, esse aurem, esse vim sentiendi? Ingenue fateor me in omni Metaphysica Scholasticorum nihil reperisse adeo obscurum, quod nullo modo intelligi possit. In Philosophia prima seu Ontologia non uno exemplo docui, quod verbis obscurissimis Scholasticorum respondeant notiones confusæ, quibus reducendo eas ad distinctas lux affundi potest, ut illa intelligantur. Enimvero si, quæ *Neutonus* ex phænomenis de Deo se differere profitetur, cum notionibus distinctis eorum, quæ Deo tribuenda sunt, confero, tenebræ non dispelluntur, sed spissiores evadunt. Nec te juvat, si regeras, virum summum fateri, nos humano more de Deo loqui. Etenim si humano more de Deo loqui velis in gratiam debiliorum, quibus non concessus est nisi usus facultatum inferiorum, quemadmodum facit ipsa Scriptura sacra; certus esse debes, te citra præjudicium veritatis humano more sic de Deo loqui posse. Philosophus hoc sumere nequit, nisi ipsi quidlibet fingendi potestas conceden-

da; sed utique demonstrandum est hoc licere. Quamobrem necesse est, ut ante cognoscas, quid revera Deo tribui possit vi notionis, quam tanquam primam sumis & cuius evicisti realitatem, quam dispicias, quænam sint vocabula, quibus de hominibus utimur & quibus respondent notiones aliquid cum notionibus attributorum divinorum commune habentes. Non modo hoc extra omnem controversiam positum est iis, quibus principia Logicæ methodo Geometrarum veterum conformis & Metaphoræ ac Allegoriæ notiones ex Rhethorica perspecta sunt, verum etiam id vult Canon veterum: Quæ de Deo dicuntur humano more, ea interpretanda sunt Deo conveniente modo. Atque hæc fieri posse, ipsimet experti sumus, & fidem oculatam dedimus in Theologia naturali, ubi, quæ in Scriptura de Deo humano more dicuntur, quomodo conveniente eidem modo explicanda sint, ostendimus. Demonstravimus nimirum, quæ Deo insint, quæ vero eidem repugnant, quænam per eminentiam tribuenda. Et de his, quæ

quæ per eminentiam ipsi tribuenda sunt, docuimus, quomodo per metaphoram & allegoriam ferant morem loquendi humanum, ut facem quandam præferremus Scripturæ sacræ interpretibus ad distincte explicandum loca, in quibus ea de Deo humano more loquitur. Illa qui perpendit, modo non præpostero studio hoc faciat similis ei, qui intelligere vult Almagestum *Ptolomæi*, antequam novit Elementa *Euclidis*, quantum intersit inter notiones reales & imaginarias discrimen, abunde intelliget. Quando nimirum de Deo humano more loquimur, notiones reales reducimus ad imaginarias, sed ea cautione, ne veritatis aliqua fiat jactura: id quod in Scriptura sacra exactissime observatum deprehendimus, secus ac visum est *Spinosæ* in Tractatu Theologico-politico, qui ad reductionem notionum realium ad imaginarias salva veritate animum non attendit.

§. 8.

Notio loci refertur ad notionem spatii, nec illa sine hac formari potest. Quamobrem quibus notio spatii nonnisi *4. notione loci.*

nisi imaginaria est, iis nec alia loci notio, quam imaginaria esse potest. Itaque cum Mathematicis non sit notio spatii nisi imaginaria (§. 7.) nec iisdem alia, quam imaginaria loci notio est. Et quemadmodum ipsis imaginaria spatii notio satisfacit, quamdiu in sphæra sua versantur; ita quoque non alia, quam imaginaria loci notione opus habent, quamdiu sphæram suam non egrediuntur. Enimvero Metaphysicus realem spatii notionem habere debet, ne ex Philosophia prima in naturalem tacite irrepant errores & in hac nascantur difficultates inextricabiles, tanquam nodi Gordii non solvendi, sed secandi. Quare nec in notione loci imaginaria acquiescere potest, sed eam reducendo ad realem vi intellectus concipere tenetur, quid sit locus, ne auribus velit videre, oculis audire, & in Psychologia rationali demonstrare debet, quomodo facultates inferiores confundendo ea, quæ rebus insunt & acumine intellectus discernuntur, forment imaginem notioni imaginariæ respondentem. Notione imaginaria spatium sistitur tanquam ex-

extenſum uniforme ſeu ſimilare ac immobile, & hinc locus tanquam pars illius, quam corpus occupat, quatenus corpus iſti parti coëxtenſum imaginamur. Hinc *Neutonus* (*t*) locum dicit partem ſpatii, quam corpus occupat. Quid ſit occupare ſpatium, per notionem confuſam intelligitur, quam ſenſu percepta offerunt, & imaginatio ſub ſpecie imaginis cujusdam exhibet. Immo Mathematici haud raro notionem imaginariam loci in fictam convertunt, quando utiliter imaginaria entia in ficta convertere licet. Quando igitur corpus quantæcunque ſit magnitudinis, propterea quod magnitudinis nulla habetur ratio in caſu dato, inſtar puncti mathematici conſiderare licet; locum quoque fingunt punctum fixum in ſpatio imaginario. Obtinet hoc in Aſtronomia, ubi locus ſtellæ fingitur punctum in ſphæra immobili mundana, quæ ſumitur pro parte ſpatii imaginarii in infinitum undiquaque excurrentis. Quemadmodum imaginaria, ita etiam ficta utiliter adhibentur, modo acute diſcernas

(*t*) *in Princip. Schol. 3. def. 7. lib. 7.*

nas, quando imaginariis locus ſit & quando fictiones admittendæ tam in inveniendo, quam in demonſtrando. Minime reprehendimus Mathematicos, quod imaginariis utantur notionibus & quod fictionibus indulgeant: recte enim faciunt, quod in imaginariis acquieſcant, quod fictionibus utantur, ubi ſalva veritate, quæ cognoſcenda, utrumque fieri poteſt. Immo in ipſa Philoſophia idem non improbamus, ſi ſuo fiat loco, & ipſimet hoc fecimus faciemusque in poſterum. Sed nolumus imaginaria ſubſtitui realibus & ficta haberi pro veris, ubi de realibus & veris quæſtio eſt. In Metaphyſica quæritur, quid ſit locus, ſi notio confuſa, quæ ſenſibus debetur, revocetur ad diſtinctam, ut vi notionum rerum in hoc univerſo exiſtentium concipi poſſit, adeoque non ſatisfacit notio imaginaria, quæ in ſenſu perceptis terminatur. Quemadmodum itaque in Phyſica notiones diſtinctæ colorum vel aliarum qualitatum ſenſibilium diverſæ prorſus ſunt a confuſis, quæ ad ſenſus referuntur, nec imaginibus quid ſimile rebus corpore-

pore-

poreis inexistit, quemadmodum optime docuit *Cartesius* omnium saniorum assensum dudum meritus; ita quoque toti falluntur, qui sibi persuadent, imagini loci, quæ a sensu ortum trahit, simile quid extra nos in hoc universo existere. Quænam vero insint rebus ipsis, quarum confusa perceptione oritur ista loci imago, in Metaphysicis docuimus, nec hic loci ut actum agamus ulla ratio suadet.

§. 9.

Mathematici tempus considerant tanquam ens compositum ex partibus successivis, quod continuo æquabiliter fluit. Hinc *Neutonus* (*u*): Tempus, ait, absolutum, verum & mathematicum, in se & natura sua sine relatione ad externum quodvis æquabiliter fluit, alioque nomine dicitur duratio. Num duratio cum tempore recte dicatur eadem, jam non disputo. Quodsi tamen res ad vivum relecetur, a tempore utique distingvenda venit (*x*). Quoniam Geometræ lineam generari con- *s. notione temporis.*

(*u*) *in Princip. Schol. 1. def. 7. lib. 1.*
(*x*) *§. 572. 578. Ontol.*

concipiunt fluxu continuo puncti; tempus in Mathesi repræsentari solet per lineam rectam motu æquabili descriptam. Hanc temporis notionem esse imaginariam, & eidem convenienter tempus per lineam rectam fluxu puncti continuo genitam repræsentari, ostendimus in Ontologia (*y*). Evicimus quoque notionem communem temporis, seu ea, quæ vulgo est, eandem imaginariam esse, qua utuntur Mathematici (*z*). Etsi enim vulgus æstimet tempus per horas, dies, menses, annum; non tamen recte hinc colligit *Neutonus*, quod vice veri temporis utatur mensura durationis per motum. Dies, menses, annos considerat tanquam partes temporis & motus solis, quæ inest, inæqualitatem ignorans, quem tanquam mensuram temporis respicit, tacite supponit tempus tanquam mensuratum a mensura diversum æquabiliter fluere. Acquiescit nimirum in notione confusa, quæ si ad distinctam revocetur, fluxum æquabilem omnino involvit. Nullum ad-

eo

(*y*) §. 581. 582. *Ontol.*
(*z*) §. 586. *Ontol.*

eo dubium est, quin temporis notio imaginaria eadem sit & vulgo, & Mathematicis, etsi ob ignorantiam motus solis irrepat error de dierum atque horarum æqualitate. Non vero quæstio est, num partes quædam temporis recte habeantur pro æqualibus, sed quamnam temporis notionem hæc divisio supponat. Sine acumine metaphysico facile confunduntur, quæ in Metaphysicis a se invicem separanda: confusio autem distinguendorum fallacia gignit judicia. Mathematico satisfacit notio imaginaria temporis, cum ipsi nullum sit negotium nisi cum ejus quantitate, prouti vel mensuranda, vel per eam ratio aliarum quantitatum determinanda. Sed ea non æque satisfacit Metaphysico, qui inquirere debet, quid sit tempus & quomodo confusa, quæ nobis est, notio animo ingeneretur: quorum prius in Ontologia, posterius in Psychologia rationali docuimus, ut adeo ibidem dicta hic denuo repetenda non sint. Quodsi notionem imaginariam temporis in Philosophiam inferas, abortus gignuntur imaginationis & in errores facilis

est lapsus. Exemplo nobis denuo est *Neutonus*, Mathematicus summus, qui Deum semper existendo durationem, hoc est, juxta ea, quæ modo diximus, tempus constituere asserit, quemadmodum ubique existendo spatium juxta ipsum constituit (*a*), immo unumquodque durationis indivisibile momentum ubique esse affirmat, quasi tempus per omne spatium diffundatur. Tempus adeo perinde ac spatium ad Deum refert, tanquam ejus attributum. Enimvero quæ paulo ante (§. 8.) de spatio, quod existendo ubique seu omnipræsentia divina constituatur, monuimus, ea quoque de tempore intelligenda sunt, quod existendo semper constituatur a Deo. Nullam sane habemus notionem modi, quo existendo semper constituatur tempus, adeoque verba hæc merito dicuntur sine mente sonus. Immo si ad distinctas notiones revocare coneris, quæ hic dicuntur, circulum vitiosum in iis latere deprehendet Logicæ peritus (*b*). Existere enim semper idem

(*a*) *Schol. gen. lib. 3. p. m. 528.*
(*b*) *§. 169. 170. Log.*

idem ſonat ac exiſtere omni tempore. Atque adeo ſi ſemper exiſtendo conſtituitur tempus, dicendum eſt exiſtendo omni tempore conſtitui tempus. Idem circulus latet in verbis, quod ſpatium conſtituatur ubiubique exiſtendo. Nam exiſtere ubique idem ſonat ac exiſtere in omnibus locis, ſeu omnibus ſpatii partibus. Quamobrem ſi exiſtendo ubique conſtituitur ſpatium, dicendum erit, ſpatium conſtitui exiſtendo in ſingulis ſpatii partibus. Ex notione reali temporis ſequitur (c), tempus non dari niſi exiſtentibus ſucceſſivis in continua ſerie, & hinc in Theologia naturali demonſtratur (d) quod Deus non ſit in tempore, nec æternitas Dei ſit tempus infinitum (e): quæ ſunt theſes Theologis ac ſanioribus quoque Philoſophis dudum probatæ. Et hoc pacto Deus a rebus creatis prorſus diſtinguitur, qui admiſſa ſpatii ac temporis notione imaginaria tanquam reali & ſpatio ac tempore inter attribu-

(c) §. 574. Ontol.
(d) §. 1014. part. 1.
(e) §. 1016. part. 1.

ta relato cum rebus creatis confunditur, quemadmodum jam monuit Anonymus quidam Gallus in exiguo Tractatu contra hypothesin *Neutonianam* de vacuo edito. Sed de hisce disertius differere nolo, ne videar aliis imputare consequentias molestas, de quibus nunquam cogitarunt: id quod a more meo semper fuit eritque alienum.

§. 10.

6. notione motus. Motus continua loci mutatio est. Quamobrem si notionem loci atque spatii imaginariam supponis, resolvitur quoque notio motus in notiones imaginarias spatii atque loci. Cumque omnis motus fiat in tempore, ubi notio temporis imaginaria supponitur, ea quoque resolvitur in notionem temporis imaginariam. Patet itaque, si notiones spatii, loci ac temporis nonnisi imaginarias supponis; ipsam quoque motus notionem non aliam, quam imaginariam esse posse. Mathematici in notionibus spatii, loci ac temporis imaginariis acquiescunt (§. 7. 8. 9). Iisdem igitur notio motus non alia est, quam imagina-

ginaria. Hinc *Neutonus* (*f*) motum absolutum, quem ipsius phrasi etiam dicere poteras, verum & mathematicum, definit per translationem corporis de loco absoluto in locum absolutum. Locus absolutus est pars spatii immobilis, hoc est, imaginarii (§. 5). Ergo tum corpus transfertur ex uno loco absoluto in locum absolutum alterum, ex una parte spatii immobilis seu imaginarii ipsum transferri imaginamur in partem ejusdem spatii aliam: quod fieri non posse, nisi per omnia loca intermedia, hoc est, omnes partes spatii intermedias transeat, ut successive in iisdem existat, phænomena docent, nec aliter imaginari licet. Est adeo continua loci mutatio, dum corpus de uno loco in alterum movetur, seu a termino uno ad alterum transfertur: id quod primum est, quod de motu observatur, ubi ad phænomena animum attendimus. Quoniam Mathematici in notionibus spatii, loci & temporis imaginariis acquiescere possunt, immo debent; ipsis quoque notio motus ima-

(*f*) *in Princip. schol. 4. def. 8.*

imaginaria abunde sufficit. Neque enim aliter circa eum versantur, quam quatenus quantitates eorum, quæ in motu distingui phænomena jubent, determinandæ. Observamus, dum corpus movetur, inter terminum, in quo incipit motus, & alterum, in quo is desinit, aliquam intercedere distantiam, quam linea metimur. Atque hinc nascitur notio spatii, quod corpus mobile percurrit. Motus cum non sit nisi sucessivus, in tempore fieri intelligitur, quoniam continua successio sine tempore concipi nequit. Atque adeo temporis quoque, quo motus absolvitur a termino uno ad alterum, habenda ratio est. Quodsi spatia, quæ mobilia eodem tempore percurrunt, inter se conferas, non eadem deprehenduntur semper: unde celeritatis nascitur notio, qua corpus aptum est ad datum spatium dato tempore percurrendum. Quoniam mobilia quantitate materiæ differunt, quæ pondere æstimatur, atque celeritate, qua materiæ ista quantitas per datum spatium dato tempore transfertur; ad hæc si animum attendimus, notio nasci-

ſcitur quantitatis motus. Et quia mobilia in motum concitata ſine motore externo progredi videmus, ideo concludimus principium aliquod motus corpori ineſſe debere. Id quod vim motricem appellamus, quam ex actionibus corporum aut, ſi mavis, effectibus inde reſultantibus pro celeritate ac materiæ quantitate diverſam eſſe diſcimus. Unde vis motricis notionem formamus. In motu adeo Mathematici conſiderant ſpatium, quod mobile percurrit; tempus, quo idem percurrit, quantitatem materiæ, quæ cum mobili movetur; celeritatem, qua movetur, & vim motricem, quæ mobili, ſuppoſita hac materiæ quantitate & ſuppoſito hoc celeritatis gradu, ineſt, conſequenter quæ ſufficit ad tantam materiæ quantitatem dato tempore per datum ſpatium transferendæ. Mathematicus vero hæc omnia non ſpectat niſi quoad quantitatem, quatenus ſcilicet menſuræ ſunt capaces. Quantitates adeo determinaturus, quæ phænomenis, hoc eſt, confuſe præceptis inſunt, non aliis opus habet notionibus quam ima-

imaginariis, quæ ſunt confuſe perceptorum. Enimvero cum in anterioribus oſtenderimus, notiones ſpatii, loci ac temporis imaginarias non ſatisfacere Philoſopho, qui qualitates rerum perpendit; eandem motus notionem, quam phænomena offerunt, quod ſcilicet ſit continua loci mutatio, in notiones reales ſpatii, loci ac temporis reſolvere tenetur, ut intelligatur, quid revera ſit motus, non qualis appareat. Conſtat veteres quosdam Philoſophos negaſſe, quod detur motus. Quodſi motus intelligatur, qualis apparet, & negetur, phænomenon iſtiusmodi dari in mundo materiali; abſurditas utique adeò manifeſta eſt, ut refutatione non indigeat, ſenſu errorem ſtatim refellente. Enimvero ſi negetur tale quid rebus ipſis non ineſſe, quale motus apparet, non magis hoc abſurdum dici poteſt, quam ſi *Carteſiani* negant colores, quales apparent ſeu ſenſu percipiuntur, corporibus inhærere. Cumque a me impetrare minime poſſim, ut aliis imputem abſurda, quamdiu eorum verba ſaniori quodam ſenſu explicari

pos-

poſſunt; nec videntur mihi antiqui Philoſophi adeo fuiſſe abſurdi, ut motui in numero phænomenorum non conceſſerint locum: quin potius motum dari negantes hoc ſibi voluisſe mihi videntur, quod motus, qualis ſenſu percipitur, non ſit realitas quædam rebus inexiſtens, ſed nonniſi imaginarium, quod ex confuſa perceptione eorum, quæ rebus inſunt, nec ſenſu diſtincte percipiuntur, reſultat, quemadmodum colores & aliæ qualitates ſenſibiles non ſunt realitates rebus inexiſtentes, ſed confuſa quadam harum perceptione oriuntur in anima. Neque alud famoſum illud *Zenonis* argumentum contra motus exiſtentiam inſinuare videtur, quo probare voluit, ſi daretur motus, Achillem velociſſimum teſtudinem tardiſſimam nunquam aſſecuturum, & quod *Joannes Keill* (g) his verbis proponit. Ponatur *Achillem* a teſtudine diſtare,, per quodvis ſpatium finitum, v. g.,, mille paſſuum atque eum centies ve-,, locius teſtudine moveri ſuppona-,,

 ,,mus.

(g) *in Introduct. ad veram Phyſicam lect. 6. p. m. 57.*

„mus. Ergo dum *Achilles* unum per-
„currit milliare, testudo milliaris par-
„tem unam centesimam conficiet, ad-
"eoque *Achilles* testudinem nondum
„est assecutus. Et rursus dum *Achil-*
„*les* partem illam milliaris centesimam
„conficit, testudo interim per millia-
„ris partem decem millesimam repta-
„bit, adeoque nec adhuc testudinem
„erit assecutus *Achilles*. Eodem mo-
„do dum *Achilles* partem illam millia-
„ris decem millesimam decurrit, te-
„studo per milliaris partem millione-
„simam promovebitur, adeoque nec
„adhuc testudinem attingere potest.
„Atque sic progredi licebit in infini-
„tum, nec unquam potest testudinem
„captare, sed semper erit aliqua inter *A-*
„*chillem* & testudinem distantia„. Vide-
tur enim *Zeno* hoc argumento tantum-
modo ostendere voluisse, si notiones
imaginariæ spatii, loci, motus habe-
antur pro realibus, exinde sequi, quæ
phænomenis repugnant, consequen-
ter hinc patere, quod reales non sint.
Et ita intellectum hoc argumentum
non solvitur per id, quod in Arith-
metica demonstretur, fractiones in
pro-

proportione geometrica continuo in infinitum decrescentes æquivalere simul numero cuidam finito, quemadmodum existimat *Keillius* (*h*). Si enim fractiones istæ spatii ac temporis partes designantes habeantur pro entitatibus veris in rerum natura ita existentibus, theorema Arithmeticæ infinitorum fallit, quod in infinita serie supponit terminum ultimum eumque nihilo æqualem, cum nulla entitas sit nihilum, nec, quod revera infinitum est, habeat finem. Omnes illi nodi Gordii, quorum plures in doctrina de motu occurrunt, ex eo sunt, quod imaginaria habeantur pro realibus: qua de re alio forsan loco rectius dicetur. Sufficit monuisse qua de caussa in Labyrinthum deducantur Philosophi, phænomenorum motus rationem reddituri.

§. 11.

Ex phænomenis colligitur, corporibus inesse vim quandam activam, sine qua actiones eorundem explicari nequeunt, nec hanc vim esse eandem con- *7. notiones virium motricium.*

(*h*) *loc. cit. pag. 58.*

constanter in eodem corpore, quippe dependentem a quantitate materiæ cohærentis & celeritate, qua eadem movetur. Constat similiter, iisdem corporibus inesse vim inertiæ, quæ dici solet, qua omni mutationi resistunt & in statu sive quietis, sive motus uniformiter in directum perseverant, nisi is a causa quadam extrinseca mutetur. Vis inertiæ cum omni corpori semper inesse deprehendatur, sive quiescat, sive moveatur, a *Neutono* (*i*) appellatur vis materiæ insita, quia quantitati materiæ proportionalis, & definitur per potentiam resistendi, qua corpus unumquodque, quantum in se est, perseverat in statu suo vel quiescendi vel movendi uniformiter in directum. Monet tamen ipse *Neutonus*, quod vis insita nomine significantissimo vis inertiæ dici possit, quemadmodum eandem vocavit *Keplerus*, quia per hanc vim fit, ut corpus omne de statu suo quiescendi vel movendi in directum difficulter deturbetur. Vi inertiæ opponit idem *Neutonus* (*k*) vim impressam,

(*i*) *In Princip. def. 3. lib. 1.*
(*k*) *l. c. def. 4.*

ſam, quam nonniſi pro actione in corpus exercita ad mutandum ejus ſtatum vel quieſcendi, vel movendi uniformiter in directum habet. Exiſtimat enim corpus vim inertiæ exercere ſolummodo in mutatione ſtatus ſui per vim aliam in ſe impreſſam facta, & exercitium illud ſub diverſo reſpectu eſſe & reſiſtentiam, & impetum: reſiſtentiam, quatenus corpus ad conſervandum ſtatum ſuum reluctatur vi impresſa; impetum, quatenus idem corpus vi reſiſtentis obſtaculi difficulter cedendo conatur ſtatum obſtaculi illius mutare. Vim enim impreſſam conſiſtère in actione ſola, neque poſt actionem permanere in corpore, cum hoc per ſolam vim inertiæ in ſtatu omni novo perſeveret. Notionem hanc vis non eſſe niſi imaginariam & ex notione imaginaria deduci, quæ de vi inertiæ & vi impreſſa docet *Neutonus*, facile intelligitur. Senſu percipimus, ſi corpus quieſcens movendum, ipſum reſiſtere actioni moventis, eamque reſiſtentiam eſſe majorem, vel minorem, prouti pondus corporis, conſequenter materiæ quantitas major, vel minor eſt.

est. Nec minus deprehendimus sensu, si corpus, quod movetur, ad quietem redigendum, aut celeritas, qua movetur, quomodocunque immutanda, ut vel major fiat, vel minor, idem mutationi huic resistere. Resistentia ista in utroque casu spectatur tanquam effectus, cujus aliqua esse debet causa. Fingitur adeo aliquid materiæ inexistens, quod resistentiam istam, qua corpus mutationi status omni reluctatur, ob quandam similitudinem, quæ in conflictu duorum corporum & duorum hominum notatur, ut per imaginem quandam vim corporis nobis repræsentare valeamus, quæ in eos non incurrit. Hæc igitur vis notio nonnisi imaginaria est (*l*). Satisfacit ea Mathematico, qui nonnisi quantitatem ejus considerat, parum sollicitus, qualis sit. Enimvero si Philosophus imaginariam hanc entitatem pro reali habet eamque tanquam causam considerat, per quam explicari potest resistentia corporum, qua reluctantur status mutationi; qualitatem occultam in Philo-

(*l*) *§. 110. Ontol.*

Philoſophiam introducit, & ſi porro ex hac imaginaria notione de viribus ratiocinatur, in errores incidit & in Labyrinthum deducitur, dumque ſibi ſapere videtur, dat ſine mente ſonos. Quod ſi enim quæritur, undenam ſit illa vis materiæ, & quia ex notione materiæ deduci eam non poſſe agnoſcit, a Deo in prima rerum creatione eidem eam impreſſam ſtatuit, non modo dat ſine mente ſonos, cum nullam habeat ejus notionem, ſiquidem ea ſpectatur tanquam entitas quædam a materia diverſa eidemque ſuperaddita, neque etiam ulla ipſi ſit notio impreſſionis ejusdem; verum etiam errat, quia ex principiis coſmologicis demonſtrari poteſt, iſtiusmodi entitatem, quæ in gratiam phænomenorum explicandorum fingitur, rebus exiſtentibus minime ineſſe, & ex Theologia naturali patet, Deum non creaſſe materiam & eidem vim impreſſiſſe: alia enim longe eſt creationis ratio, ſi ex notionibus realibus tanquam ex primis ſuis principiis deducitur, quemadmodum non ignorat, qui Theologiæ noſtræ naturalis

utrum-

utrumque Tomum attenta mente & ſufficiente acumine perveſtigavit. Vis illa, quamdiu in ſenſu perceptis acquieſcis, ſpectatur otioſa, dum corpus quieſcit, exercetur vero, dum aliud corpus in motu conſtitutum in ipſum incurrit aut vim ad idem movendum adhibet, adeoque tum reſiſtit corpus. Quodſi jam quæris, quomodo corpus vim iſtam exerceat, & quomodo ad eam exercendam determinetur; Philoſophi utique eſt reddere utriusque rationem, adeoque per ea, quæ inſunt corporis & vis notioni, intelligibili modo explicare, quomodo utrumque fiat: ſed quam parum huc faciat corporis ac vis eidem inſitæ notio reipſa experieris. Nodos deprehendes inſolubiles, niſi tibi quidlibet fingendi poteſtatem arrogare velis, quemadmodum faciunt, qui Philoſophi videri volunt, ſed non ſunt. An materiæ tribues appetitum ſe in ſtatu ſuo conſervandi? An tribues facultatem ſentiendi, qua percipit conatum alterius corporis ſe a ſtatu ſuo deturbandi? An facultatem determinandi vim ad reſiſtendum, ſeu in genere ad agendum.

dum? Ubi hoc facis, nonne eo ipſo fingis materiam inſtar hominis ex corpore & anima conſtantis, aut in Materialismum incidis? Nonne vim materiæ inſitam pro ſubſtantia habes, in quam phyſice influit ſubſtantia alia, nimirum materia? Et nonne in Materialialismo, qui materiam facit ſubjectum perceptionis & appetitionis, tacite admittis aliud in corpore ſubjectum, cui ineſt iſta percipiendi & appetendi facultas? Ut adeo corpus conſtet ex tribus ſubſtantiis a ſe invicem diverſis, quæ in ſe mutuo phyſice influunt, conſequenter modo nobis incomprehenſibili in ſe invicem agunt. Quodſi his figmentis concedas locum, nova oritur difficultas. Status corporis, quem vis inſita ſeu inertiæ tuetur adverſus corpora alia, duplex eſt, quietis ſcilicet ac motus uniformis in directum. Quando igitur corpus quieſcit, appetitus fertur in quietem; quando autem movetur, in motum eumque talem, qualis in præſenti eſt, non in alium, qui ſit alterius celeritatis aliamque habeat directionem. Quænam igitur ratio eſt, cur amet quietem,

dum quiescit; cur motum, dum movetur; cur motum tardum, tum tarde movetur; cur celerem, dum celeri fertur; cur motum in septentrionem, dum versus hanc plagam movetur; cur vero motum in meridiem, dum in hanc plagam is dirigitur? Anne putas hæc explicari posse per instinctum naturalem, mutuando terminum ex Philosophia Scholastica, qui multo majore jure hic nihil significare dicendus est, quam quando ab ipsis de animantibus brutis usurpatur? Ipse tandem fateri cogeris, te dare sine mente sonos, quod exitum ex Labyrintho, quem ingressus es, nullum reperire possis. Quodsi existimes sufficere, ut quærenti respondeas, naturam operari more nobis prorsus incognito, cujus nos nullam habeamus ideam; lubens concedo, te nullam modi, quo natura operatur, ideam habere. Quis vero tibi persuasit, istiusmodi entitatem, qua corpus conatur statum suum conservare, corporibus inesse, prouti apparet, seu phænomena loquuntur, cum in dubium revocari nequeat, quod, quæ sola intellectus vi

vi dignoſcenda ſunt, ſenſu diſcernere velle æque abſurdum ſit, ac auribus velle videre colores? Quæ ſenſui impervia ſunt, ea vi intellectus perveſtiganda, reſolvendo notiones confuſas, quas ille offert, in diſtinctas: quod ubi a te præſtari nequit, fatendum eſt te ignorare, quænam ſit phænomeni cauſa & quænam ea ſint, quorum confuſione in unum naſcitur confuſa notio ſeu phænomeni perceptio, non vero nimia in ſeipſum fiducia concludendum, notionem confuſam eſſe primitivam, adeoque in ſe irreſolubilem in alias ſimpliciores, & phænomenon eſſe reale quid rebus ipſis inexiſtens. Multo minus Philoſophi eſt redire ad battologiam Scholæ, ut entitas, quæ phænomenon fingitur, habeatur pro cauſa phænomeni, hoc eſt, phænomenon pro cauſa ſui ipſius, quemadmodum verbi cauſa faciunt, qui gravitatem habent pro vi primitiva corpori impreſſa a Deo in prima rerum creatione & inde rationem reddunt, cur gravia ſint, qualitatum occultarum Patroni. Quodſi notionem vis impreſſæ imaginariam, hoc eſt, eam,

quæ ex phænomenis deducitur, pro reali habeas; nodos nectis eadem usurus ad explicanda phænomena multo plures irresolubiles & in Labyrinthum multo majorem incidis, ex quo difficilius quæritur egressus, qui nullus datur. Sed nolo hisce diutius immorari, cum abunde pateat per jam dicta, notionem virium, quæ Mathematicis sufficit ad earum quantitatem pervestigandum, non satisfacere, sed nulli prorsus usui esse Philosopho, cujus est rationem reddere eorum, quæ sunt adeoque per ea, quæ corpori inesse intelliguntur, intelligibili modo explicare, cur insint.

§. 12.

8. notione virium particularium veluti gravitatis & virium centralium.

Gravia tendere ad centrum terræ phænomena docent. Si nullum adsit obstaculum, quod motum impedit, motu continuo accelerato actu descendunt; si vero tale adsit, nonnisi nisus quidam gravi inest, & gravitate premuntur corpora gravi subjecta. Mathematicus acquiescit in phænomenis & gravitatem sibi imaginatur tanquam ens quoddam, quod continuo urget materiam, ex qua corpus con-

constat, seu quæ eidem quomodocunque cohæret, ad descensum. Et hæc imaginaria notio ipsi sufficit ad motum gravium determinandum tum in hypothesi naturæ, tum in aliis possibilibus pro arbitrio assumtis. Quodsi vero eandem notionem transferas in Philosophiam, denuo nihil agis, & ubi quod apparet pro reali sumis, quæstiones extemplo irresolubiles emergunt complures. Quodsi enim quæras, quænam sit ratio, cur gravia ad centrum terræ tendant, directionis hujus nullam dare vales rationem ex iis, quæ corpori insunt. Si porro quæsiveris, cur hac potius gravi cadenti insit celeritas, quam primum motus gignitur; denuo obmutescis. Si præterea quæsiveris, quomodo hæc vis, quæ materiæ insita, producat motum; nec hic respondere vales, quæ intelligi possunt. Neque sufficit dicere, quod gravitas agat modo nobis prorsus incomprehensibili. Ex eo enim, quod eum ignoras, non sequitur, eum in se non esse intelligibili modo explicabilem. Fatendum potius te nescire, quomodo in rerum natura gravia efficiantur corpo-

ra, & agnoſcendum, te nonniſi imaginariam habere notionem, ubi gravitatem tibi repræſentans tanquam entitatem quandam materiæ impresſam, cujus actione producatur gravium motus. Nullum eſt dubium, gravia in aliis planetis ad centrum ſuorum planetarum tendere. Quænam igitur ratio eſt, cur alia materia tendat ad centrum terræ, alia ad centrum Lunæ, alia ad centrum alterius cujusdam planetæ? Si gravitas vis quædam primitiva eſt materiæ in prima rerum origine impreſſa, cujus nulla datur cauſa naturalis, per quam intelligibili modo explicari poteſt; nil etiam hic habes, quod reſpondeas. Si nutum Numinis allegas pro ratione, rationem nullam eſſe abunde conſtat ex iis, quæ de voluntate Dei demonſtravimus in Theologia naturali, nec magis es Philoſophus, quam qui Jovem tonare, Jovem pluere dicit, ubi docere debet, quomodo tonitru, quomodo pluvia gignatur. Taceo, quod, quando de impresſione virium loquimur, notionem ejus nonniſi imaginariam habeamus, quæ a phænomenis derivatur, quatenus

nus verbi gratia videmus corpus perpendiculariter projectum recta sursum ascendere contra naturalem impetum, quo fertur deorsum, aut globum, qui quiescit, digito vel baculo impulsum in plano motu rectilineo progredi. Qui novit differentiam inter cognitionem vulgarem & philosophicam, satis intelligit se nihil adhuc intelligere, ubi in sensu perceptis acquiescit, eorum quæ ad Philosophiam spectant, etsi ultra progrediendum non sit, ut ad cognitionem mathematicam perveniat. Eodem modo sese res habet cum vi centripeta, qua Planetæ primarii a motu rectilineo continuo retrahuntur in centrum solis & in orbita sua retinentur. Mathematicos, quando in quantitatem virium harum centripetarum inquirunt, in notione imaginaria acquiescere, vel exinde intelligitur, quod resolvatur in notionem vis in genere, quam nonnisi imaginariam ipsis esse ante ostendimus (§. 11.), & quod cum gravitate tanquam species sub eodem genere continetur, cujus gravitatis notionem Mathematicis nonnisi imaginariam es-

ſe per modo dicta conſtat. Notionem autem, quæ in imaginariam reſolvitur, imaginariam eſſe & ipſam dubitari nequit. Nec minus patet, notionem, quæ eodem modo formatur, quo notio imaginaria unius ſpeciei, imaginariam quoque eſſe debere. Idem autem tanto evidentius intelligitur, ſi ad modum animum attendis, quo Mathematicis vis centripeta Planetarum innotuit. Repererat *Galilæus* globum ex tormento exploſum in vacuo parabolam deſcribere debere, quod vi a pulvere pyrio accenſo impreſſa continuo progrediatur, vi gravitatis vero continuo in progreſſu verſus centrum Terræ urgeatur, ſeu a motu rectilineo retrahatur. Suſpicabatur *Hevelius* in Cometographia, planetas primarios moveri circa Solem, dum vi impreſſa continuo progrediuntur & vi gravitatis in centrum Solis continuo retrahuntur: id quod mox audacior aſſerebat *Robertus Hooke*, Anglus, etſi demonſtrare non poſſet, duplici hac vi indeſinenter agente prodire orbitas ellipticas *Keplerianas*, cum in Geometria ſublimiori non eos feciſſet progreſſus,

ut

ut demonstrationi sufficeret, quam demum dedit *Neutonus* in Principiis. Vides hinc Mathematicos vires, qua moventur Planetæ in orbitis suis, concipere ad instar virium, quibus projectilia in parabolis moventur. Quamobrem cum in notionibus imaginariis acquiescant, dum in motum projectilium inquirunt; in imaginariis quoque subsistunt, dum motum planetarum in orbitis suis determinant. Parum ipsi solliciti sunt, quænam sit causa, cur Planetis insint duplices istæ vires. Immo si fictionibus juvent imaginationem, ut facilior conservetur attentio, ipsorum instituto id ipsum minime contrariatur. Imaginare tibi spatium aliquod vacuum, in quo sit Sol, quem sub puncto quodam lucido tibi repræsentas. Imaginare tibi porro planetam instar globi tormentarii, qui ex tormento exploditur, & nullius sit gravitatis. Finge porro puncto isti lucido, sub quo tibi solem repræsentas, inesse vim attractivam, qua Planetam gravitatis expertem continuo retrahit a linea recta, qua motu sibi impresso progredi nititur. Hæ fictiones

ones omnes minime obstabunt, quo calculos tuos ad determinandum motum planetarum requisitos rite instituas, modo non sumas, quæ phænomenis repugnant, ubi ratiocinandum. Fictiones autem istæ, quæ non nocent Mathematico in suis meditationibus, sed potius adjumento sunt, nil prosunt Philosopho, quando rationes phænomenorum reddere debet: neque enim ipsi licet fingere causas pro arbitrio, nec iisdem attribuere potest, quæ cur insint ex aliis inexistentibus ostendere nequit. Non lubet plura addere in re manifesta, adeoque mitto vires attractrices, quas centripetis accenset *Neutonus* (*m*), earumque actiones in distans, qualis est vis attractrix magnetis, mitto alias, quæ idem in eundem censum refert. Ex antecedentibus notiones imaginarias, quæ in foro mathematico usui sunt, facile agnoscet atque a realibus distinguet, qui cognitionis philosophicæ distinctam habet notionem. Quodsi Philosophus sumat vim impressam Planetis & vim centripetam seu attractionem

(*m*) *in Princip. def. 5. lib. 1.*

nem Solis tanquam realem; extemplo emergunt quæstiones, ad quas respondere nequit, & in Labyrinthum incidit, e quo nullus patet egressus. Quodsi enim quæris, quinam impresserit motum rectilineum planetis & quomodo fuerit impressus; nil respondere potes, quod satisfacit Philosopho. Si enim respondes, Deum hoc fecisse in prima rerum creatione modo nobis prorsus incognito vi omnipotentiæ suæ. Philosophus in hac responsione acquiescere nequit, qui nihil adventitii rebus creatis inesse contendit, nisi quod per alia, quæ per essentiam eidem insunt, intelligibili modo explicari possit, cur insit, nec omnipotentiæ divinæ tribui posse agnoscit, nisi quod per essentiam & naturam rerum concipitur possibile, quodque adeo in se intelligibili modo explicabile. Quodsi porro quæsiveris, cur, seu qua de causa Planetæ primarii gravitent in solem; denuo nil respondere vales, quod satisfacit Philosopho. Si enim respondes, Deum impressisse Planetis gravitatem eamque consideras tanquam vim primitivam; Philosopho mi-

minime satisfacis. Gravitas enim, quæ vis primitiva habetur & pro causa motus versus centrum Solis allegatur, qualitas occulta est, cui dudum nuncium miserunt, qui recte philosophantur, & de impressione ejusdem a Deo facta eadem tenenda sunt, quæ modo de impressione motus rectilinei monuimus. Quodsi Soli tribuere malis vim attractivam, qua continuo Planetas versus centrum suum trahit, magneticæ similem, qua magnes ad se trahit ferrum; qualitatem non modo occultam denuo fingis, verum etiam actionem in distans admittere teneris, a sanioribus Philosophis merito explosam. Quodsi præterea quæras, cur Planetæ hanc potius gravitationis legem observent, quam aliam, denuo confiteri debes ex notione vis centripetæ imaginaria, quæ Mathematicis est, rationem nullam dari posse, adeoque ad voluntatem Numinis tanquam ad sacram anchoram confugiendum: id quod causam desperatam indicat, fatentibus omnibus, qui distinctas in Philosophia prima & Theologia naturali notiones fuerunt consecuti. Abunde igitur liquet,

quet, notionem imaginariam virium centripetarum, quæ Mathematicis satisfacit, nullius usui esse in Philosophia, nisi quando phænomena per phænomena, a quibus ista pendent, explicare licet: de quo mox plura dicemus.

§. 13.

Mathematicis infinitum & interminatum seu illimitatum synonyma sunt. *9. notiones infiniti.* Numerum adeo infinitum gigni imaginantur additione unitatis aut numeri minoris nunquam terminanda: & magnitudinem infinitam oriri fingunt extenso undiquaque sine termino producto. Notioni huic imaginariæ non respondere nisi modum loquendi ostendimus in Metaphysicis (*n*). Quodsi vero infinitudinem Mathematicorum habeas pro realitate quadam, quemadmodum faciunt, qui spatium imaginarium pro ente reali & absoluto venditant; multa sequuntur absurda, quæ tanquam vera tolerantur in Mathesi, ubi fictionibus locus est, veluti quod unum infinitum majus esse possit altero & unum infinitum ad alterum rationem habeat finitam. Ita infiniti globi

(*n*) *§. 805. Ontol.*

bi spatium replere debent infinitum. Quodsi jam ponas infinitos globos alios, qui singuli sunt dupli globorum spatium istud infinitum replentes, hos adimplere spatium infinitum illius duplum patet. Enimuero si vel imaginari velis duo spatia infinita, quorum unum est alterius duplum; id fieri non posse deprehendis, nisi minus tibi repræsentes ut terminatum, cujus adeo duplum itidem terminatum esse debet. Notio adeo imaginaria te conjicit in manifestam contradictionem, etiamsi qui confundis imaginaria cum realibus in iis, quæ imaginari potes, acquiescere velis & primitiva imaginabilia esse tibi persuadeas. Non jam urgeo, quod alibi (o) jam annotavimus, quod ipsa suppositio continuationis in infinitum principium petat. Neque etiam jam porro mentionem facere libet notionis imaginariæ infinities infiniti, quæ Mathematicis est, ex notione imaginaria infiniti, de qua modo diximus, derivata, cum enim hanc suppo-
nat

(o) *not. §. 799. Ontol.*

nat, quod pro reali haberi nequeat ultro patet. Quin potius quædam nobis adhuc monenda sunt de infinite parvo Mathematicorum. Infinite parvum Mathematici oriri sibi imaginantur ex divisione continui nunquam terminanda. Involvit adeo notionem numeri infiniti, quatenus repetitio actuum divisionis numerum continet. Etenim si quæris, quoties continuanda sit divisio partium in continuo, seu repetenda, donec perveniatur ad partem infinite parvam, nonnisi infinito numero hoc exprimi posse sumitur, quolibet numero finito seu assignabili non sufficiente. Inde est, quod quantitates infinite parvæ nullam habere possint rationem ad finitas, quarum partes infinite parvæ sunt. Infiniti numeri notio cum non sit nisi imaginaria & extensum, in quo continuum primario inesse statuitur, non minus imaginaria notione repræsentetur, quemadmodum ex antecedentibus liquet; vel ex hoc ipso intelligitur, notionem infinite parvorum, quæ Geometris est, nonnisi imaginariam, consequenter infinite parva entia actu

in

in rerum natura existentia minime esse. Quodsi vero notionem infinite parvorum pro reali habeas, cum Philosophia naturalis tricis inutilibus involvitur, tum & ipse in Labyrinthum de divisione continui incidis. Hinc porro patet, quid sentiendum sit de divisione infinite parvorum infinita eorumque subdivisionibus in infinitum continuandis, unde diversi emergunt infinite parvorum gradus. Enimvero quod quantitates infinite parvæ Mathematicorum non sint veræ quantitates, sed saltem imaginariæ, dudum alibi (*p*) ostendimus, & cur quæ de infinite parvis eorumque diversis ordinibus demonstrant Mathematici sint toleranter veræ exposuimus, qualisque sit modus loquendi docuimus (*q*). Non igitur hic repetimus, quæ ibi legi possunt. Realem infiniti notionem, cujus eximius usus est in Theologia naturali, quoties de infinitudine Dei incidit quæstio, in Philosophia prima dedimus (*r*). Nulli autem

(*p*) *§. 804. 813. Ontol.*
(*q*) *§. 817. & seqq. Ontol.*
(*r*) *§. 838. Ontol.*

autem usui deprehendes infiniti notionem imaginariam, immo ea potius nocet, quatenus incautos deducit in errores eosque haud raro nocuos.

§. 14.

Vidimus Mathematicos sumere notiones imaginarias tanquam primas, ex quibus deinde ceteras deducunt, & quas ad reales reducere debet Metaphysicus, ne phænomena confundantur cum realitatibus, seu quod apparet habeatur pro eo, quod est. Hinc patet, notiones metaphysicas non posse desumi ex Scriptis mathematicorum. Vidimus *Neutonum* in Principiis explicasse notionem spatii, loci, temporis, motus, virium motricium tam in genere, quam quarundam in particulari, quatenus faciunt ad cognitionem naturæ mathematicam, motus præsertim Planetarum. Pessime autem sibi ac scientiæ consuleret, qui illas notiones in Metaphysicam inferre vellet. Similiter vidimus, Geometras quandam habere notionem corporis & divisionis continui in infinitum. Sed pessime quoque sibi ac scien- *An notiones metaphysicas ex Mathesi petere liceat.*

tiæ consulit, qui hasce notiones in philosophiam naturalem infert, & corpus in genere sibi repræsentat instar corporis mathematici, atque corpora majora componit ex corpusculis tandem mathematicis, immo istiusmodi divisionem in infinitum admittit in natura rerum, qualem sumit in Geometria Mathematicus. Etsi summum sit Geometrarum acumen, quo alios eruditos vincunt, non tamen ideo ipsorum acumen extendendum est ultra suos terminos. Notiones primæ Mathematicorum, quas sumunt & ultra quas non progrediuntur, imaginariæ sunt, quæ confusis sensuum perceptionibus totæ debentur. Ipsorum adeo acumen in sensu perceptis terminatur. Quamobrem ubi ulterius progrediendum & confuse percepta ad notiones distinctas reducenda; acumen Mathematici non sufficit, sed alio acumine opus habet Metaphysicus, de quo non cogitat Mathematicus.

§. 15.

An Mathematicus qua Ma-

Hinc porro conficitur, Mathematicum, quatenus Mathematicus est, non

non ſimul eſſe Metaphyſicum, conſequenter ideo neminem pro Metaphyſico haberi poſſe, quia Mathematicus eſt, multo minus pro Metaphyſico ſummo, quia Mathematicus ſummus habetur. Quodſi adeo quis notiones imaginarias, quæ Mathematicorum ſunt, pro realibus habet, ac propterea ſibi aliisque perſuadere conatur, eas eſſe veriores, quia videt Mathematico, qui omnium ore ſummus celebratur & cujus acumen admirantur omnes, iſtas notiones probari; is totus fallitur turpiterque errat. Quamobrem ubi eundem ea de cauſa ſupra omnes Metaphyſicos extollit, quemadmodum is ſupra omnes Mathematicos extolli ſolet; Metaphyſicorum Principem agnoſcit, qui nullus eſt, nec minimum inter eos locum meretur. Nihil vero idcirco detrahitur laudi Mathematici, quod nullum ſit ipſius inter Metaphyſicos nomen, cum Mathematicus notionibus metaphyſicis carere poſſit, imaginariis inſtituto ipſius ſatis facientibus: Sicuti ex adverſo nihil decedit laudi Metaphyſici, ſi idem Mathematicus non ſit, cum

thematicus ſit etiam Metaphyſicus.

notiones imaginariæ Mathematicorum ipsi nulli sint usui, sed scientiam potius labefactent, ubi iisdem uti voluerit. Immo si quis vano ausu, cum sit Metaphysicæ verioris ignarus, nec differentiam inter cognitionem philosophicam & mathematicam habeat perspectam, Mathematicum in foro suo eminentem eminenti inter Metaphysicos loco collocat notiones imaginarias, quibus in Mathesi recte utitur, pro realibus obtrudens; famam ejus potius minuit, dum Mathematum imperiti meritis ejus pretium ex metaphysicis decernunt, in quibus nulla sunt, immo nomen ipsius penes eos, qui mathemata parum curant, in contemtum adducit. Intempestivæ laudes, quæ ab imperitis proficiscuntur, famam, quam quis meretur, non augent, sed imminuunt. Etenim in caussa sunt, ut multorum ludibrio exponatur, qui laude sua frui poterat. Eodem modo contingit, ut famæ suæ noceat, qui, cum in aliquo scientiarum genere excellat, nimia in acumen suum fiducia de rebus ad se minime pertinentibus judicium sibi sumit. Ne-

mo

mo laudem meretur in eo ſcientiarum genere, in quo nihil præclari dedit, aut quod prorſus non attigit, etſi ſumma ipſi debeatur in alio. Et ſi quis importune ſe ingerit alienis, de eo valet, quod vulgo dicitur: Philoſophus manſiſſet, ſi tacuiſſet. Nemo judicat, utrum hac vel iſta laude dignus ſis, nec ne, niſi quando vel intempeſtivis laudibus extolleris ab imperitis aut adulatoribus, vel ipſemet parum opportuna loqueris. Mihi merita virorum in ſuo genere magnorum cariora ſunt, quam ut laudibus, quæ in eos parum conveniunt, famam ipſorum in periculum adducam. Non tamen immeritis laudibus applaudendo ita aliorum famæ proſpiciendum exiſtimo, ut ipſorum autoritate ſcientia patiatur aliquod detrimentum. Juſtitia, quæ ſuum cuique tribui vult, ſuam quoque cuique laudem tribui jubet, non alienam, & naturæ lege, quæ nobis hanc in laudandis aliis juſtitiam injungit, ad veritatem quoque tuendam & obſtacula, quæ eidem propagandæ objiciuntur, removenda nos obligat. Ego ſemper doleo, quoties viros in ſuo

genere magnos alienis laudibus ab adulatoribus vel imperitis exornari video, quod famæ illorum maculam quandam etsi immeritam inurunt, cum perpauci sint, qui suam cuique laudem tribuere didicerunt. Quamobrem nec probo, si quis Metaphysicum laudat eum, qui Mathematicus vel Geometra magno suo merito celebratur, inter Metaphysicos vero nomen nullum habet. Magnum enim erit per omne ævum nomen ejus, quod inter Mathematicos adeptus, etiamsi nullum sit inter Metaphysicos, quemadmodum perpetuo celebrabitur nomen ejus, qui in hoc scientiarum genere se virum præstitit, etiamsi inter Mathematicos eminere non studuerit.

§. 16.

An Mathesis nil conferat ad Metaphysicam excolendam.

Etsi autem notiones imaginarias Geometrarum in Metaphysicam transferre minime liceat, realia cum imaginariis confundendo (§. 14.); non tamen ideo negatur, Mathesin ad Metaphysicam excolendam ulli prorsus esse adjumento: contrarium enim jam monuimus alibi (*s*), scilicet quod illa uti

(*s*) *Tom. V. Elem. Mathes.* §. 340.

uti possimus ad distinctas & fœcundas in Philosophia prima notiones venandas, & uno alteroque exemplo fidem oculatam dedimus. Ingenue confiteor, me Philosophiam primam eo, quo comparuit, habitu nunquam fuisse daturum, nisi Mathesis mihi suppetias tulisset. Absit autem, ut tibi persuadeas, hæc sibi invicem repugnare. Modo intelligas modum, quomodo Mathesis serviat notionibus distinctis & fœcundis in Philosophia prima venandis, ne umbra quidem contradictionis animo tuo amplius obversabitur. Philosophia prima agit de ente in genere, & figuræ ac numeri, de quibus agit Mathesis, in numero etiam entium sunt & instar entium aliorum concipiuntur. Quamobrem quæ de ente in genere concipi possunt ac debent, entibus quoque mathematicis insunt. Constituunt adeo entia mathematica quandam entium speciem, quæ instar aliarum specierum enti in universali spectato tanquam generi suo substant, quocunque tandem nomine hæc entia ab aliis distinguere velis. A speciebus abstrahi posse notionem ge-

neris, nemo dubitat, & quomodo hoc fieri possit, docuimus in Logica (*t*). Tanto autem facilius hoc succedit, quod notiones entium mathematicorum sint non modo distinctæ, verum etiam determinatæ & ea, quæ iisdem insunt, ipsis oculis exhibeant spectanda, nec præterea alia: quo in casu facillimam esse notionum generalium abstractionem, nemo nisi inexpertus negabit. Ingenio equidem hic opus est & acumine quodam acquisito, quod acumen pervidendi abstracta in concretis appellare soleo (*u*); non tamen nobis in præsenti sermo est de dotibus animi ad notiones ontologicas fœcundas ab entibus mathematicis abstrahendas requisitis, nec disquirimus, num hasce notiones venari in Mathesi facile sit; sed tantummodo rationem reddere voluimus, cur hoc fieri possit, & cur inde notio entis in genere distincta & fœcunda facilius abstrahi possit quam ab entibus aliis ab eo, qui in notionibus abstrahendis exer-

(*t*) *§. 710.*
(*u*) *Not. §. 490. Ontol. Conf. not. §. 450. Ontol.*

exercitatus est. Aliud utique est ab entibus mathematicis, quatenus tanquam species quædam enti in genere tanquam suo generi substant, notiones fœcundas de ente in genere abstrahere, aliud vero est notiones imaginarias, quas phænomenis confisus sumit, nec confuse percepta ad notiones distinctas revocando in reales convertere jubet ipsius institutum, in Philosophiam primam inferre ibidemque pro realibus venditare. Habet quoque Mathesis insignem usum in notionibus metaphysicis illustrandis, ubi jam inventas alteri claras reddere volueris, ut ab eodem intelligantur, quoniam ex eadem ratione earum applicatio facilior & clarior, quam ad alia exempla, ob quam paulo ante abstractionem faciliorem diximus. Nemo autem miretur, quod notionem distinctam illustratione per exempla clariorem reddi dicamus, propterea quod notio distincta sub clara tanquam species contineatur, atque ideo jam clara sit, quia distincta. Hæc enim utique vera sunt, si notio in se consideretur, citra respectum ad cognoscen-

 tem.

tem. Quoniam vero distincta notio ideo clara intelligitur, quatenus claras habes notiones notarum illam ingredientes; intellecturus notionem distinctam ab alio inventam hisce notarum notionibus claris destitui potest, adeoque distincta notio clara ipsi non est, sed exemplis demum illustrata clara redditur. De aliis usibus Matheseos in Philosophia prima non est quod dicamus, cum tractatio hæc non sit hujus loci.

§. 17.

An notiones imaginariæ prorsus eliminandæ ex Philosophia.

Quamvis autem notiones imaginarias ex Mathesi in Metaphysicam non transferendas esse contendamus, ubi explicandum, quid sint res, quibus eædem respondent, veluti quid sit spatium, quid locus, quid vis motrix; non tamen eas ex Philosophia prorsus præscribi volumus, sed eas admittimus, ubi phænomena per phænomena explicanda, hoc est, phænomeni unius ratio reddenda ex alio, a quo pendet. Sane in Philosophia naturali multa sumere tenemur, quæ confuse saltem percipimus, nec ex primis principiis demonstrare a priori valemus,

mus, ut alia inde demonſtrentur: qui mos minime reprehendendus, ſed potius laudandus & commendandus. Ita enim ad certam ac utilem rerum naturalium cognitionem pervenitur, cum ex adverſo Phyſici, qui commentitia quædam principia ſumunt & exinde phænomenorum rationes reddere conantur, ſterilia proferant & ut plurimum nugentur. Neque hoc inſtitutum abhorret a more Mathematicorum. Exemplo nobis ſunt Aſtronomi, qui phænomena motus communis explicaturi & ad calculos revocaturi, notionem imaginariam mundi, quaſi ſit ſphæra, cujus ſuperficiei ſtellæ ſunt affixæ & quæ circa Tellurem in centro ejus collocatam motu æquabili ab oriente in occidentem circumvertitur, in partem Aſtronomiæ ſphæricam admittunt, etſi norint eandem nonniſi imaginariam eſſe, quod vero ita apparet, longe aliter ſeſe habere in rerum natura. Aſt ubi quæritur, qualis ſit mundus, quomodo ex corporibus totalibus componatur, quænam horum quieſcant, quænam circa alia moveantur, notionem iſtam imaginariam miſſam faciunt,

ciunt, & ad realem confugiunt, huicque, non isti in parte Theorica faciunt locum. Similiter ubi quæritur, cur Sol oriatur, cur occidat, cur continuo situm suum respectu fixi cujusdam in superficie Terræ puncti mutet; non rationem ex notione mundi imaginaria reddunt, sed ad realem confugiunt. Aliud vero longe est ex notione imaginaria rationem reddere phænomeni, quod a phænomeno isti respondente dependet; aliud vero est notionem imaginariam habere pro reali & ex ea rationem reddere velle eorum, quæ a reali pendent, nec sine hac concipiuntur. Etenim ubi phænomeni ex alio phænomeno redditur ratio, quorum hoc ab isto pendet; non aliud quæritur, quam cur hoc ita appareat, & id ipsum intelligitur seu quæstioni satisfactum, ubi constat, hoc ita apparere debere, quia illud tale apparet. Enimvero ubi ratio quæritur phænomeni, quæ ab alio minime dependet; quæstio huc reddit, quænam insint rebus existentibus, ob quæ hoc ita apparere debeat. Demes exemplum aliquod, ne quid in dictis relinquatur obscuri.

Corpus,

Corpus, quatenus confuſe percipitur, extenſum apparet. Ab hac extenſione pendent alia, quæ percipiuntur, veluti quod ſit diviſibile, quod diverſas recipere poſſit figuras. Quando igitur quæritur, cur diviſibile ſit, cur diverſas induere poſſit figuras, ex notione extenſionis imaginaria rationem reddimus phænomenon unum ex phænomeno alio, a quo pendet, explicantes. Enimvero ubi quæritur quid ſit extenſio & quænam ſit ratio, cur corpora extenſa appareant; in hac notione non ſubſiſtendum, ſed ex iis, quæ corporibus revera inſunt, ſeu ex iis, per quæ conſtituuntur, reddenda ratio eſt. Habent adeo uſum ſuum notiones imaginariæ, ubi iis explicandis ſufficiunt, quorum ratio expetitur: aſt ideo non probandum, quod pro realitatibus venditentur phænomena, ubi de fonte eorum quæſtio eſt. Quemadmodum in demonſtrationibus geometricis non recurrimus ſemper ad definitiones, ſed in theorematis inde demonſtratis ſubſiſtimus; ita quoque in explicandis phænomenis non ſemper recurrendum ad eorum fontem,

ſed

ſed ſubſiſtendum in iis, quæ ex iſto derivantur. Et quia multa nobis phænomena innoteſcunt a poſteriori, quæ a priori ex eorum fonte deducere minime poſſumus; ſufficit, quod certum ſit, ea inde deduci poſſe: quemadmodum ſi quis novit veritatem aliquam geometricam ex definitionibus deduci poſſe, etſi ipſemet eo uſque demonſtrationes continuare nequeat, eadem nemine reprehendente utitur ad demonſtrandas alias veritates, quæ inde pendent. Qui methodum demonſtrativam intimius perſpexit, & facultatum animæ limites cognitos habet, ei non paradoxa videbuntur, quæ aſſerimus. Multo minus autem negotium faceſſent modo dicta ei, cui differentia inter mundum ſenſibilem & intelligibilem innotuit (x).

§. 18.

An uſus notionum imaginariarum detrahat laudi Mathematicorum.

Totus autem fallitur, qui ſibi perſuadet, quaſi abjecte ſentiamus de Mathematicis, dum affirmamus, eos in notionibus imaginariis acquieſcere, ultra quas progreditur Metaphyſicus. Neque

(x) §. 203. *part. I. Theol. nat.*

Neque enim hic contenditur de majore vel minore acumine huic vel isti tribuendo, quod majorem, vel minorem pariat gloriam; sed de rei veritate, ne confundendo in unum ea, quæ diversa sunt, in errorem incidamus scientiæ damnosum. Mathesin nos semper maximi fecimus faciemusque, quamdiu auram hanc vitalem attrahemus, non, quemadmodum vulgo fieri solet, quod nostram amemus Minervam, sed ob utilitates, quas studium Matheseos cultoribus suis promittit. Quamobrem cum nos Matheseos usum longissime extendamus ultra eos terminos, qui communiter eidem præfiguntur, prouti ex nostra de studio Mathematico rite instituendo commentatione, quæ Tomo quinto Elementorum Matheseos universæ legitur, abunde liquet; quin eam majoris faciamus, quam vulgo fieri solet, extra omnem dubitationis aleam positum est & adversus dubitantem demonstrativa ratione adstrui potest. Non vituperamus Mathematicos, quod in notionibus imaginariis acquiescant, quas Metaphysicus distincta confuse per-

perceptorum explicatione ad reales reducere tenetur, ſed recte eos facere aſſerimus, quia notiones imaginariæ ſcopo ipſorum ſerviunt, ad quem attingendum nil conferunt reales, quæ alio prorſus fine in Metaphyſica ſibi locum vindicant. Immo ſi Mathematicus, cujus præclara ſunt in Matheſin merita, per incogitantiam quandam notiones imaginarias pro realibus habet, propterea quod earum utilitatem in ſuo foro expertus easque familiares experitur; ea de cauſa merita ejus in Matheſin non facimus minora, ſed ſuis ea encomiis extollimus, errоremque in re aliena ipſi condonandum exiſtimamus probe gnari, tempus, quod Matheſi amplificandæ ac ornandæ impenditur, metaphyſicis ſpeculationibus impendi minime poſſe. Nec minus neceſſarium ac utile exiſtimamus, ut Matheſis ulterius promoveatur, quam ut Metaphyſica excolatur & a ſqualore ſuo purgetur contemtuque, quo premitur, liberetur. Laudes Mathematici & Metaphyſici prorſus diverſæ ſunt, quarum una ab altera minime dependet, etſi adeo alterutra quis deſti-

destituatur, non ideo laudi, quam habet, aliquid decedit. Summus erit Mathematicus, qui inter Metaphysicos ne infimum quidem locum mereatur, sed prorsus nullum, quoniam in Mathesi excellere & supra omnes Mathematicos eminere potest, qui Metaphysicam prorsus ignorat. Immo si quis sibimetipsi adulatus Metaphysicam contemnit & abjecte de eadem sentit ejus utilitatem non expertus; etsi non recte faciat, nec ullam propterea mereatur laudem, cum tamen magni merito fiat ob sua in Mathesin merita, præcipitantiam infirmitate humana facile excusamus. Infirmitates enim, quas merita præclara in genus humanum compensant, pro nullis habendas esse arbitramur, propterea quod in aliorum merita oculos convertere debemus, ne cui laudem promeritam denegemus & ut habeamus, quod imitemur; ad nævos autem aliorum animum attendi convenit, ut nobis sit, quod fugiamus, non quod reprehendamus. Quando igitur de aliorum meritis quæstio est, nævi utpote ad ea minime spectantes sepo-

nendi, quasi nulli adessent. Et hoc fieri jubet lex naturæ, quatenus famæ aliorum parcendum esse dictitat.

§. 19.

An acumen studio Matheseos quæsitum prosit Metaphysico.

Ostendimus in anterioribus (§. 15.), non repugnare, ut quis summo acumine utatur in Mathesi, in Metaphysicis tamen cœcutiat. Videtur adeo hoc minus consentire cum iis, quæ de acuendo intellectu ope studii mathematici omni ævo fuere asserta, & vix a quoquam magis, quam a nobis urgentur in Commentatione de studio mathematico recte instituendo, quæ Tomo quinto Elementorum Matheseos legitur. Constat studio Matheseos perfici intellectum, quatenus habitum eodem in veritate cognoscenda confert, si in eo fueris assiduus, & quatenus rectum facultatum cognoscendi usum distincte propriis experimentis agnoscere datur, siquidem animum ad eundem advertis & multo usu acquiras acumen, quo ad notiones distinctas illius usus formandas opus est. Non igitur negamus, si quis rectum facultatum usum in veritate cognoscen-

ſcenda beneficio ſtudii mathematici non modo ſibi comparavit, verum etiam diſtinctam hujus uſus notionem conſecutus, eum in Metaphyſica excolenda feliciu s progredi poſſet alio, qui & habitu rite utendi facultatibus cognoſcendi & notione ejusdem uſus diſtincta deſtituitur. Ingenue enim fatemur, nos neque Metaphyſicam, neque ceteras Philoſophiæ partes eo habitu, quo comparuerunt, induturos fuiſſe, niſi intellectum Matheſeos ſtudio eo modo acuere, quem in modo laudata Commentatione deſcripſimus, indeſinenter laboraſſemus. Hinc tamen minime ſequitur, quo quis acumine majore utitur in Matheſi augenda & amplificanda, eo majus quoque eſſe debere in Metaphyſicis acumen. Cœcutit enim in Metaphyſicis, quia ex iisdem notionibus imaginariis in Metaphyſica ratiocinari audet, quas in Matheſi ſibi ſufficere expertus eſt, quodque ad Metaphyſicam excolendam non eandem induſtriam affert, quam Matheſi impendit. Præjudicium iſtud facillime ſeſe inſinuat animo Geometræ, nec adeo facile eradicatur, niſi diffe-

rentia inter cognitionem philofophicam & mathematicam intime perfpecta, quarum illa a principio rationis fufficientis tota dependet, nec fine diftincta principii iftius notione penitus intelligitur; hæc vero magis ad principium contradictionis redit, ac fine diftincta principii rationis fufficientis notione intelligi poteft. Adfunt etiam rationes adhuc aliæ, quæ Mathematico facile perfuadent in notionibus imaginariis effe fubfiftendum etiam extra Mathefin & quibus tanto facilius cedit, quod in Philofophia nondum verfatus fatis diftinctas & adæquatas facultatum animæ notiones minime poffidet. Sed in tantas ambages jam defcendere non convenit inftituto præfenti. Cur Mathematici faftidiant ftudium Metaphyficæ, ex eo eft, quod Scholaftici terminis obfcuris & diftinctionibus Philofophiam primam totam repleverint, ut luce, qua fruimur in Geometria, adfuetum tenebræ iftæ ftatim offendant, quodque nullam viderint ejus ufum. Quando ergo Mathematicus, qui veriori Metaphyficæ nullam unquam operam navavit, de

rebus

rebus metaphyſicis ſibi judicium ſumit, de rebus ſibi ignotis per præcipitantiam judicare debet, nec juvat ipſum acumen in Matheſi acquiſitum, quod alibi adjumento non eſt, niſi quatenus ſupponitur principia probe perſpecta, quæ lucem menti affundunt. Vides adeo, nos in præſenti ſchediasmate non contradicere iis, quæ alibi defendimus. Neque enim noſtrum eſt confundere in unum, quæ a ſe invicem ſeparanda ſunt, neque appetitum influere permittimus in judicia noſtra, qui eadem haud raro contradictoria facit. Etſi enim vulgo defendatur, quaſi extra Matheſin appetitui maxima vis ſit in aſſenſum, neque hoc negari poſſit, quando de facto ſermo eſt, cum neganti experientia tota die reclamaret; philoſophia tamen id dudum nos conſecutos ingenue confitemur, ut aſſenſus non minus extra Matheſin, quam in Matheſi, nobis ab omni appetitu ſit prorſus independens.

§. 20.

Uſum doctrinæ præcedentis.

Velim hucuſque a nobis dicta probe perpendant omnes, quorum eſt non ſuæ magis, quam aliorum famæ

prospicere, nec veritati propagandæ obicem ponere, aliosque in errores ac Labyrinthum deducere, unde nullus nisi in Scepticismum patet exitus. Est autem hoc omnium, qui ad scientiam animum appellunt. Discat Mathematicus, qui sibi probe conscius est, se tempus omne in Geometria & calculis algebraicis unice consumsisse, quod suum non sit de rebus ad Metaphysicam spectantibus judicium, quantumcunque tandem ipsius sit in Mathesi acumen. Et ubi ad legenda Metaphysicorum scripta se confert, discendi animo accedat, quali ad Elementa *Euclidis* accessit. Existimet se, quamvis Geometra & Analysta summus merito habeatur, tyronem tamen esse in Metaphysicis, cujus est ante discere, quam judicem agat, cum in omni scientiarum genere haud pauca tyroni obscura videantur, quæ clara sunt, & dubia, quæ certa, immo erronea, quæ veritati consentanea, propterea quod in animo tyronis non omnem statim claritatem ac evidentiam nanciscuntur notiones, quas primo intuitu non penitus perspicit, præsertim ubi intel-

lectus

lectus non juvatur imaginibus, quemadmodum in Mathesi, cum circa ea versetur, quæ a sensu remota sunt & ab imaginibus separanda. Si cui durum videatur tyronem agere, & ad eorum subsellia descendere, cum inter Mathematicos eminentem locum occupet; Metaphysica abstineat, & laude sua integra fruatur, nec eam præcipitatis judiciis commaculet. Ita enim famæ suæ consulet, nec scientiæ propagandæ impedimentum creabit, quatenus autoritate sua alios incautos in errorem minime seducit. Notiones imaginarias qui familiares experitur, non miretur reales, quibus adsuetus non est, rerum a sensu remotarum sibi initio non videri satis claras & quæ hinc deducuntur non satis evidentia. Accidit hoc omni tyroni, quando campum ingreditur sibi antea non visum sibique noto dissimilem. Principium rationis sufficientis, quod ad notiones reales ab imaginariis discernendas recta via ducit, si rite intelligatur, etsi per singula theoremata Geometriæ elementaris verificetur, nec sine eo a Geometria ad naturam pateat

transsitus, Mathematico suspectum videri potest, qui sumit notiones imaginarias eidem contrarias, nec ad theoremata logice consideranda animum unquam advertit, neque etiam in modum, quo a Geometria ad naturam fit transsitus, data opera inquisivit, rationis notione confusa, quemadmodum vulgo faciunt omnes, contentus. Si quis per injuriam in Mathematicos dictum existimet, quod notionibus imaginariis utantur & fictionibus nonnisi per eas sustinendis tribuant locum; exemplo manifesto hoc probare lubet. Constat Analystas affirmare, quod quantitas finita per cyphram divisa degeneret in infinitam, veluti si fuerit $\frac{ab}{o}$. Cum cyphra non sit numerus, neque determinatus, neque indeterminatus; divisio numeri finiti vel quantitatis finitæ per cyphram sive o utique imaginaria est. Et si probaturus $\frac{ab}{o}$ esse quantitatem infinitam ex notione divisionis veræ argumenteris esse o : 1 = ab : $\frac{ab}{o}$ notio huic analogiæ respondens nonnisi fictitia est, cum con-

consideretur tanquam numerus, qui non est, atque adeo ex notione divisionis imaginaria analogia derivetur. Non reprehendimus Mathematicos hoc facientes, cum idem faciamus in Mathesi ad conservandam universalitatem calculi, quæ in eo nullum errorem parit (y). Quodsi tamen quod nonnisi toleranter verum est, pro absolute vero venditare velis ac hinc nescio quod mysterium fingere, eoque utique ad persuadendum mysteria religionis Christianæ, argumentando a minori ad majus, quemadmodum memini circa toleranter vera in Mathesi hoc factum fuisse a *Sturmio*, Professore quondam Altdorfino in Scripto quodam posthumo, me minime habes consentientem, qui imaginaria a realibus & fictiones inde derivatas a vero vi principiorum philosophiæ primæ discerno & cur in Mathesin tanquam vera tolerentur, quæ absolute vera non sunt, ostendo. Discat porro Mathematicus studium Metaphysicæ verioris, præsertim Ontologiæ, sibi non inuti-

(y) §. 188. *Analysin.*

utile esse, immo non sine damno suo idem a se contemni. Etenim majorem lucem eidem affundit quoad toleranter vera, ut eadem intimius perspiciat, nec cum absolute veris confundat, consequenter ea non ultra terminos tolerantiæ promoveat Mathesin scientiam præstantissimam in artem nugatoriam convertens & ex Demonstratore nugivendulus factus. Munit etiam animum adversus præjudicia, quæ impediunt, quo minus eandem ad Philosophiam appellens veritatem assequatur. Discant etiam intempestivi Encomiastæ, quod Mathematicum, in quem laudes Metaphysici ob notiones imaginarias, quas in Mathesi recte adhibuit, congerunt, non laudent, sed vituperent. Aliis enim, quos encomiis suis fidem habere volunt, persuadere conantur, quod, qui Mathematicus fuit clarissimus, idem quoque Metaphysicus esse voluerit. Ipsi igitur tribuunt notionum imaginariarum cum realibus confusionem: id quod defectum acuminis arguit. Ecquis vero crediderit, defectum acuminis parere laudem, nisi qui, quid lau-

dis

dis nomine veniat, ignorat? quis non potius pro certo habet objicere alicui defectum acuminis idem esse ac eum vituperare, modo quid sit vituperium distincte cognoscat. An non vero verendum est, ne qui defectum acuminis in Metaphysicis agnoscunt, acumen autem in Mathematicis communis tantummodo famæ fide tenent, hoc ipsum iisdem si non prorsus suspectum evadat, saltem minus videatur, quam est, cum Mathematum ignari de ejus in Mathesi inventis statuere nequeant? Perpauci enim sunt, qui unumquodque pretio suo æstimare valent, nec in eo definiendo præcipitantes judicium a vero aberrant. Quid quod laudes intempestivæ, ubi earum lubricitas agnoscitur, vituperandi ansam haud raro plurimis suppeditant nulla prorsus censura alias vexandos. Doleo igitur vicem virorum de scientia in suo genere præclare meritorum, si cultu idololatrico eos prosequantur inepti laudatores, præsertim ubi laudes cum aliorum contemtu conjungunt, a quo eos vindicandi occasionem aliis præbent.

§. 24.

§. 24.

An Metaphysicus curare debeat objectiones Mathematici notiones imaginarias cum realibus confundentis.

Quodsi Mathematicus, quantuscunque merito habeatur, notiones mathematicas cum metaphysicis, hoc est, imaginarias cum realibus confundens virgula censoria notet Metaphysicum, quod intelligibili modo explicet ab imaginibus separanda; objectionum ipsius non major habenda est ratio, quam quæ habetur a Mathematico illarum, quæ a Matheseos imperitis proficiscuntur. Quemadmodum itaque Mathematicus ridet objectiones eorum, qui, cum Mathematum ignari sint, de rebus ad Mathesin spectantibus judicium sibi sumunt, easque nonnisi contemtu vindicat; ita etiam Metaphysicus eodem jure ridet objectiones Mathematici, qui Metaphysicæ ignarus est, easque merito contemnit. Valet enim utrobique regula pervulgata, contra ignorantem principia non esse disputandum, quod frustranea sit omnis adversus eum disputatio. Nec de hoc contemtu justas querelas movere potest Mathematicus artifex in arte sua habendus, cum ipsemet injustas esse putet Matheseos imperitorum quere-

querelas, ubi eorum objectiones ex ignorantia principiorum profectæ contemnuntur. Quamnam vero rationem finges, cur Mathematicus & Metaphysicus diverso uti debeant jure, quando uterque sese immiscens rebus alienis de eo sibi judicium sumit, quod non intelligit. Repugnat diversitas juris primis Juris naturalis principiis, quod naturalem omnium hominum quoad jura æqualitatem urget (z). Cum natura homini nulli prærogativa ulla competat (a), nec sine ratione duo facientes idem respectu hujus facti, eodem prorsus modo determinati, diversa habere possunt jura. In orbe literario, in quo diversitatis gentium nulla habetur ratio, non viget nisi jus naturæ, quod ex principiorum ignorantia judicium præcipitantes in omni scientiarum genere facit pares: omnes enim in universum obligat, ut a præcipitantia in judicando sibi caveant, nec rebus alienis sese immisceant, quod vero alteri parti ex hac obli-

(z) *§. 78. 81. part. 1. Jur. nat.*
(a) *§. 94. part. 1. Jur. nat.*

obligatione enascitur jus idem omnino esse debet. Immo eodem jure prohibentur in orbe literario lites temerariæ, quæ evitantur, ubi frivolæ objectiones, quales sunt omnes ex ignorantia principiorum profectæ, contemnuntur. Absit autem, ut tibi persuadeas contemni Mathematicum, cui debentur laudes summæ in suo genere, ubi frivolæ ejus adversus Metaphysicam objectiones contemnuntur. Aliud enim est contemnere personam, aliud contemnere factum. Facta a personis curate discernit jus naturæ, quoties jura naturalia & obligationes naturales non subsistunt sine hac distinctione. In jure naturæ hospes ac alienus sit necesse est, cui non multi casus sunt perspecti, in quibus a facto separanda persona. Immo justitiæ ut satisfiat in omni casu, nec virtus vitio commaculetur, ad hanc distinctionem haud raro animum attendere tenemur. Non alio fine hæc monemus, quam ut necessitas philosophiæ excolendæ & studii philosophici cum mathematico conjungendi elucescat, discatque Mathematicus, etsi Philosophiæ promo-

vendæ tempus impendere nec possit, nec debeat, quod utiliter in thesauris Matheseos amplificandis consumit, se tamen Philosophiæ ab aliis excultæ non ignarum esse debere, quemadmodum nec Philosophus ignarus prorsus esse debet Matheseos, etsi suum non sit in figuris & numeris consenescere ac tempus omne consumere. Quid juvat ardua magnitudinum determinandarum cognitio, nisi & actiones tuas eadem accuratione determinare noveris, qua in magnitudinibus determinandis uteris? Aliis dum prodes, tibimetipsi dees & in multos injurius evadis, tantoque minus tibi condonanda injuria, qua alios afficis, quanto ampliorem facere poteras in vitanda culpa facultatum tuarum usum extendendo acumen tuum ad ea, quæ non sine acumine discernuntur. Acumine vincere alios & culpæ reum esse non est ex eorum numero, quæ famam integram tuentur. Hactenus dicta in præsenti sufficiant, utut haud pauca supersint, quæ non inutiliter huic tractationi insererentur.

II.

II.

De usu methodi demonstrativæ in tradenda Theologia revelata dogmatica.

§. 1.

Institutum Autoris.

THeologia revelata tradit veritates in Scriptura sacra contentas, quarum aliæ cum sint theoreticæ, aliæ practicæ, eædem in credenda & agenda dividi solent. Et Theologia, quæ dogmatica appellari suevit, speculativa a Scholasticis dicta, versatur circa credenda. Quando igitur nobis propositum est explicare usum methodi demonstrativæ in tradenda Theologia revelata; docere tenemur, quomodo veritates theoreticæ in systema veri nominis ope methodi demonstrativæ redigendæ, ut, dum omnes inter se connectuntur, eorum a se invicem dependentia appareat, sicque aliarum ex aliis ratio a priori dari possit. Non multum disputo, utrum hoc fieri possit, nec ne. Istiusmodi enim disputationes præliminares ut in omni scientiarum genere, ita quoque in præsenti argumento prorsus inutiles esse exi-

existimo. Veniendum in rem præsentem. Tentanti enim, modo valeant vires, ex successu constabit, quid fieri possit, quid non. Lubens fateor arduum ac difficile esse hoc opus, cum multo plura hic observanda sint, quam ubi quis Philosophiam methodo demonstrativa tradere voluerit. Rationes patebunt ex sequentibus, adeoque iis reddendis tantisper supersedemus. Methodi itaque apprime gnarum esse oportet eum, qui tantum opus aggreditur, ejusque usum in potestate sua habere debet, antequam eidem exequendo se parem agnoscere potest. Secus enim verendum est, ne scopum sibi præfixum non attingat. Quamobrem cavendum est, ne, si cui male cessit propositum, ex eo colligatur, fieri non posse, ut Theologia revelata dogmatica methodo scientifica, qua ab omni ævo usi sunt Mathematici, & qua nos Philosophiam tradere cœpimus, in ordinem redigatur. Quod enim ab uno minus recte factum deprehenditur, id ab alio recte fieri non posse minime sequitur, multo minus autem hinc colligere licet, quod in se impos-

sibile, quicquid minus recte factum fuit.

§. 2.

Veritates theologicæ quomodo distinguantur & institutum uberius explicatum.

Veritates Theologicæ, aut, si mavis, dogmata theologica duplicis generis sunt. Alia enim totidem verbis in Scriptura sacra extant, veluti quod Deus creaverit cœlum & terram, Gen. I. 1. quod Christus natus sit ex Maria Virgine, Luc. I. 26. c. II. 7. quod idem mandatum dederit Apostolis, ut euntes in mundum universum prædicarent Evangelium omni creaturæ. Alia vero ex istis legitimis ratiociniis inde colliguntur, qualia in Scriptis Theologorum haud pauca continentur. Quamobrem usum methodi demonstrativæ in tradenda Theologia dogmatica eaque revelata explicaturis incumbit, ut ostendamus, quomodo methodo demonstrativa utendum sit in eo veritatum genere, quæ immediate ex Scriptura sacra hauriuntur, & quinam sit ejus usus in iis, quæ ratiocinando inde ulterius colliguntur, tandemque quomodo hæc cum istis in ordinem redigendæ, ut prodeat systema dogmatum inter se connexorum.

§. 3.

§. 3.

Cum dogmata non admittantur in Theologiam revelatam, nisi quæ vel expressis verbis in Scriptura sacra continentur, vel ex hisce legitime ratiocinando deducuntur; prima omnino cura esse debet, ut colligantur illa, quæ Scriptura sacra expressis verbis docet. Ingens omnino foret labor, si quis omnes Scripturæ sacræ libros attenta mente perlegere & propositiones in iis occurrentes excerpere vellet: id quod necesse foret, siquidem omnibus adminiculis destitueremur, quæ alii nobis afferre poterant. Quamobrem cum multi de Theologia revelata dogmatica jam prostent libri, in quibus dogmata theologica in certos articulos rediguntur, veluti de Deo, de Christo, de creatione, de providentia, de justificatione, & præterea extendant Bibliorum Concordantiæ, in quibus notantur ordine alphabetico vocabula in Scriptura sacra occurrentia una cum omnibus locis, in quibus eadem extant; subsidiis hisce in rem suam uti debet, qui veritates omnes in Scriptura sacra totidem verbis contentas col-

Quomodo dogmata in Scriptura sacra contenta inde excerpenda.

ligere voluerit. Inſcriptio articulorum in ſyſtematis theologicis, quæ jam proſtant, docet, de quibusnam rebus in Theologia revelata ſit agendum. Ex Concordantiis autem diſcitur, quænam de iis doceat Scriptura ſacra. E. gr. in ſyſtematibus theologicis extat articulus de Deo. Unde conſtat in Theologia revelata docendum eſſe, quænam Scriptura ſacra Deo tribuat prædicata. Quamobrem ſi vocabulum Deus aliaque nomina, quibus idem in Scriptura ſacra indigitatur, quæ a Theologis in ſyſtematibus ſuis recenſentur, in Concordantiis evolvas; haud difficile erit prædicata vi verborum Scripturæ ſacræ Deo tribuenda reperire. Conſultum vero eſt, ut vocabula quoque, quibus prædicata Deo tribuenda indigitantur, in Concordantiis evolvantur: quod non ſolum haud raro uſui eſt in genuino ſignificatu eorundem eruendo juxta ea, quæ in Trimeſtri ſuperiori de uſu methodi demonſtrativæ in Scriptura ſacra interpretanda docuimus, verum etiam ſubinde propoſitiones quasdam patefacit alias facile prætermittendas. Eodem

dem fine evolvenda ſunt loca Scripturæ ſacræ, quæ ad probandum dogmata in ſyſtematibus citari ſolent, ſi qua forſan occurrunt, quæ eo, quem commendavimus, modo non innotuerunt. Etſi enim negari non poſſit, citari loca complura, quæ prorſus non, aut ſaltem non evidenter probant, quod probare debebant; hoc tamen non obſtante te ſubinde ad quasdam propoſitiones ſyſtemati inſerendas deducent, quæ alias cognitioni tuæ ſeſe ſubducerent. Quodſi igitur obſervaveris ea omnia, quæ hic præcipiuntur, dogmata ad ſingulos articulos ſpectantia quænam expreſſis verbis in Scriptura contineantur, abunde innoteſcet.

§. 4.

Circa propoſitiones ex Scriptura ſacra excerpendas notandum.

Notandum tamen adhuc in numerum propoſitionum, quæ expreſſis verbis in Scriptura ſacra continentur, referendas eſſe etiam eas, quarum prædicatum in eadem nullibi quidem occurrit, ejus tamen notionem ingredientia ſubjecto tribuuntur vel in eodem, vel in diverſis locis. Etenim hoc in caſu perinde eſt, ac ſi definitio legeretur in Scriptura ſacra, non vero defi-

definitum. Quoniam vero definitum ei competit, cui competit definitio (*b*); idem omnino est, sive definitio, sive definitum subjecto alicui tribuatur, consequenter qui eidem tribuit definitionem, is etiam dicendus est eidem tribuere definitum. Ita qui dicit figuram aliquam tribus lateribus terminari, cum figura tribus lateribus terminata sit triangulum, dicendus quoque est affirmare, quod figura ista sit triangulum. Exemplum habemus in omniscientia divina. Etsi enim terminus omniscientiæ nullibi legatur in Scriptura sacra, ut adeo inter propositiones de Deo ex eadem excerptas non compareat hæc: Deus est omniscius; tribuuntur tamen eidem in sacro codice, quæ notionem distinctam omniscientiæ seu definitionem hujus termini ingrediuntur (*c*). Nemo igitur, nisi qui nodum in scirpo quærit, contradicet affirmanti in Scriptura sacra Deo expressis verbis tribui omniscientiam, non vero demum eam ex aliis attributis, quæ in eadem de Deo enun-

(*b*) §. 349. *Log.*
(*c*) §. 303. *part.* 1. *Theol. nat.*

enunciantur, ratiocinando colligi. Quando nimirum quæritur, utrum propositio aliqua in Scriptura sacra expressis verbis legatur, nec ne; non de eo quæstio est, num eadem præcise vocabula, quibus effertur, in Scriptura sacra legantur, sed num in eadem affirmetur, quod horum vocabulorum significatui respondit. Sive igitur vocabula sint eadem, sive diversa, modo idem sit significatus, hoc est, vocabulis diversis eædem res indigitentur, affirmatio semper eadem est. Omnis nimirum quæstio ad identitatem rerum, non vocabulorum, quæ sunt earum signa, redit. Multi sunt in Theologia termini, quibus concinne efferuntur dogmata theologica, sed qui in Scriptura sacra non leguntur. Ecquis vero ideo dixerit, hæc disertis verbis non contineri in Scriptura sacra, sed ex aliis dogmatis in eadem propositis ratiocinando demum colligenda esse? Sane quæ per dicta Scripturæ immediate probari possunt, ea etiam expressis verbis in eadem doceri dicendum est. Absit autem, ut tibi vel aliis persuadere coneris, loquendum esse de

Deo rebusque divinis nonnisi verbis Scripturæ. Cum enim verba nonnisi rerum signa sint, qui dogmata in Scriptura sacra revelata aut saltem inculcata, quatenus rationis quoque lumine eorum veritas agnoscitur, addiscere urget, eum non verborum scrupulositas, sed accurata rerum cognitio juvat. Inprimis autem apprime necessarii sunt termini, ubi dogmata theologica in ordinem digerere volueris methodo demonstrativa, ut sine eorum usu nihil profeceris: id quod quemadmodum in omni scientiarum genere obtinet, ita etiam in Theologia revelata aliter fieri nequit. Et quæ ratio jubet, ne termini in Philosophia semel recepti immutentur (*d*); ea etiam urget, ut in Theologiam introducti retineantur. Non eadem sentit cum Scriptura sacra, qui verbis Scripturæ loquitur; sed cujus animo notiones inhærent, quæ verbis Scripturæ indigitantur, sive eas ipse iisdem vocabulis indigitet, sive diversis.

§. 5.

(*d*) §. 147. *Disc. prælim.*

§. 5.

Quoniam itaque non ſufficit verba Scripturæ noſſe, ſed vim ac poteſtatem eorum tenere debet, qui dogmata in illa contenta intelligere voluerit; ubi hæc ex Scriptura ſacra excerpta ad propoſitiones determinatas revocaſti, in terminorum, ex quibus hæ conſtant, ſignificatum menti Scripturæ conformem inquirendum: quod quomodo fieri poſſit, ut de eodem non modo ipſe certus ſis, verum etiam alios convincere poſſis, hunc, non alium eſſe poſſe verborum Scripturæ ſenſum, ex iis intelligitur, quæ in Trimeſtri ſuperiori de uſu methodi demonſtrativæ in explicanda Scriptura ſacra prolixe inculcavimus. Nolim autem, ut hic fidas verſionibus, quas idem vocabulum textus authentici non ſemper eodem reddere in ſua lingua nemo ignorat, qui verſiones cum textu authentico contulit. Cum Scripturam ſacram Deo autori tribuamus in ea lingua, in qua libri ejusdem ab autoribus ſuis conſcripti ſunt; verba quoque, quibus veritates a Deo revelatæ, vel autoritate ſua approbatæ efferuntur,

Quomodo propoſitiones explicandæ.

non in versionibus ponderanda sunt, sed in textu authentico. Quamobrem liquet, qui propositiones ex Scriptura sacra extrahere voluerit, eum easdem ex textu authentico extrahere debere, non ex aliqua versione, cum in versionibus prædicata eidem subjecto tribuenda non semper in eodem loco indigitentur eodem vocabulo, quemadmodum modo monuimus, adeoque ex versionibus diversis diversæ excerpantur propositiones non tantummodo terminis, verum etiam re. Neque sufficit, utramque propositionem esse veram, ubi quæritur, quid in eo loco doceat Scriptura sacra, & propositio per verba Scripturæ probanda. Ad facilitandum laborem, qui propositionibus ex Scriptura sacra excerpendis impenditur, commendavimus usum Concordantiarum (§. 3.). Quoniam itaque in Concordantiis Germanicis, quarum communis usus est, vocabulis Germanicis adscripta sunt Hebraica & Græca, quæ per ista a *Luthero* vertuntur; non opus est, ut propositiones ex ipso textu authentico excerpas, sed sufficit iisdem Concordantiis obste-

obſtetricantibus in idiomate Germanico ex verſione *Lutheri* excerptis adſcribi vocabula textus authentici. Et horum vocabulorum ſignificatus determinandus eo, quem in Trimeſtri ſuperiori explicavimus, modo. Exempla complura dedimus in parte prima Theologiæ naturalis, quibus modus eruendi ſenſum verborum Scripturæ illuſtratur, ubi conſenſum Scripturæ cum ratione quoad articulos mixtos demonſtravimus. Ibidem quoque paſſim haud pauca annotavimus, quæ ad genuinum verborum Scripturæ ſenſum inveſtigandum faciunt, ut adeo nobis brevioribus hic eſſe liceat. Quodſi ultra ea progredi nolueris in concinnando ſyſtemate juxta methodum demonſtrativam, quæ in ſyſtemate aut compendio aliquo theologico traduntur; acquieſcere poteris in iis propoſitionibus, quæ inde excerpuntur, evolvendo dicta Scripturæ, quæ probationis loco allegantur. Etſi enim jam monuimus, accidere ſubinde, ut nullum illorum dictorum accurate probet, quod probandum erat; hæc ipſa tamen dicta te manuducent Concordantiarum ope ad

alia,

alia, quibus fortior probandi vis inest, ut probatio rigorem demonstrandi sustineat, aut, ubi dictum istiusmodi in Scriptura reperiri nequit, id indicio erit, propositionem vel a veritate esse alienam, vel, ubi vera fuerit, ex aliis demum demonstrandam.

§. 6.

Quomodo definitiones nominales verborum, quæ in Scriptura sacra extant, inveniantur systemati inserendæ.

Quodsi in eruendo genuino verborum Scripturæ sensu nulla ex parte desiderari patiaris acumen & industriam tuam; eo ipso reperies definitiones nominales terminorum systemati inserendas. In omni scientia humana definitiones nominales arbitrariæ sunt, cum a voluntate tua pendeat, quemnam vocabulis significatum tribuere velis. Et ubi constanter iisdem in eodem significatu uteris, verendum non est, ne propterea incidas in aliquem errorem, modo de realitate definitionis tuæ certo tibi constet: quæ omnia ex principiis Logicæ abunde perspecta sunt. Enimvero non idem obtinet in Theologia revelata, in qua verbis Scripturæ minime tribuendus significatus pro arbitrio tuo, sed is præcise, qui iisdem

iisdem ex mente Scriptorum ſacrorum reſpondet. Quamobrem definitiones nominales ſingularem quandam demonſtrationem exigunt, qua evincitur, eas eſſe menti Scripturæ ſacræ conformem. Cum enim definitiones nominales non modo patefaciant, quale ſit ſubjectum, de quo aliquid prædicetur, & quidnam de ſubjecto prædicetur, verum etiam inter principia demonſtrandi primum ſibi vendicent locum; absque illis demonſtrationibus nemo certus eſſe poteſt, recte affirmari, quod in Scriptura huic ſubjecto hoc tribuatur prædicatum, quodque menti Scripturæ conformes ſint propoſitiones, quarum demonſtrationes tanquam principium definitiones iſtæ ingrediuntur. Quomodo autem demonſtrationes ſint concinnandæ, per ea patet, quæ de uſu methodi demonſtrativæ in Scriptura ſacra interpretanda in trimeſtri ſuperiori tradidimus, & per exempla, quæ conſenſum Scripturæ cum philoſophia ſtabilituri exhibuimus in parte prima Theologiæ naturalis. Idem nimirum hic obſervandum eſt, quod tenendum, ubi ſyſtema

ma aliquod philosobicum juxta mentem Scriptoris cujusdam profani condere volueris, veluti si Philosophiam moralem & civilem ex libris Classicis Sinarum a R. P. *Francisco Noël* editis condere tibi propositum. Neque enim hic vocabulis, quibus efferuntur propositiones, attribuendus est significatus, quem alias iisdem attribuere soles, aut in quo eadem accipit quidam inter nos Philosophus; sed demonstrandum utique est, significatum istum esse menti Scriptoris profani conformem, cujus dogmata proponere intendis. Propositiones nimirum excerpere ex libro aliquo philosophico, quem ad manus habes, & conquirere v. gr. ex libris Classicis Sinarum loca, in quibus eadem vel his affinia verba occurrunt, non est tradere Philosophiam Sinarum, sed Philosophi alterius dogmata pro eadem obtrudere. Et quamvis contingat, te non aliena a Sinarum mente proferre; id tamen nonnisi casui tribuendum, nec certus esse potest lector, dogmata illa menti Sinarum conformia esse, quamdiu desunt demonstrationes definitio-

num

num nominalium, quas hic urgemus. Multo igitur difficilius est systema aliquod juxta mentem alterius cujusdam Scriptoris, quam juxta mentem propriam condere. Quamobrem mihi, qui non eo fine aliorum scripta lego, ut quid hic vel ille statuerit, mihi constet, sed ut in veritate cognoscenda ulteriores faciam progressus, dudum in more positum est, aliorum verba, ubi præsertim dubia sunt aut difficilis interpretationis, per meas explicare definitiones & ex principiis meis, de quorum certitudine non ambigo, tentare demonstrationem: quæ ubi succedit, eam systemati meo infero parum sollicitus, utrum eadem sit menti autoris consentanea, nec ne. Neque enim eam defendo tanquam placitum hujus, vel illius autoris, sed tanquam propositionem veritati consentaneam, cum mihi propositum non sit lectorem in notitiam diversorum placitorum celebrium Philosophorum, sed in cognitionem veritatis deducere. Et eundem morem aliis quoque commendo, qui veritatis thesauros colligere & augmentari volunt. Enimvero

ro hoc non succedit in Theologia revelata, ubi sapere debemus ex eo, quod scriptum est, cum quæstio de eo sit, quodnam Deus dicat esse verum. Quoniam in ea sumitur, verum esse, quod Deus dicit, consequenter quod expressis verbis in Scriptura sacra continetur, non demonstrandum est, propositionem, quæ ex Scriptura excerpitur, esse veram, sed terminis, quibus constat, hasce convenire notiones ex intentione Dei, consequenter nos habere mentem Dei, si eos in hoc significatu sumamus, quem ipsis tribuimus.

§. 7.

Quomodo propositiones ex Scriptura sacra excerptæ rite determinandæ.

Antequam vero propositiones, quæ ex Scriptura sacra excerpuntur, in systema inferantur; rite determinandæ sunt, tum quoad subjectum, tum etiam quoad prædicatum, nimirum ut determinetur conditio, sub qua prædicatum eidem tribuitur, & prædicato quoque suæ adjiciantur determinationes, si non omnes in ejus definitione continentur, quales v. gr. sunt restrictiones ac limitationes. Propositiones adeo categoricæ ab hypotheticis eodem

dem modo in Theologia revelata distinguendæ, quo in omni reliqua scientia eas distingui necesse est. Neque enim propositiones veræ sunt, nisi quatenus rite determinatæ, cum veritas earundem in determinabilitate prædicati per notionem subjecti consistat(*e*), determinata vero propositio tunc demum dici possit, si subjectum sub ea notione repræsentetur, ut in ea contineatur ratio, cur eidem conveniat prædicatum (*f*), seu prædicatum per subjectum determinetur (*g*). Quomodo autem determinanda sit propositio, tum ex contextu, tum ex collatione locorum diversorum S. S. innotescit. E. gr. Gen. I. 31. leguntur hæc verba: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, sive optima. Quoniam ea leguntur in historia creationis, facere hic idem significat quod creare. Unde propositio hisce verbis contenta hæc est: Cuncta, quæ Deus creavit, erant optima. Jam ut propositio determinetur, inspiciendus est contextus.

(*e*) §. 513. *Log.*
(*f*) §. 320. *Log.*
(*g*) §. 113. 56. *Ontol.*

Dicitur versu primo Deus creasse cœlum & terram, phrasi nempe Hebræorum, hoc est, mundum. Cuncta igitur, de quibus hic sermo est, ea sunt, ex quibus mundus integer componitur. Vi igitur contextus determinata propositio hanc induit formam: Mundus, qui a Deo creatus, optimus est. Et ita determinavimus hanc propositionem in Theologia naturali consensum Scripturæ cum Philosophia evicturi. Propositionem a te rite esse determinatam, non sumendum est, sed demonstrandum. Alias enim assensum eidem præbendum non resolvis in autoritatem Dei, quemadmodum fieri debet, sed in autoritatem tuam, adeoque humanam, quod Theologiæ revelatæ notioni adversatur. Quomodo autem concinnanda sit demonstratio, partim ex modo dictis intelligitur, partim clarius perspicitur ex demonstratione ibidem allata. Per hanc quoque apparet, propositionem ex accuratiori contextus inspectione quoad prædicatum quoque determinari posse, ut in hanc abeat enunciationem: Mundus, qui a Deo creatus, opti-

optimus eſt tum in ſe ſpectatus, tum in relatione ad ipſum. Sed nolo hic diſertius explicare, quæ ibidem legi poſſunt. Quodſi cetera quoque Theologiæ naturalis loca perluſtrare digneris, in quibus conſenſus Philoſophiæ cum Scriptura ſacra demonſtratur; & modus propoſitiones ex eadem excerpendas rite determinandi, & modus earum determinationem rite factam eſſe demonſtrandi clarior evadet. In Philoſophia opus non eſt, ut demonſtres, propoſitionem rite eſſe determinatam. Quoniam enim ex iis, quæ de ſubjecto ſumis, hoc eſt, ex determinationibus ſubjecti ratiocinando colligis in demonſtratione, eidem convenire prædicatum, prouti in propoſitione determinatum extat; per ipſam demonſtrationem patet, eam rite determinatam eſſe. Enimvero cum in Theologia revelata propoſitiones, quæ expreſſis verbis in Scriptura ſacra continentur, non a priori ex notione ſubjecti demonſtrentur, ſed tantummodo oſtendatur, quod menti autorum ſacrorum conformes ſint, eas a te rite fuiſſe determinatas, per verba Scripturæ oſtendendum.

§. 8.

Diversitas demonstrationum in Theologia naturali & revelata quoad articulos mixtos in Scriptura sacra disertis verbis inculcatos.

Etsi adeo articuli, qui a Theologis vocantur mixti, sint propositiones Theologiæ naturali & revelatæ communes, non tamen earundem demonstrationes utrobique eædem sunt. Etenim in Theologia naturali ex notione subjecti concatenata ratiociniorum serie colligitur prædicatum, dum propositionem demonstramus, ut constet eam esse veram; ast in revelata ex ipsis Scripturæ sacræ verbis ostenditur, subjectum & prædicatum rite esse determinatum, ut certi simus, eam esse menti ejus conformem. Patet autem nobis hic sermonem esse de iis propositionibus, quæ expressis verbis in Scriptura inculcantur. De hisce enim nunc agimus. Quodsi quis propositiones Theologiæ naturali & Scripturæ sacræ communes eodem modo in Theologia revelata demonstrare velit, quo in naturali demonstrantur; is Theologiam revelatam cum naturali confundit, rationi consentanea ostendens, quæ Scripturæ sacræ consentanea esse ostendere debebat. Aliud enim est docere, quænam Scriptura sacra dicat;

aliud

aliud vero ostendere, quænam rationis lumine agnoscantur vera. Illud Theologi, hoc Philosophi est: uterque si facit, quod suum est, muneris sui partes adimplevisse dicendus est. Quemadmodum non probatur, si Philosophus per dicta Scripturæ propositiones, quas demonstrare debet ex principiis rationis, probare velit; ita nec probari potest, si Theologus, quæ autoritate Scripturæ sacræ stabilienda sunt, ex principiis rationis demonstret. Novi equidem esse haud paucos, qui Philosophum Christianum decere existimant probationes per dicta Scripturæ. Enimvero Philosophus qua Philosophus Christianus non est, nec Christianus qua Christianus Philosophus est. Philosophus enim qua Philosophus assensum suum resolvit in rationem, Christianus autem qua Christianus in autoritatem Dei in Scriptura loquentis. Quamvis adeo Philosophus & Christianus sint unum individuum physicum; duo tamen manent individua moralia a se invicem distincta, quorum diversa prorsus sunt munia quippe rationem suam in diversis prorsus notio-

nibus habentia. Et quemadmodum alias me monuisse memini, quod utile sit philosophiam servari integram, nec eam cum Theologia revelata confundi, & usus hic cedat in ipsum commodum religionis Christianæ; ita etiam utile est Theologiam revelatam cum naturali non confundi in unum: id quod apprime facit ad ejus veritatem contra hostes religionis Christianæ stabiliendam, quatenus huc facit consensus fidei cum ratione quoad articulos mixtos & non repugnantia purorum cum iis, quæ in Philosophia demonstrantur, tum etiam ad illius præstantiam evincendam & prærogativam præ aliis religionibus ostendendam. Falso itaque mentem nostram interpretantur, qui aliis persuadere conantur, quasi Philosophiam puram servari contenderemus, ne dictis Scripturæ contaminetur. Veritatis, quam sectamur, studium hoc imperat. Quodsi vero e re visum fuerit, consensum eorum, quæ in Philosophia demonstrata sunt, cum Scriptura sacra ostendere, si opportune fiat, minime reprehendimus. Fecimus enim hoc ipsimet in Theologia natu-

naturali, quatenus voluimus eam esse pædagogum ad revelatam. Id enim demum Philosophi, qui idem Christianus est, esse arbitramur, ut arma suppeditet, quibus religio Christiana adversus ejus hostes defenditur. Quodsi vero Theologus satisfaciat officio suo, ut methodo demonstrativa in tradenda Theologia revelata omni rite utatur; labori huic supersedere potest Philosophus. Ex collatione enim librorum philosophicorum cum theologicis consensus extemplo elucescit, neque adeo opus est, ut Theologia revelata quoad articulos mixtos de credendis & agendis tota inseratur systemati Philosophiæ. Cum Theologiam naturalem scriberemus, nondum prostabat systema Theologiæ revelatæ, ad quod provocare poteramus, eorum, quæ a nobis demonstrata fuerant, consensum ostensuri. Quoniam tamen ad retundendas adversariorum nostrorum calumnias necessitas ipsa urgebat consensum istum a nobis demonstrari; Theologiæ quoque naturali inseruimus, quæ ex ea abesse alias debebant. Cumque nullam prætermitta-

mus occasionem, qua aliis viam ad scientias excolendas monstrare valemus; non inconsultum quoque duximus exemplis docere, quomodo veritates ex Scriptura sacra eruendæ sint demonstrandæ.

§. 9.

Termini theologici ἄγραφοι quinam & num retinendi.

Nemo ignorat, nisi in Theologia revelata fuerit prorsus alienus ac hospes, in libris de ea conscriptis multos occurrere terminos, qui in Scriptura sacra non leguntur. Sane vocabula omniscientia, providentia, Trinitas, persona divinitatis, unio hypostatica, communicatio idiomatum, voluntas antecedens, voluntas consequens, nullibi leguntur in Scriptura sacra. Immo non minus certum est, occurrere in Scriptis Theologorum vocabula, quæ in Scriptura sacra extant, quibus tamen non idem prorsus tribuitur significatus, quem in illa obtinent. Huc refert *Gürtlerus* (*h*) vocabulum processionis, quo Theologi indigitare communiter solent modum, quo Spiritus Sanctus essentiam divinam numero

(*h*) *In Institut. Theol. c. 3. §. 250.*

mero unicam cum Patre & Filio communem habet, etſi Joh. XV. 16. unde deſumtum eſt, potius denotet miſſionem in corda fidelium. Exempla alia non addimus, quæ ſua veluti ſponte ſeſe offerent ei, qui methodo hic præſcripta dogmata theologica in ordinem redigere tentaverit. Hoſce vero terminos accenſemus theologicis, qui in Scriptura ſacra non leguntur & ἄγραφοι appellari ſolent. Neque enim verba Scripturæ S. ſpectanda ſunt inſtar terminorum inanium, quibus nulla reſpondet notio, cumque ſignificatus ſit de eſſentia vocabuli, terminorum identitas non dijudicatur niſi ex identitate ſignificatus, cum ſonus articulatus non ſit vocabulum niſi quatenus ſignificativus, quemadmodum blictri nemo habet pro vocabulo Latino, quia nullum habeat ſignificatum, etſi perinde ac gummi ſit ſonus articulatus. Quamvis adeo non ſine manifeſta abſurditate affirmetur vocabulum aliquod eſſe terminum Scripturæ, ſi alius ipſi tribuatur ſignificatus, quam quem in hac habet, cum perinde ſit, ac ſi quis Titium eundem manere hominem

nem pronunciaret, quando per impossibile ponitur animam Mævii in locum animæ ipsius infundi, quasi Titius non esset hic homo, quatenus ex hoc corpore & hac anima constat, solo corpore hominem non constituente; cum nemine tamen hebetiori, cujus non est ex notionibus distinctis judicare, ea de re litigabimus, sed suo unum quemque sensu abundare sinimus: Sufficit in præsenti negotio terminos, qui in Scriptura sacra non leguntur, & eos, qui in hac quidem leguntur, quorum tamen significatus utcunque immutatur, eodem loco habendos esse, ita ut quod de uno dicatur, accipiendum quoque sit de altero. Nemo igitur Philosophiæ primæ ac Logicæ gnarus reprehendere potest, quod terminos istos ad eandem speciem referamus, aut duas saltem terminorum, qui ἄγραφοι dicuntur, species constituamus ex eadem notione generis de iisdem ratiocinaturi. Ceterum terminos istos, qui semel in Theologiam introducti sunt, etsi in Scriptura sacra non legantur, aut in eadem non eundem prorsus significatum obtineant, esse retinen-

nendos, ex iis liquet, quæ paulo ante (§. 4.) diximus. Dogmatum enim Scripturæ ſacræ, quæ non ex ſono vocabulorum, ſed ex notionibus iisdem reſpondentibus æſtimantur, ſervari poteſt integritas, quibuscunque tandem vocabulis efferantur, quemadmodum ex adverſo vocabulis, quæ in Scriptura extant, retentis dogmata ejus in errores abeunt, ubi a ſignificatu, qui eos terminos Scripturæ facit, receſſeris & in contrarium a tota mente ejus alienum verteris. Neque exiſtimandum eſt terminos, qui ἄγραφοι appellantur, nullius eſſe uſus: neque enim ſolum faciunt propoſitionibus determinatis concinne exprimendis, quales requirit methodus demonſtrativa; verum etiam uſum prorſus inſignem præſtant, ubi ex iis, quæ diſertis verbis leguntur in Scriptura, alia inferenda, quæ in eadem non leguntur, menti tamen ejus conſentanea ſunt, pro veritatibus revelatis non minus habenda, quam quæ Scriptura diſertis verbis dicit, nemine Theologorum contradicente. Sine terminorum uſu in nullo ſcientiarum genere amplos

amplos facere licet progressus, nec absque eo in Theologia satis prospicitur orthodoxiæ conservandæ. Quamobrem mihi non probatur illorum ausus, qui omnem terminorum usum in Thologia damnant temere ac promiscue & in solis Scripturæ vocabulis acquiescendum esse contendunt. Perperam enim sibi persuadent, ultra id quod scriptum est sapere velle eum, qui veritates in Scriptura sacra revelatas aliis verbis effert, quam quibus ea utitur, cum is demum sapere audeat ultra id, quod scriptum est, qui notionibus, quæ verbis Scripturæ respondent, aliquid addit, quod ex iis necessaria consequentia deduci nequit, vel etiam demit, quod in iisdem continetur, significatum illorum pro arbitrio suo determinans, vel denique notionem quandam prorsus rejicit. Velim hæc probe perpendant, qui licentiam quandam interpretandi Scripturam introducunt nonnisi enthusiasmi quadam specie defendendam, hoc pacto satisfieri putantes monito Apostoli Col. III. 16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, parum

vero

vero intelligentes, quid hisce verbis significetur, quorum significatum pro suo genio determinant.

§. 10.

Termini ἄγραφοι accipiendi sunt in ea significatione, quam obtinuerunt ex usu loquendi Theologorum. Id tamen agendum est, ut distincta notione explicentur, eaque rite determinata, observatis iis, quæ de definitionibus præcipiuntur in Logica. Etsi enim definitiones occurrant in Scriptis Theologorum, aut supponantur ex Metaphysica Scholasticorum; non tamen hæ sunt satis distinctæ, nec limatæ, quales requirit methodus demonstrativa, seu dictum de omni & nullo quo omnis ratiocinatio nititur, ea etiam, quæ in definitionum applicatione consistit. Dum vero notiones confusæ, quæ terminis respondent & verbis minime perspicuis exprimuntur, ad distinctas revocantur; haud levis requiritur attentio, immo haud raro acumen non vulgare, ne significatum illorum immutes. Unde eadem sollicitudo animum tenere debet, qua signi-

Termini ἄγραφοι quomodo definiendi & quid circa hasce definitiones observandum.

significatus terminorum in Scriptura sacra occurrentium ad mentem Autorum sacrorum determinatur. Quamobrem quæ hoc fine tradidimus in Trimestri superiore, cum usum methodi demonstrativæ in explicanda Scriptura sacra explicaremus; ea in præsenti etiam negotio subinde usui esse possunt. Et quatenus definitiones verbis obscuris conceptæ, quæ determinationes notionem distinctam ingredientes non aperte exprimunt; lucem quandam in eodem negotio affundunt, quæ in Ontologia occurrunt, exempla definitionum Metaphysicæ Scholasticorum per notiones distinctas explicatarum. Quæ igitur particulatim dici poterant, ea prætermittimus lectorem ad Logicam & Ontologiam remittentes, cum abunde convicti simus, in tela præsenti pertexenda utiliter operam suam neminem collocare, nisi Logica & Ontologia intimius perspecta. Memini me alias jam observasse idemque inculcasse, quod notiones confusæ definitioni spuriæ verbis obscuris conceptæ respondentes vix agnoscantur ab iis, qui de distinctis nun-

nunquam cogitarunt, ubi ad diſtinctas revocantur: ut ea de cauſa audias querelas de recepto terminorum ſignificatu immutato, ubi idem inviolabili lege cuſtoditur. Neceſſe igitur eſt, ut demonſtres, vocabula per notiones diſtinctas explicata accipi in ſignificatu recepto, quemadmodum demonſtrandum erat, vocabula Scripturæ ſacræ eo, quo ipſamet explicas, ſenſu accipi in uſu loquendi Autoribus ſacris recepto. Demonſtrationes tamen non ſemper eodem modo quo hic procedunt. Etenim ubi terminos Scripturæ ſacræ ad notiones diſtinctas revocas, non definitos definis & ex ipſa Scriptura demonſtrandum eſt, eos ad mentem Scriptorum ſacrorum fuiſſe definitos, hoc eſt, animo eorundem obverſatas fuiſſe eaſdem notiones, quas tu cum ipſis jungi jubes. Enimvero ubi demonſtrandum eſt, te terminos Theologorum accipere in recepto ſignificatu, oſtendendum eſt, verbis ipſorum obſcuris inſinuari eas determinationes, quæ notionem diſtinctam ingrediuntur termino a te attributam.

Exem-

Exempla istiusmodi demonstrationum occurrunt in Ontologia, ubi terminos a nobis distincte explicatos in usu loquendi recepto apud Scholasticos sumi evicimus. Sane verba Scholasticorum plerumque adeo obscura sunt, ut per ea non intelligatur, quidnam sit significatus definiti; sed quæ per exempla animo attento ingeritur notio confusa, eadem & definito & definitioni respondet, quemadmodum accidit in definitione lineæ rectæ ab *Euclide* datæ, quod sit ea, quæ ex æquo interjacet suis terminis, quam nemo intelligit, nisi cui ob oculos quasi versatur lineæ rectæ aut fili cujusdam extensi imago. Exempla tamen a nobis data probant, verba ipsorum obscura respicere eas determinationes, quæ notionem distinctam ingredi debent, ut adeo satis pateat eos idem nobiscum dicere voluisse, modo ea, quæ insunt notioni distinctæ, acute satis distinguere & singula convenienti nomine significare potuissent. Erunt forsitan, qui existimaturi sunt, hanc scrupulositatem non esse necessariam quoad terminos

ἀγράφες,

ἀγράφους, ne æque reverenter eosdem habeamus, ac verba Scripturæ: immo acutiores nonnulli objicient, falſa verborum Scripturæ interpretatione nos incidere in errores; id quod ex immutato ſignificatu terminorum in Theologiam introductorum verendum non ſit, modo tu terminis non utaris niſi in eo, quem ipſis tribuiſti, ſignificatu, nec ab eodem recedas. Enimvero qui ſic ſentiunt, animum non attendunt ad rationes, cur termini in Theologiam ſemel introducti non ſint immutandi, & cur tanto minus probari poſſit hic auſus in eo, qui methodo demonſtrativa ſyſtema Theologiæ revelatæ condere voluerit. In Theologia enim conſultum eſt, ut dogmata eadem iisdem quoque verbis ſeu terminis efferantur, ne aliter ſentire videaris, qui eadem ſentis, & logomachiis nocivis fores pandas: qua in re, etſi lector attentus ſatisque acutus eas evitare potuiſſet, non tamen omni culpa & ipſe cares, quatenus hebetiorum adeoque plurimorum rationem habere potuiſſes ac debuiſſes. Cumque vano licet metu a methodo demonſtrativa ſibi

metuant ejus imperiti adeoque plurimi, & nescio quid periculi veritati hinc imminere opinentur; tanto majore animi sollicitudine cavendum, ne videaris in orthodoxiam peccasse, neque hoc pacto opinionem de periculo veritati a methodo demonstrativa imminentem imperitis, hoc est, plurimis, reddas probabiliorem. Notandum præterea est Theologos in definiendo ut plurimum non satis esse accuratos, cum non in usum demonstrandi definitiones condant, adeoque parum solliciti sint, utrum in definitionibus cumulentur, quæ per se invicem determinantur, nec ne: id quod tamen methodo demonstrativæ e diametro repugnat, quæ requirit definitiones regulis verioris Logicæ ad amussim respondentes, quarum non postrema hæc est, ne definitionem ingrediatur, quod per alia in eadem contenta determinatur, consequenter ex iis demonstrandum. Immo non improbatur Theologis nonnullis, si vel ea omnia, quæ in articulo aliquo de definito demonstranda, definitioni inserantur, ut definitum plenius cognoscatur, & de eo tenen-

tenenda memoriæ facilius imprimantur. Ita definitioni Dei inferunt omnia ejus attributa & operationes: id quod perinde est, ac si in Geometria triangulum definires per figuram planam, circulo inscriptibilem, quæ non modo tribus lineis rectis comprehenditur, sed tres etiam continet angulos duobus rectis æquales, cujus area æqualis est rectangulo ex dimidia basi in altitudinem & quæ usum prorsus insignem habet tum in omni theoria, tum etiam in praxi. Quemadmodum itaque in Geometria triangulum non definitur nisi per figuram planam tribus lateribus terminatam, adeoque non plura sumuntur de eodem, quam quæ sufficiunt ceteris inde demonstrandis, Logica jubente; ita etiam in Theologia in definitionibus sumere non licet, nisi quæ de definito sumi sufficit, ut cetera inde demonstrentur. Secus qui facit, Logicæ ignarum se probat, nec definitionum perspicit usum. Ubi vero definitiones, quæ per regulas Logicæ nomen suum non tuentur, in systema methodo scientifica condendum infert, ipsis statim definitionibus probat, se labo-

ri, quem aggreditur, esse imparem. Etsi autem superfluum videri poterat talia moneri in eorum gratiam, qui methodum demonstrativam ad Theologiam revelatam applicare voluerint, cum vix præsumi possit fore aliquem adeo audacem, ut huic labori humeros submittat, qui methodi scientificæ adeo ignarus est, ut nesciat, quæ de definito ex definitione tanquam principio demonstranda sunt, ea non ingredi debere definitionem; monendum tamen hoc erat in eorum gratiam, qui cum sint methodi hujus imperiti eamque oderint, judicium tamen de eadem sibi sumunt. Hosce enim offendere definitiones, quales methodus demonstrativa requirit & Logica sola probat, propterea quod videntur nimis jejunæ nec definitum satis declarare putantur, ipsemet expertus sum, cum Theologiam naturalem methodo scientifica pertractarem. Ceterum non adeo facile est, ex definitionibus eliminare ea, quæ per alia in eisdem contenta determinantur. Neque enim hoc in multis casibus perspicitur, nisi ubi demonstrationes jam fuerint absolu-

ſolutæ, ut adeo artifex in demonſtrando & multa rerum cognitione inſtructus ſit neceſſe eſt, qui in definiendo ab hoc vitio ſibi cavere voluerit, conſequenter haud raro opus ſit definitiones minus accuratas ex ſequentibus demum demonſtrationibus limari.

§. 11.

Definitiones terminorum agraphorum quatenam demonſtrationes exigant.

Quemadmodum vero in Philoſophia definitionum nominalium demonſtranda eſt realitas, antequam ex iis certo quidpiam veri concludere datur; ita in Theologia revelata demonſtrandum, ea, quæ in definitionibus terminorum ſumuntur, vi Scripturæ ſacræ recte ſumi, conſequenter ens iſtiusmodi dari ex hujus mente, quale definitur & termino, qui definitur, indigitatur. Neque enim ſufficit oſtendiſſe, quod terminis iſtis non alium tribuamus ſignificatum, quam a Theologis ipſis attributus; verum etiam conſtare debet, Theologos non ſapere voluiſſe ultra id, quod ſcriptum eſt, nec finxiſſe a mente Scripturæ ſacræ aliena. Neque hic requirimus, quod non dudum Theologis fuerit probatum.

tum. Ecquis enim ignorat, quod, quando terminum aliquem ἄγραφον definiverunt, ex Scriptura sacra probare conentur, ens istiusmodi, quale definiverunt, dari? Inter terminos agraphos refertur providentia. Enimvero ubi explicavere, quid sit providentia, seu quid hoc nomine compelletur; dari providentiam divinam dictis Scripturæ probant. Idem observare licet de Trinitate & de communicatione Idiomatum. Non jam disquirimus, utrum in definiendo & definiti existentia probanda satisfecerint methodo demonstrativæ, hoc est, verioris Logicæ regulis, nec ne. Nobis enim in præsenti sufficit, ab eorum praxi non abhorrere, quod hic urgemus. Equidem de hisce definitionum demonstrationibus multa moneri poterant, neque enim semper eodem modo procedunt; quoniam tamen in methodo demonstrativa versatus per se videt, quid in hoc vel isto casu fieri conveniat, non opus est, ut hic simus prolixiores, præsertim cum non satis intelligerentur sine exemplis, quæ vero commode non allegantur, nisi ex syste-

ſyſtemate methodo ſcientifica adornato petantur. Id unum notaſſe ſufficit, quod demonſtrationes, de quibus hic nobis ſermo eſt, non differant a demonſtrationibus, quibus realitas definitionum nominalium evincitur in Philoſophia, niſi in eo, quod principia demonſtrandi petantur ex Scriptura ſacra, quemadmodum in hiſce utimur principiis rationis vel experientiæ.

§. 12.

Propoſitiones quæ expreſſis verbis non continentur in Scriptura ſacra quomodo reperiantur.

Quod attinet propoſitiones, quæ expreſſis verbis non extant in Scriptura ſacra, ſed per conſequentiam ex eadem deducuntur; has reperire licet, ſi ex propoſitionibus, quæ per dicta Scripturæ demonſtratæ fuerunt, ratiociniis legitimis rite inter ſe concatenatis, quemadmodum jubet methodus demonſtrativa, tanquam ex principiis inferantur concluſiones, adeoque ex Scriptura ſacra eruuntur vi demonſtrationis, ſumtis ſcilicet iis, quæ docet Scriptura ſacra. Nihil hic occurrit, quam quod in Philoſophia obtinet, ubi ex propoſitionibus antea demonſtratis eruuntur aliæ nondum cogni-

gnitæ vi demonstrationum ex iis tanquam principiis contextarum. Quodsi ergo in methodo demonstrativa fueris versatus, nihil hic difficultatis deprehendes. Et quo magis fueris exercitatus in propositionibus aliis ex aliis jam demonstratis deducendis, eo etiam felicius hic progredi dabitur. Qui vero observaverit, quæ hactenus a nobis inculcata fuerunt, facile in Scriptis Theologorum distinguet propositiones nonnisi per consequentiam ex Scriptura eruendas ab iis, quæ per dicta Scripturæ immediate probari possunt, sit ita quod Autor systematis, quo in suo adornando utitur, per alias probaverit, quæ per dicta Scripturæ immediate probari poterant. Etsi autem certitudini fidei non derogetur, ubi per alias propositiones autoritate Scripturæ stabilitas probatur, quod per dicta Scripturæ immediate probari poterat; nobis tamen magis arridet, ne hoc fiat temere, ut evidenter pateat, quænam disertis verbis doceat Scriptura, & quænam nonnisi per consequentiam ex eadem deducantur. Quæ porro hic notanda veniunt, ea annotabimus

mus paulo post, quando de dogmatis theologicis in ordinem redigendis agemus.

§. 13.

Hactenus ostendimus, quænam de definitionibus ac propositionibus condendis observanda sint, ut dogmata theologica penitus intelligantur & accurate enuncientur. Restat ut dicamus, quo ordine singulæ se invicem excipere debeant, & quomodo connectendæ sint, ut systema veri nominis constituant. Patet hoc per leges methodi scientificæ generales alibi (*i*) expositas; nimirum ut definitiones, quarum definita ingrediuntur definitiones alias, præcedant, eæ autem, in quas illa ingrediuntur, sequantur ac similiter propositiones, quæ ingrediuntur demonstrationes aliarum, ponantur loco priore, hæ autem, quæ per illas demonstrantur, iisdem subordinentur, quemadmodum factum esse videmus cum in Scriptis Mathematicorum, tum in operibus nostris philosophicis, quæ hactenus publicæ luci exposuimus & in

Ordo definitionum & propositionum.

(*i*) *In Disc. prælim. de Philosophia in genere c. 4. §. 119. 120.*

in posterum, quamdiu Deo visum fuerit, continuaturi sumus. Qui ergo methodum scientificam cognitam habet atque perspectam, ejusque usum potestati suæ subjecit, quod utrumque supponendum est in eo, qui systema Theologiæ revelatæ methodo scientifica condere audet; is nihil difficultatis sentiet, præsertim ubi jam satisfecerit monitis anterioribus. Nuda definitionum collatio patefacit, quarum una præsupponit alteram, & ad circulum in definiendo vitandum sufficit. Propositiones vero quænam alias præcedere, quænam sequi debeant, vix constare potest, antequam earundem demonstrationes tentes, per quas mutua ipsarum a se invicem dependentia innotescit.

§. 14.

Circa articulos mixtos quænam in specie observanda.

Quoniam systema Theologiæ naturalis non confundendum esse jam diximus (§.8.) cum systemate Theologiæ revelatæ, adeoque propositiones, quas Theologia revelata cum naturali communes habet, non per se invicem, quem-

quemadmodum in Theologia naturali fieri ſolet, ſeu una ex aliis anterioribus, ſed per dicta Scripturæ demonſtrandæ ſunt; non multam quoad haſce ſcrupoloſitatem exigit ordo, rebus magis, quam modo cognoſcendi accommodandus, quemadmodum vulgo fieri ſuevit. Neque enim hic certitudo dependet ab evidentia rationis, quemadmodum in Philoſophia & Matheſi, ſed ab autoritate Dei dicentis, in quam tota reſolvitur. Aſſenſus enim non ſcientiæ, ſed fidei eſt. Nimirum quæ tanquam vera admittimus in Theologia naturali, quia ea ſcimus; eadem tanquam vera amplectimur in Theologia revelata, quia ea credimus fidem habentes Deo ea aſſerenti. Vides adeo, qui Theologiam naturalem cum revelata confundunt, & in hac articulos mixtos ex principiis rationis demonſtrant, ſcientiam cum fide confundere & ſcire tantummodo velle, quæ credere debebant. Abſit autem, ut tibi perſuadeas, nos propterea velle, ut Theologia naturalis negligatur. Etenim id tantum urgemus, ut & ſcias, & credas, quæ ſimul ſciri & credi poſſunt.

sunt. Scire est Philosophi, credere Christiani. Non vero convenit te ita esse Philosophum, ut aliqua ex parte desinas esse Christianus, quemadmodum nec necesse est, ut Philosophus esse nolis, quo Christianus sis. Cum Philosophia quoad articulos mixtos consentiat cum Theologia revelata, nil obstat, quo minus idem sit Philosophus, qui Christianus est, scientiam cum fide copulans. Absit, ut fides aliquid detrimenti patiatur ex scientia! Absit vero etiam, ne fides capiat ex scientia nutrimentum! Illud obtinet, si, quæ per dicta Scripturæ demonstranda erant, per principia rationis demonstrantur, hoc est, demonstrationes Theologiæ naturalis in Theologiam revelatam inferuntur, neglectis domesticis; hoc vero consequeris si & Theologiæ naturali, & revelatæ suæ relinquantur demonstrationes: ita enim assensus, quem resolvis in autoritatem Dei, roboratur per assensum, qui nititur evidentia rationis, utroque in unum coalescente, & sic fides ex scientia incrementum capit. Immo hoc conveniens est officio hominis erga Deum, quod

]uod omnium facultatum nostrarum
n Deo cognoscendo usum exigit. No-
trum jam non est dicere disertius de
ısu, quem Theologia naturalis affert
ıomini Christiano veritatem eorum,
]uæ in ea traduntur, per Scripturam
am edocto: alias haud pauca addi po-
erant connubium scientiæ cum fide
:ommendatura.

§. 15.

Articulorum purorum alia longe est
atio. Eos ita ordinandos esse existi-
no, ut dogmata sequentia ex aliis an-
erioribus demonstrentur eodem pror-
us modo, quo in Theologia naturali
ıropositiones sequentes demonstran-
ur a nobis ex antecedentibus. Harum
deo propositionum duplex affertur
lemonstratio, siquidem in earum nu-
nero sunt, quæ expressis verbis con-
inentur in Scriptura sacra. Una enim
llarum evincitur, eas esse menti Scri-
ıturæ ex asse conformes, sive signifi-
atum vocabulorum seu terminorum,
ive determinationes spectes adjectas:
ltera vero ostenditur, quod cum aliis
logmatis ita connectantur, ut earum
ratio

Circa articulos puros quænam in specie notanda.

ratio ex illis a priori reddi possit, ac ideo intelligantur veræ, quia illa vera esse cognovisti, seu quod perinde est, ut unum credatur dogma propter alterum. Duplex adeo hic assensus est, quem eidem dogmati præbemus & in quo actus fidei consistit. Prima demonstratio assensum parit unice ob autoritatem Dei hoc asserentis; altera vero assensum urget ob evidentiam rationis, qua perspicitur nexus cum veritatibus aliis, quæ fide divina tenentur. Quoniam vero assensui huic posteriori locus non est, nisi prior supponatur, adeoque posterior nonnisi ad priorem accedat; ratio dicitur illuminata, cujus est perspicere nexum veritatum revelatarum, quas sine illuminatione agnoscere non licet. Assensus autem unitus fortior omnino est simplici, adeoque fides per demonstrationes posteriores roboratur. Articulos itaque puros in ordinem redacturus juxta earundem a se invicem dependentiam, primo omnium loco inquirere tenetur, quomodo ratio unius in altero contineatur, ut scilicet per hunc intelligat, cur esse debeat quod

quod illo affirmatur. Ita ex lapſu Protoplaſtorum & conſecuta inde miſeria generis humani non modo intelligitur, quod redemtore opus habuerit, verum etiam quali indiguerit redemtore. Quamobrem patet ante agendum eſſe de lapſu Protoplaſtorum & miſeria humana inde conſecuta, quam de redemptione per Chriſtum facta. Similiter ratio ſanctificationis redditur ex redemtione per Chriſtum facta. De hac igitur ante agendum, quam ad illam demonſtrandum accedas. Idem etiam tenendum de ſingulis propoſitionibus ad eundem articulum generalem referendis. Quodſi enim aliqua ſaltem ex parte perſpicis dependentiam veritatum revelatarum a ſe invicem, ubi ipſas demonſtrationes tentaveris, haud difficulter animadvertes, quinam unicuique propoſitioni conveniat locus. Demonſtratio nimirum aperte loquitur, quibusnam propoſitionibus tanquam principiis demonſtrandi utendum ſit, hæ vero omnes præcedere debent, ne circulum forſan in demonſtrando committas. Quemadmodum vero in omni ſcientiarum gene-

genere accidit, ut, si præpositiones in eum ordinem redigere volueris, quem requirit sequentium per antecedentes demonstratio, non omnes de eodem subjecto agentes eodem loco collocari possint; ita idem observabis in Theologia revelata. Quamobrem consultum est, ne articuli generales, per totidem capita disponendi, nimis multiplicentur, nec nimis etiam anxius esse debes, ut omnes propositiones ad eundem articulum generalem pertinentes, si ex objecto desumitur judicium, de quo in capite agitur, in eodem præcise capite compareant: genuinus enim cuivis propositioni locus est in eo capite, in quo ex propositionibus anterioribus systematis demonstrari potest. Ordinem hunc qui reprehendit, quid sit ordo systemati, quod veritates omnes inter se connexas exhibet, conveniens non intelligit. Censura vero ignorantis cum nulla sit, pro nulla etiam habenda meritoque contemnitur. Non omnia vero dogmata pura ex aliis tanquam se prioribus demonstrari posse, ipsa demonstrationis forma loquitur. In omni scien-

ſcientiarum genere principia quædam demonſtrandi prima ſumi debent, ut per ea cetera demonſtrari poſſint. Hinc *Euclides* theorematis & problematis præmittit axiomata & poſtulata, quæ ſumit, non demonſtrat. Dogmata igitur quædam ſumenda ſunt, ut cetera ex iis demonſtrari poſſint. Non tamen ſumenda ſunt pro arbitrio; ſed quia Scriptura ſacra continentur. Axiomatum a deo locum tenent in Theologia revelata propoſitiones, quas tantummodo menti Scripturæ conformes demonſtrare licet, quarum vero veritas per alias eidem conſentaneas evinci nequit. Omnis demonſtratio ſupponit, poſito uno neceſſario poni alterum, ſcilicet quod, ſi illud eſt, etiam hoc ſit, atque adeo ratio, quod hoc ſit, continetur præciſe in eo, quod alia ſint. Notandum vero dari etiam rationem, per quam intelligitur, cur quid ſit, ubi ſupponitur, quod ſit, etſi per eandem non appareat, quod ſit: id quod etiam in Philoſophia naturali obtinet, ubi plurimorum phænomenorum, de quorum exiſtentia experientia nos certos reddit, rationem da-

mus per ea, quæ ad eorum existentiam probandam minime sufficiunt. Quamvis itaque ex aliis dogmatis anterioribus demonstrari nequeat in Theologia revelata, quod dogma quoddam aliud sit verum, seu quod subjecto prædicatum sit tribuendum; dari tamen adhuc potest ratio, cur prædicatum subjecto conveniat. Hinc propositionum, quæ instar axiomatum sumuntur ad demonstranda alia dogmata pura, reddi subinde possunt rationes, per quas intelligitur, cur prædicatum tribuendum sit subjecto. E. gr. Decretum redemtionis sumendum est autoritate Scripturæ atque adeo propositio, qua idem tribuitur Deo, axiomatis vicem tuetur in Theologia revelata. Hoc tamen non obstante, rationes ab attributis reddere licet, cur Deus genus humanum redimere decreverit. Hasce igitur rationes aut in scholio propositioni indemonstrabili adjecto annotari convenit, aut formandæ sunt propositiones aliæ demonstrabiles veluti in exemplo dato, quod Deum deceat decretum redemtionis: id quod ex attributis divi-

ni

nis demonſtrare licet. Methodi de-
monſtrativæ gnarus ubi in rem præ-
ſentem venit, quid fieri debeat, ne ri-
gori demonſtrandi quid decedat, per
ſe haud difficulter judicabit. Qui vero
methodum demonſtrativam in pote-
ſtate plena nondum habet, ei parum
profuerit regularum, quibus obruitur,
multitudo. Dedimus exemplum, ubi
ratio reddi poteſt, cur quid ſit, etſi
demonſtrari nequeat, quod ſit, a prio-
ri ſcilicet. Sed ecce tibi exemplum
aliud, in quo idem non ſuccedit. Ex
aliis dogmatis demonſtrari nequit,
quod detur Trinitas, adeoque articu-
lus de Trinitate ſumendus, ubi de al-
tero demonſtrationum genere ſermo
eſt, cum quo nobis in præſenti nego-
tium eſt. Enimvero ex attributis divi-
nis nulla reddi poteſt ratio, cur ſit Tri-
unus. Qui eam reddere voluerunt,
quod detur Trinitas, ſibi demonſtran-
dum ſumſerunt, cumque illam redde-
re voluerint ex attributis divinis na-
tura etiam nobis cognitis, ſeu in Theo-
logia naturali demonſtratis, Trinita-
tem ex principiis rationis demonſtra-
ri dogma de eadem inter articulos

 mix-

mixtos ausu minime probando retulerunt.

§. 16.

Corpus Doctrinæ Christianæ quo sensu dici mereatur.

Quodsi Theologia revelata in hunc ordinem redigatur, ut dogmatum a se invicem dependentia manifesto appareat; Corpus prodit Doctrinæ Christianæ, quod jure hoc nomen suum tuetur. Quemadmodum enim in corpore humano & organico quovis alio singulæ partes ita inter se cohærent & eo collocantur ordine, quo a se invicem in usu suo dependent; ita quoque in systemate Theologiæ revelatæ methodo scientifica condito veritates singulæ inter se connexæ sunt & eo ordine collocantur, quo una ab aliis tanquam se prioribus dependet. Si Anatomicus sectione quam accuratissime administrata singulas partes a se invicem separavit & quæ ejusdem speciei sunt, eidem loculamento indidit; non amplius corpus humanum, sed omnes ejus tantummodo partes asservat in certis loculamentis ita repositas, ut earum quamlibet facile reperire possit. Eodem modo si quis tollit nexum veritatum revelatarum, nonnisi beneficio metho-

methodi demonstrativæ in apricum penitus producendum, & veritates tantummodo singulas, quasi nulla ab altera dependeret, ad articulos quosdam generales totidem capitibus comprehensos reducit; is non amplius ulla veri similitudine dici potest habere corpus doctrinæ christianæ, cum tantummodo habeat corporis hujus partes in certas classes redactas & memoriæ causa per certa capita distributas. Equidem nemini litem intendam, quod corpus doctrinæ christianæ appellet librum theologicum, in quo non prima ejus saltem rudimenta traduntur, sed dogmata omnia coacervantur, cum unicuique integrum sit vocabulis pro arbitrio tribuere significatum, quibus libri sui titulum constare vult; id tamen contendo, si ob quandam similitudinem cum corpore humano aut organico quodam alio liber Theologiam revelatam complexus corpus doctrinæ christianæ dici debeat, hoc nomen non convenire nisi systemati methodo scientifica condito. Neque vero est, quod objicias, corpus non fore integrum, si articuli mixti tantummodo

per Scripturæ verba probentur, non vero concatenatis demonſtrationibus inter ſe connectantur, quemadmodum ſupra inculcavimus (§. 14.). Etenim articuli puri, qui proprie veritatum revelatarum nomine ſignificantur, proprium quoddam conſtituunt corpus doctrinæ, quemadmodum mixti. Unde corpus doctrinæ chriſtianæ conditurus non opus habes, ut ea inter ſe connectas, quibus tanquam principiis uteris in connectendis articulis puris.

§. 17.

An nexus veritatum in Theologia revelata deficiat, ſi mixta non demonſtrentur per ſe invicem.

Articuli mixti, qui expreſſis verbis in Scriptura ſacra docentur, reſpectu veritatum pure revelatarum ſeu articulorum purorum in ſyſtema redigendorum & inter ſe connectendorum ſpectantur tanquam axiomata, quæ ob autoritatem Scripturæ ſumuntur, non demonſtrantur demum ex principiis rationis, ne fides cum ſcientia confundatur (§. 14.). Quoniam itaque axiomata ex ſyſtemate exulare nequeunt, cum in principiorum demonſtrandi primorum numero cum definitionibus ſint, & cum ceteris veritatibus

tibus connectuntur, quatenus ingrediuntur demonstrationes earundem per modum præmissarum in ratiociniis; articuli quoque mixti, etsi eorum demonstrationes exulent ex Theologia revelata, quæ naturali domesticæ sunt, suum tamen in eadem locum tuentur, quem fides ipsis tribuit, & cum articulis puris connectuntur, dum in hisce demonstrandis iisdem utimur. Non igitur corpus doctrinæ christianæ, quod veriori diximus nomine (§. 16.), pro mutilo habendum, quod articuli mixti, quorum nexus ad Theologiam naturalem spectat, in eodem non eodem modo inter se connectantur, quo puri. Si quis methodi demonstrativæ fuerit gnarus, is satis perspiciet, nexui veritatum theologicarum nihil decedere, quod in Theologia revelata mixti spectentur quasi indemonstrabiles. Neque vero hinc inferre licet, quod articuli mixti ex Theologia revelata sint prorsus eximendi & tanquam cogniti ex Theologia naturali supponendi. Etenim paulo ante (§. 14.) jam ostendimus, Christianum non minus articulos mixtos, quam

puros credere debere. Quamobrem non sufficit, eos in Theologia naturali demonstratos esse, ut sciamus, quod sint veri; verum etiam in Theologia revelata ostendendum, quod sint menti Scripturæ conformes, ut credamus eos esse veros.

§. 18.

Quid conferat ad fidem roborandam methodus demonstrativa.

Enimvero hinc inferre minime licet, quod etiam sufficiat ostendisse, articulos puros esse menti Scripturæ conformes, neque adeo opus sit, ut alii ex aliis a priori demonstrentur, quia articuli puri tantummodo credi debent. Tenendum enim, methodum demonstrativam articulis puris applicatam roborare fidem. Nimirum si articuli puri methodo scientifica digerantur, eorum nexus apparet, qui absque ea minime perspicitur. Nexus hic placet intelligenti ejusque adeo animum insigni voluptate perfundit. Voluptas vero hæc influit in assensum eumque reddit magis immotum, ut scrupuli animo injecti nihil adversus eum valeant, multoque minus hunc ab eo retrahere possint. Quamvis enim appetitus non influere debet in determina-

minationem aſſenſus, ne pro vero habeas, de cujus veritate nondum convictus es; ejus tamen in aſſenſum jam determinatum influxus minime damnandus, cum non alius ſit ejus effectus, quam ut veritatem, cujus jam convictus es, ames & ne ejus jacturam facias, cures. Hoc vero fidei incrementum non naturæ tribui debet, quod methodi ſcientificæ fructus videatur. Etenim nexus articulorum purorum ineſt iisdem per ſe, divinæ adeo originis, quemadmodum veritates revelatæ ipſæ. Methodus ſcientifica eundem non efficit, ſed tantum patefacit, adeoque nonniſi ad intimiorem veritatum revelatarum cognitionem nos deducit. Methodi ſcientificæ applicatio conſiſtit in recto uſu operationum intellectus, quem intimior veritatis cognitio exigit. Quis vero dixerit, in veritatibus revelatis agnoſcendis nos nullum facere debere operationum intellectus uſum, ne fides noſtra ſit opus naturæ? Qui adeo non damnat facultatum noſtrarum uſum in eruendo verborum Scripturæ ſenſu & operationibus intellectus locum

concedit in veritatibus per consequentiam ex Scriptura eruendis, nec propterea veretur, ne fides nostra viribus naturæ tribuatur; is nec damnare potest methodi scientificæ ad veritatum revelatarum demonstrationes concinnandas applicationem, ne incrementum fidei naturæ viribus adscribatur. Nullum profecto fidei incrementum naturæ viribus acceptum refertur, etsi absque methodo scientifica non acquiratur. Cum enim veritates revelatæ singulæ extra nexum cum aliis habeantur pro veris ob autoritatem Dei eas in Scriptura sacra nobis manifestantis, nexus, qui inter eas ope methodi demonstrativæ detegitur, tanquam nexus veritatum admittitur ob eandem autoritatem Dei, adeoque non minus creditur, quam veritates ipsæ creduntur. Pone hominem, qui autoritatem divinam Scripturæ sacræ rejicit: idem nec veritates revelatas pro veris habebit, etiamsi convincatur eas esse Scripturæ sacræ conformes, nec earundem nexum agnoscet nexum veritatum, cum certum sit errores etiam inter se connexos esse, ut unus ex aliis

eodem

eotem prorſus modo deduci poſſit, quo veritas una ex aliis vi demonſtrationis deducitur. Atque adeo ſatis liquet, nihil quoad fidem hic tribui naturæ, quod gratiæ erat tribuendum.

§. 19.

Principia demonſtrandi in Theologia revelata.

In Theologia revelata non modo demonſtrandum eſt, propoſitionem quamlibet eſſe menti Scripturæ ſacræ conformem, quæ per dicta ejus probatur (§. 8. 15.); verum etiam articulorum purorum ut appareat nexus, aliæ ex aliis demonſtrandæ (§. 15.), & ubi ex propoſitionibus, quarum veritas hoc modo adſtructa eſt, aliæ per conſequentiam deducendæ, per ſe patet, quod eodem modo demonſtrandæ ſint, quo in Matheſi & Philoſophia propoſitiones ſingulæ demonſtrantur. Enimvero quælibet demonſtratio exigit principia, ſine quibus nulla conditur (*k*). Quæritur itaque qualia in Theologia revelata principia demonſtrandi admittantur. Equidem propoſitiones, quæ expreſſis verbis in Scri-

(*k*) §. 551.) & *ſeqq. Log.*)

Scriptura ſacra inculcantur, & definitiones terminorum in eadem occurrentium, adhibendæ ſunt inſtar principiorum, ubi propoſitiones alias ex aliis demonſtrare volueris, cum omnia quæ hic demonſtrantur, credenda ſint, adeoque in autoritatem Scripturæ omnis tandem reſolvi debeat aſſenſus; non tamen hæ ſolæ ſufficientia principia ſunt, quibus omnis ratiocinatio in Theologia abſolvitur, ſed ubivis utendum quoque eſt principiis philoſophicis, ſive propoſitionis cum mente Scripturæ conformitas, ſive conſenſus cum ceteris demonſtratur. Quamobrem Theologia revelata ſupponit Philoſophiam methodo ſcientifica pertractatam, antequam eandem methodum ad ipſam transferre poſſis. Methodus enim demonſtrativa non permittit ſumi principium ad demonſtrandam propoſitionem aliquam, quod nondum ipſum demonſtratum eſt, nec in indemonſtrabilium numero continetur. Eidem adeo contrariatur, ſi ſumantur principia philoſophica in demonſtrationibus theologicis, quæ nondum demonſtrata ſunt. Immo periculum

riculoſus eſt uſus principiorum philoſophicorum nondum demonſtratorum in Theologia. Quodſi enim contingat, ea eſſe falſa, quod vi illorum colligitur, veritati conſentaneum non eſt. Verendum igitur ſemper, quamdiu veritatis principiorum philoſophicorum convictus non es, ne menti Scripturæ ſacræ non ſit conſentaneum, quod eidem convenire vi illorum concludis, & ne veritatibus aliis repugnet, quod cum iisdem neceſſario connecti vi illorum colligis. Quoniam itaque uſus principiorum Philoſophiæ in Theologia in dubium minime revocatur; fatendum quoque eſt, e re Theologiæ revelatæ eſſe, ut Philoſophia methodo ſcientifica pertractetur. Vanus adeo eſt illorum metus, qui verentur, ne quid inde damni ferat religio Chriſtiana. Quodſi principia philoſophica, quibus uteris tum in vero Scripturæ ſacræ ſenſu eruendo, tum in concluſionibus inde inferendis, tum in quibusque demonſtrationibus theologicis, non fuerint certa, incertitudini quoque obnoxius ſit ſenſus Scripturæ ſacræ, eidem obnoxia fiunt

fiunt dogmata theologica. Atque hinc periculum imminet religioni christianæ, cum facile contingat eos, qui incertitudinem istam animadvertunt, Theologiam revelatam vel contemnere, vel saltem negligere.

§. 20.

Cur de usu Theologiæ revelatæ methodo demonstrativa digestæ in præsenti non dicatur.

Erunt forsan haud pauci, qui existimaturi, nos methodo scientifica in Theologia revelata carere posse, quæ tamdiu exulavit ex eadem. Atque adeo apprime necessarium videri poterat, ut utilitatem hujus instituti ostenderemus. Enimvero cum prolixior foret tractatio, quam quæ hic locum habere poterat, præstat silere, quam quæ non sufficiunt, dicere, præsertim cum nobis propositum in præsenti non fuerit methodum scientificam commendare, quæ in Theologiam revelatam introducatur; sed tantummodo docere, quænam ei observanda sint, qui cum ejus utilitatem agnoscat, eadem in adornando systemate Theologiæ revelatæ uti decrevit.

III.

PROGRAMMA.

De obligatione Ministrorum Ecclesiæ, qua tenentur ad docendum populum exemplo suo.

Obligatio docendi alios exemplo suo stabilita in genere.

NOn una homini obligatio est ad actiones suas voluntati divinæ conformandas. Vulgo non satis agnoscitur, unumquemque obligari ad docendum alios suo exemplo, quomodo actiones ad normam legis divinæ sint componendæ, & præbendum aliis bene agendi motiva, etsi obligatio hæc non postrema pars sit justitiæ universalis, quam olim recte urgebat *Aristoteles*, sed parum intellexerunt interpretes, quemadmodum in Horis Subsecivis Marburgensibus me monuisse memini, cum in notionem justitiæ JCtis Romanis familiarem inquirerem. Urget eam ipse Servator optimus, genuinus Juris Naturæ Doctor, Matth. V, 16. his verbis: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Nec rationi ignota eadem est. Cum enim unusquisque ad alterius perfectionem conferre teneatur,

neatur, quicquid a se proficisci potest; ecquis dubitet, nos obligari ad docendum alios exemplo nostro, quid fieri ab homine debeat & ad excitandum alios, ut nobiscum in stadio virtutis contendant. Virtutes nimirum sunt, quæ naturam mentis humanæ perficiunt; sicuti ex adverso vitia eandem continuo imperfectiorem reddunt. Enimvero quemadmodum obligationes generales, quæ universum tangunt genus humanum, in certis subjectis ob rationes speciales novum quoddam robur acquirunt, quo aliis magis devinciuntur; ita quoque ea, de qua jam nobis sermo est, eadem de causa arctius tenet Ecclesiæ Ministros. Horum enim est docere populum: ipsum autem docendi munus, quod in Ecclesia eis demandatum est, exigit, ut omnem virtutem christianam exemplo suo doceant. Necesse nimirum est, ut ideas virtutum animis suorum auditorum ingenerent, quas intuentes intelligant, quid virtutis, quid laudis sit, ne sibi virtutem consecuti videantur, a qua tamen longissimo intervallo adhuc absunt. Impossibile autem est,

Quod peculiari ratione teneat Ministros Ecclesiæ.

eſt, ut ideæ lucidæ virtutum ſolis verbis cum eo communicentur, qui animum iis adhuc vacuum habet. Ad virtutem ſingularis quædam agendi promptitudo requiritur, quam non capit, niſi qui eam vel in ſeipſo, vel in aliis intuetur. Eadem ſingularem quandam ſinceritatem exigit, actionum externarum cum internis conſummatiſſimum conſenſum, quem vultus, geſtus, vox & verba veritate magiſtra ſelecta loquuntur. In ſingulis apparet, quod verbis ægre deſcribitur, ut intelligatur, ſenſu autem perceptum fulgore ſuo mentem percellit. Hac de cauſa jam olim magnus ille Sinarum philoſophus *Confucius* neminem ad docendam philoſophiam aptum judicabat, niſi qui ea, quæ alios docere debet, in ſemetipſo expertus factis oſtendere poſſet, quod verbis exprimere minime valeret. Comitatur præterea virtutem ſingularis animi lætitia, quæ, quoties recte ac bene factorum memineris, eum ſuaviſſima quadam dulcedine demulcet, atque in vultum, geſtus, vocem ac ſermonem ita influit, ut ſingulis

Exemplum quam vim afferat verbis docentis.

vim quandam prorsus singularem infundat mentem aliorum ad assensum alliciendi & ad appetitum stimulandi. De vi ista loquuntur Præcones verbi divini, quorum probata est pietas, quando ad cor penetrare affirmant, quod e corde procedit. Lætitia illa totum immutans hominem, ut diversus a seipso videatur, in causa est, ut eadem verba a duobus prolata non sint eadem, nec in calamum conjecta eadem permaneant, ubi eorundem efficaciam in animos audientium spectes. Inde est, quod sermo unius attentionem auditorum excitet, conservet & augeat; verba vero alterius eandem fatigent. Lætitiæ hujus sensus efficax est in eorum animis, quibus infunditur. Certissimum enim præbet sinceritatis illius indicium, sine qua virtus ab omni fuco nondum purgata deprehenditur, modo illam per tranquillitatem ejusdem individuam comitem, ex mutatione vultus, gestuum ac vocis verborumque, quibus sermo constat, provido selectu observabilem, ab illa lætitia distinguere

re noveris, quæ ex fonte minus limpido ſcaturiens vitii quidpiam admixtum habet. Tranquillitas iſta peculiarem naturam induit in animo hominis chriſtiani. Dum enim imperfectionis ſuorum operum ſibi intime conſcius eſt, triſtitia perfunditur animus, quæ ideo ſingulare quid habet, quod vi amoris Dei ob beneficia in Chriſto nobis exhibita invaleſcentis ea perfectiſſima eſſe mallet, deſiderio perfectionis contra impotentiam insurgente. Triſtitia iſta quaſi deprimuntur, quæ lætitia veluti in altum tolluntur, ut adeo abſit, quicquid alias indomiti in hoc affectu obſervatur. Hoc pacto gaudium, utut effuſum, tranquillum efficitur. Enimvero quando jam porro homo chriſtianus perſuaſiſſimus eſt, opera ſua imperfecta per obedientiam Salvatoris perfectiſſimam perfecta reddi ac per ſatisfactionem ejusdem a reatu adhærente purgari, ut Deo per fidem cum Chriſto unitum intuenti placeant; voto ſuo jam compos factus hilaritate perfunditur, ut anxii deſiderii inquietudo tranquillita- *Quid hic ſingulare obtineat in homine Chriſtiano.*

tem turbatura sedetur & amore Dei benefactoris, in benignitate abyssos sapientiæ revelantis, lætitia virtutis comes propria sibi acquirat blandimenta. Omnes istæ perceptiones atque appetitus in unum confusi, ut paucissimis eos a se invicem separare datum sit, in vultu, gestu, voce ac sermone singulare quid spirant, quod sensu facile percipitur, distincte autem difficillime explicatur. Notandum præterea est fidum Ecclesiæ Ministrum exemplo suo permovere homines, quorum salus curæ ipsius committitur, ut idem sequantur. Sane quemadmodum olim Sinarum Imperatores suo exemplo obligandi subditos ad obedientiam medium omnium optimum esse judicabant; ita ego præstantius quid a Præcone verbi divini fieri non posse reperio, quam si auditores suos factis magis, quam verbis docet, præsertim cum hic docendi modus tanto efficacior deprehendatur, quanto intensior esse solet amor ejus, qui factis magis, quam verbis docet. Abunde igitur perspicitur, quam prægnantes sint rationes,

Effectus exempli Ministri Ecclesiæ.

cur

cur Ecclesiæ Minister præ ceteris hominibus obligetur, ut exemplo suo prosit aliis, quamvis eas non omnes recensuerimus odium mali silentio prætereuntes, quod in peccatis reprehendendis mirificæ efficaciæ deprehenditur, atque ceteras, de quibus diximus, magis indicaverimus, quam explicaverimus. Specialem hanc obligationem, quæ Ministrorum Ecclesiæ est, urget Apostolus 1. Petr. V, 3. dum eos populo, quem docere debent, exemplo esse jubet. Immo ipse Christus eundem ipso facto docuit: cum enim in his terris Doctoris quoque munere fungeretur, quod officium propheticum appellare solent Theologi, omni Doctoris fidelis obligationi adeo satisfecit, ut, dum personam Sacerdotis tuebatur, suo tamen exemplo simul doceret 1. Petr. II. 21. Vestigia ejus legerunt Apostoli, Auditores suos ad exemplum, quod ipsis præbeant, relegantes Phil. III. 17. 2. Thess. III. 9. Felicem merito prædicamus eam Ecclesiam, cujus Ministri non solum verbis, verum etiam factis docent, horumque

Quod obligationem præsentem urgeat S. S.

que jacturam merito magni facimus. Habet igitur quod lugeat Ecclesia Evangelico - Lutherana hujus loci, quod præmatura morte ipsi ereptus fuerit Vir maxime Reverendus atque doctissimus, *Dn. Joannes Dietericus Schmidius*, Hassiæ Superioris Superintendens & Consistorii Assessor gravissimus, verbi Divini Præco disertissimus, qui per annos complures verbis & factis docuit. Ex honesto toro natus fuit in hac urbe A. 1673. d. 9. Novembris st. v. nec pater ejus, *Joannes Michael Schmidt*, civis ac scriniarius industrius, quicquam prætermisit, quod ad ejus educationem conferre poterat, matre *Elisabetha*, filia *Antonii Kolbii*, viri senatorii ordinis, salutaribus consiliis filiolum regente. A. 1678. & sequentibus in Schola Lutherana publica primis literarum elementis ac principiis religionis christianæ cum imbutus esset, ab Anno 1681. institutione domestica usus in ædibus viri amplissimi *Eberti*, in curia communi Hassiaca Consiliarii, donec A. 1685. illustri Pædagogio, quod hic floret, traditus industriam suam

Vita curriculum Superintendentis Marburgensis.

tanto

tanto ſucceſſu exerceret, ut A. 1691. d. 27. Martii dignus judicaretur, qui ad lectiones publicas dimitteretur. In numerum igitur civium academicorum relatus eſt Magnifico tunc temporis Rectore *Tilemanno* dicto *Schenck*, S. S. Theologiæ Profeſſore, & eam, quam Præceptoribus claſſicis probaverat, diligentiam, nunc Profeſſoribus hujus Academiæ meritiſſimis probare cœpit. Uſus autem eſt *Ottonis* & *Brandii* opera in Logica & Phyſica, *Maji* in Hebraicis, *Riemſchneideri* in Moralibus. Ad ſtudium theologicum propius acceſſurus Metaphyſicæ operam navavit, duce viro plurimum Reverendo *Buſchio*, Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ Paſtore primario, cujus etiam commendatione effectum eſt, ut eum A. 1693. poſt mortem patris chariſſimi liberis ſuis informatorem præficeret vir Generoſiſſimus *Wilhelmus Hartmannus de Meiſſenbugk*, rei foreſtalis præfectus ſupremus. In theologicis duces ſibi elegit Theologos eximios, Viros maxime Reverendos *Fennerum* & *Schvvartzenavium*, S. S. Theologiæ Doctores,

quorum ille postea Hassiæ superioris Superintendens, hic vero Professor Theologiæ in vicina Academia Giessensi factus est. Ad ministerium ecclesiasticum bene præparatus A. 1703. ad Diaconatum Kirchhainensem, ac postea A. 1715. ad Marburgensem vocatus est, cui cum per quindecim fere annos tanta dexteritate præfuisset, ut omnium animos sibi conciliasset, singulari exemplo A. 1730. munus Superintendentis Hassiæ superioris in ipsum collatum fuit. Sed exiguo Eheu! temporis spatio in tanta dignitate constitutus fuit vir de Ecclesia hujus loci meritissimus: etenim die quinta Martii ab hora quinta pomeridiana viribus corporis antea vegeti morbi inclementia consumtis animam Deo placide reddidit natus annos 58. menses 3. ac hebdomades 2. Mœstissimam reliquit conjugem per 29. annorum matrimonium sibi dilectissimam, *Barbaram Gertrudam*, Viri quondam plurimum Reverendi *Joannis Justi Buschii*, in templo parochiali Lutherano Pastoris primarii, nec non Pastoris in templo Ordinis Teutonici, filiam

filiam natu majorem, quam tori sociam adſcivit Anno 1703. Ex hoc matrimonio filios quinque, filias quatuor ſuſcepit; ſuperſtites vero relinquit filium nonniſi unicum & filias tres. Lugent obitum conjugis deſideratiſſimi, patris dilectiſſimi, Præconis verbi divini diſſertiſſimi, Superintendentis graviſſimi, vidua, liberi, auditores, totus Haſſiæ ſuperioris Clerus Evangelico-Lutheranus. Meretur ſane Vir de eccleſia optime meritus, cujus memoria Marburgenſibus ſemper ſancta futura, ut obitum lugeant boni omnes. Ducetur funus a meridie hora prima & exequiæ ritu ſolemni celebrabuntur in templo parochiali, quibus ut Vos, Generoſiſſimi ac Nobiliſſimi Cives, frequenter intereſſe haud dedignemini ea, qua par eſt, humanitate rogamus. Agedum vero! Doceamus & nos alios factis, etſi noſtrum non ſit docere verbis, ut, quando ſupremo rerum Arbitro viſum fuerit, e vita hac diſcedentes eorum numero adſcribamur, qui in his terris cum verbis, tum factis docuere mortales *Invitatio ad funus.*

viam salutis, & quos inter ipse Christus eminet! Publicatum Marburgi Cattorum sub sigillo Academiæ majore die 10. Martii A. O. R. 1732.

IV.

PROGRAMMA.

De Vita longæ Mensura morali.

Vita longa mensura moralis unde petenda. VItæ longæ desiderium omnium hominum animis implantatum est, ut mors dudum omnium terribilium terribilissimum dicta, vitaque longa haud postrema felicitatis humanæ pars habita fuerit, ipso Numine sapientissimo reverentiæ liberorum erga parentes præmium vitam longævam decernente. Atat! vitæ longitudinem non annorum numero, sed benefactorum magnitudine ac felicitatis haud fallacis perceptione metiri convenit. Diu vivit, qui bene vixit. Ut discas, qui bene vivat, tecum habita & noris. *Vitam hominis quinam vivat.* Ratione præditi sumus, qua inter creaturas mundi hujus adspecta-

ſpectabilis ceteras eminemus. Actiones igitur noſtras ad rationis normam componere, non vago arbitratu determinare tenemur. Vitam hominis is demum vivit, qui ſecundum rationem vivit. Immo ſolo iſto tempore vixiſſe cenſendus eſt homo, quo vitam hominis vixit. Quamobrem ſi numerum ineas actionum, quæ juxta rationis normam determinatæ ſunt; earum complexus vitam hominis exhibet. Quodſi vero numeres actiones eidem contrarias, quas male conſideratas affectuum impetus protruſit; earum complexus vitam non hominis conſtituit. Quando enim homo in actionibus determinandis non rationis ſequitur conſilium, ſed affectuum exequitur imperium; in eo brutis aſſimilatur, neque in hoc ſtatu vitam hominis vixiſſe dici poteſt. Si ergo vita hominis æſtimanda eſt, annorum, quos is in his terris complevit, numerus in ratione benefactorum ad male facta dividendus & quæ benefactis reſpondet pars pro vita hominis accipienda. Hoc modulo *Quænam ætatis pars pro vita hominis accipienda.*

lo ſi vitæ longitudinem emetiri volueris, quemadmodum debes, ubi pretium rebus ex veritate ſtatuendum duxeris; vita quam ſæpiſſime brevis erit, quæ per plurimos annos continuata fuit; longa vero, quæ paucorum annorum ambitu continetur. Non nova hæc philoſophia eſt, etſi nimium ſubtilis videri poſſit, quæ hominem a ſe ipſo diſtinguit ac inſtar Vertumni alicujus alternatim in varias brutorum ſpecies transformat. Aut totus fallor, aut *Auguſtus*, quem loco eminentiſſimo inter Summos Principes conſtituerat divina providentia, eandem profeſſus eſt. Ecquis enim eſt, qui neſciat, Imperatorem optimum maximum a vita ſua removiſſe idem, quo nemini benefaciendi occaſio ſeſe obtulerat, propterea quod Principis maxime eſſe putaret benefacere omnibus. Enimvero non adeo facilis eſt hujuſcemodi vitæ æſtimatio, ubi vel diverſorum hominum vitæ inter ſe conferendæ, ut quænam alteram excedat dilucide conſtet, vel diverſæ unius

An hæc de menſura morali vitæ humanæ Philoſophia nova ſit.

An æſtimatio moralis vitæ longæ facilis.

ejus-

ejusdemque hominis vitæ partes invicem componendæ, ut quænam earum longior sit, certa feratur sententia. Benefacta non minus, quam malefacta multiplici gradu differunt, ut ad mensuram ea reducere favente Minerva nemo hactenus fuerit ausus. Quæ enim haud ita pridem in Scotia dedit *Franciscus Hutcheson*, etsi ingeniosa sint, nec a veritate abludant penitus, rem tamen tam arduam nondum conficiunt. Verum enimvero homo quoque creatura est voluptatis non minus, quam tædii, ægritudinis atque doloris capax. Ideo felix fieri potest ac infelix, prouti vera ac intemerata voluptate fruitur, vel tædiis, ægritudine ac doloribus torquetur, aut voluptas nocua eidem imponit. Bene igitur vivit, qui feliciter vivit, adeoque & diu vivit, qui feliciter vivit. Quamobrem si vitæ longitudinem ad mensuram revocare volueris, numerum inire debes partium temporis, quibus voluptate vera frui datum fuit. Hæ in unum coagmentatæ constituunt tempus, quod

Quænam ad mensuram vitæ longæ porro requirantur.

quod tanquam creatura felix, quæ homo esse debet, vivendo transegisti. Quodsi vero ex adverso partes temporis numeres, quibus tibi fallax imposuit voluptas, quas tædiis, ægritudine ac dolore consumsisti; prodibit reliqua temporis pars, quam ad vitam creaturæ, quam felicem esse jubet supremus rerum Moderator, perperam retuleris. Vitæ adeo humanæ longitudinem determinaturus, annorum numerum dividere tenetur in ratione temporis cum voluptate transacti ad tempus, quo tædiis, ægritudine ac dolore angebatur & voluptate nocua corrumpebatur animus. Hoc modulo si vitæ longitudinem metiri volueris, quemadmodum debes, si pretium rebus ex veritate statuendum duxeris; vita denuo quam sæpissime brevis erit, quæ per plurimos annos duravit; longa vero, quæ paucorum annorum ambitu continetur. Nec hæc nova est philosophia, multo minus paradoxa, sed ea potius, quæ communibus notionibus respondet. Quis enim est, qui vitam

Vitæ humanæ longitudo quomodo determinanda.

am tædiis ac doloribus plenam non
ro nulla reputet? Vulgo tamen op-
ido falluntur homines, quod feli-
itatem non in ſeipſis, ſed extra ſe
uærentes calamitates ac fortunam
uomodocunque adverſam felicita-
i inimicam opinentur, cum tamen
antum abſit, ut eidem noceant, ut
otius ad eam augendam facere poſ-
nt. Divina hæc philoſophia eſt, quam
ir vere divinus *Paulus* animo com-
rehendit, inter medias calamitates
c vexas tantum non intolerabiles læ-
us, immo ex his anſam gaudendi ar-
ipiens. Dicendum itaque eſt longi- *Ratio lon-*
udinem vitæ eſſe in ratione compo- *gitudinis*
ta numeri ac gradus benefactorum *Vitæ.*
t temporis voluptatis veræ perceptæ.
ed quid jam nobis dicendum eſt de *Vita cur-*
Viro juvene nobiliſſimo atque doctiſ- *riculum.*
mo *Dn. Friderico Wilhelmo Ulnero*, Ju-
is utriusque Candidato digniſſimo,
ujus gratia hæc præfati ſumus? Na-
us is eſt A. O. R. 1707. die 22. Apri-
s, patre *Jo. Helfrico Ulnero*, J. U.
Doctore, Judicii criminalis Aſſeſſo-
e, illuſtris Regiminis Marburgenſis
&

& Curiæ Hassiacæ communis Advocato & Procuratore ordinario; matre *Anna Catharina*, filia viri Nobilissimi *Mœlleri*, redituum Cameræ electoralis, quæ Heidelbergæ erat, Præfecti. A nobis vero jam discessit ad meliorem vitam evocatus proxime præterlapsa die 28. Februarii. Cum adeo ætas ejus nondum annos viginti sex compleverit, vita ejus brevis censeri debebat, si annorum numero æstimanda foret. Enimvero si eorum rationem habueris, de quibus antea diximus, secus statuendum videtur. Etsi enim annos infantiæ vix ac ne vix quidem egressus esset, cum Anno 1712. die 11. Aprilis matre dilectissima, Anno sequente die 23. Novembris patre charissimo orbaretur; post mortem tamen eorum educationis curam suscepit avia, viri gravissimi *Ulneri* in curia communi Hassiaca Consiliarii vidua, matrona omni virtutum genere ornatissima, quæ sexum sequiorem commendant. Consiliis suis eandem juvabant viri prudentissimi, qui tutoris munere fungeban-

gebantur, nimirum Vir Summe Reverendus *Joannes Christophorus Ungevvitterus*, nunc Concionator aulicus & in Consistorio, quod Cassellis est, Consiliarius, & vir amplissimus *Wilhelmus Hartmannus Gœddeus*, illustris Regiminis Marburgensis Secretarius. Et quamvis anno 1725. avia quoque decederet; non tamen consiliis suis eum destituebant viri, quorum in educatione nostri probatam fidem modo laudavimus. A præceptoribus domesticis bene præparatus per integrum quinquennium industriam suam in Pædagogio hujus loci exercuit, ut A. 1724. d. 7. Julii summa cum laude exemtus in numerum civium academicorum referri meruerit. Cum in nostra Academia omnem philosophiæ ac Juris campum ingressus esset ac sub eximiis ac celeberrimis hujus Academiæ Professoribus egregie profecisset; Lipsiam excurrebat eruditionis ulterius poliendæ ac uberius amplificandæ gratia. Biennium ibidem exegerat, cum ad nos rediret anno superiore, hectica, quam a matre hereditariam experiebatur, continuo invalescente,

donec tandem eadem consumtus animam Deo redderet. Totum vitæ spatium, quod divina providentia determinatum, sub directione parentum, aviæ ac virorum prudentissimorum consumsit & in id incubuit, ut aptus evaderet ad utilem aliquando patriæ operam navandam. Non igitur dubitamus, quin sat diu vixerit, quia vixit sat bene. Nunc ad Beatos abiit, ubi vita sempiterna, longissima sane, quia optima; optima, quia nec peccatis, nec tædiis atque doloribus obnoxia est. Non superest, nisi ut corpori pia justa persolvamus. Quoniam itaque a meridie hora tertia funus ducetur, ut Vos, Cives Generosi & Nobilissimi, in æde sacra frequentes compareatis & præsentia vestra ultimum Commilitoni honorem deferatis, est quod rogamus. Faxit vero Deus, ut omnes bene vivamus, ne breviter nos vixisse existimemus, si breviorem vitæ terminum nobis præfixerit rerum supremus Arbiter, utque ad vitam veræ longam transferamur, quam viventes nonnisi quod bonum est faciemus gaudioque perenni perfruemur! Publicatum Marburgi

burgi Cattorum ſub ſigillo Academiæ majore d. 4. Martii A. O. R. 1732.

V.

PROGRAMMA.

De Virtutibus Regiis.

IMperantium eſt regere Remp. eamque defendere. Regit Remp. qui ſaluti ſingulorum proſpicit, ut nemo habeat, de quo conqueratur, niſi ſua culpa. Defendit eandem, qui hoſtium inſultus valide reprimit eorumque molimina irrita facit. Curat imperans, ut ſingulis bene ſit, non ut ſibi bene eſſe opinentur. Fallax enim hominum de felicitate, fallax inprimis vulgi de eadem opinio eſt: cui in contrarias partes abeunti ſatisfieri impoſſibile eſt. Eximia igitur in Imperante felicitatis ſcientia requiritur, quam ſapientiam eſſe dudum evicerunt philoſophi. Quamobrem cum *Salomo* ad dignitatem regiam evectus felix regimen in votis haberet, ſapientiam a Deo petiit, ut, quæ ad felicitatem ſuorum pertinent, agnoſcere & quæ ad ſingula

Imperantium officium.

Virtutes 1. Sapientia.

gula consequenda conducunt media exquirere valeret. Ast quid juvat felicitatem suorum agnosci ab eo, qui imperat? Quid juvat media acutissime perspici, quæ sint optima, nisi idem felicitatem suorum vehementer cupiat, & ad eam promovendam mediis, quæ cognoscit, utatur? Non cupit suorum felicitatem vehementer, nisi qui ob eandem voluptate afficitur, immo gaudio perfunditur, ut se felicem experiatur, dum suorum felicitatem intuetur. Sed nemo ex felicitate alterius voluptatem percipit ac inde sese felicem reddit, nisi qui tenerrimo amoris affectu alterum prosequitur. In Imperante adeo eminere debet Amor subditorum sincerus. Amat vero, ut ametur. Vult amari, ut prompte faciant ac lubenter subditi, quod jubet, ne mediis ponatur obstaculum, quibus salus omnium obtineri debet. Vult itaque amari, ut sibi nunquam desit materia gaudendi, finem, quem intendit, consecuto & obedientia suorum delectari consueto. Amatur ab altero, qui habet, vel facit, quod placet alteri. Placet, immo maxime placet

2. Amor subditorum.

ab

ab Imperantibus, quorum Majeſtas fulgore ſuo mentem venerabundam parentium percellit, vultu gratioſo adſpici, & alloquii affabilitate exhilarari. Decet adeo, non dedecet vel Regum maximum frons aperta, vultus humanitas, oris comitas, alloquii affabilitas. His enim animos ſuorum in ſe trahit, ut, quibus ſe benignum exhibuerat, ii totos ſeſe ipſi reddant metu in reverentiam abeunte. Nemo unquam reprehendit, omnes potius collaudarunt collaudantque hodienum *Carolum V.* militem Hiſpanum caput inclinando, Italum humerum tangendo, Germanum dexteram ad oſculum porrigendo, omnes denique, quotquot ipſum adire dabatur, affabiliter alloquendo ſibi conciliantem. Occulta quædam vis faſcinandi hominum animos ineſt popularitati morum, ſi Majeſtati permiſcetur, inde ſublimitatem conſecutæ, ut non habeat, quod ſit vulgare. Amor ſi ſincerus fuerit, non intra præcordia pectoris latet, & foras erumpens non in verbis ſubſiſtit, ſed ad facta properat. Amans ſitit felicitatem amati: qui felici-

3. Morum quædam popularitas.

4. Liberalitas.

licitatem alterius sitit, ad eam promovendam pronus est: qui ad felicitatem alterius promovendam pronus est, is quam pronus sit, haud fallax præbere indicium studet. Parit hinc in Imperantibus subditorum amor liberalitatem in egenos & bene meritos; clementiam in populum universum.

Donorum Regiorum vis. Regia dona singulare quid habent, quod, cum sint gratiæ documenta, iisdem insit quod inæstimabile accipienti, ut plus habeant virtutis ad animum exhilarandum, quam thesauri ingentes aliunde acquisiti. Novimus hinc *Augustum*, ut de animis suorum gloriose triumpharet, manus habuisse ad porrigendum & erogandum usitatissimas. Imperans, qui suos amat, odit delicta suorum, personam

5. In puniendo moderatio. odisse nequit. Ad poenam igitur infligendam tardus est, nec severum se præbet, nisi ubi salus publica, adeoque amor suorum amorem a sapientia vinci jubet. Ideo *Philippus II.* non indignum se judicabat solari, quos ob delicta condemnaverat: neque enim fecit imperans, nisi quod, ut fieret, ipse suorum amor extorsit, quorum salutem

tem in discrimen adduci pati minime poterat. Quodsi amor imperantis, 6. *Fides.* quo suos complectitur, animos suorum sibi devincire debet, magnam sui fiduciam excitare debet. Verborum igitur suorum tenax promissis stare tenetur, ne unquam vana spe animos suorum lactasse videatur. Maxime adeo Regem ornat fides virtutibus ceteris in universum omnibus novum quendam splendorem affundens, eamque vim in animos subditorum infundens, qua opus habent, ut ex popularibus regiæ evadant. Unde celebratur assertum *Alphonsi*, Regis sapientissimi, tantum valere verbum Principum, quantum privatorum hominum juramentum. Fide hac firmantur fœdera, tranquillitatis & securitatis publicæ tutissima fulcra, ut adeo sine fide adversus exterorum invidiam subditos felices tueri non possit. Enimvero ut Remp. adversus hostes defendat, terror sit hostium, qui imperat. Quamobrem fortitudo inter ceteras 7. *Fortitudo.* virtutes Principum semper eminere visa est, ut adeo in bello fortes se præbuerint, quotquot Majestatis suæ glo-

riam posteris admirationi esse jusserunt. Nil valent leges optimæ, nisi serventur: magis vero valent, ubi non coacte servantur, sed sua quasi sponte fiunt a subditis, quæ iisdem conformia sunt. Quare cum firmius non obligentur subditi ad faciendum, quod legibus cautum est, quam si Regem habuerint præeuntem, ut factum ejus sit loco imperii; qui supra leges est, in actionibus suis componendis adeo scrupulosus esse debet, ut nemo, qui eisdem subjectus est, magis sollicite easdem illis conformes efficere possit. Luculenter admodum hoc non uno exemplo confirmant antiquissimi Sinarum Annales, ita ut Liber Carminum, qui in numero librorum Classicorum priscorum Sapientum est, inter optimos modos obligandi subditos dudum retulerit, modum obligandi per exemplum Principis. Nec desunt plurima in Annalibus cæterarum Gentium exempla, quibus idem clarissime evincitur, ut ideo dudum in proverbium abierit: Qualis Rex, talis grex. Enimvero non opus est, ut ad exempla Regum provocem, quo-

8. Vitæ exemplaris.

quorum ſancta nobis memoria eſt: etenim Rex Regum, ſupremus totius univerſi Monarcha, ſuo mortales docet exemplo, quid fieri ab ipſis debeat, ſuo ad idem faciendum exemplo eos obligat Matth. V. 48. Neque etiam opus eſt, ut exempla virtutum regiarum e longinquo petamus. Quicquid enim in Rege commendari poteſt, id ſingulari quadam luce in *Friderico*, Suecorum, Gothorum & Vandalorum Rege, Haſſiæ Landgravio, Domino noſtro longe clementiſſimo radiat. Nondum annus elapſus eſt, cum ea nobis contingeret felicitas, ut Regem ac Principem O. M. Patrem patriæ indulgentiſſimum, coram intueri ac ſubjectiſſimo cultu venerari daretur. Ecquis noſtrum eſt, qui non in admirationem & amorem ejus raptus fuerit partim ponderando, quæ videbat, partim animo recolendo, quæ antea audiverat? Et erit profecto nobis admirationi *Fridericus*, quamdiu vitalis ſpiritus hos reget artus. Ecquis enim noſtrum eſt, qui non admiretur ſingularem tanti Herois fortitudinem, quam ſibi futuris ſeculis

Elogium Friderici Sueciæ Regis.

imitandam proponent Heroës? Ecquis noſtrum eſt, qui non quotidie experiatur fructus Sapientiæ atque Amoris, qua quoque terras ſibi hereditarias regit? Academia profecto noſtra indies novis documentis convincitur, quam provida ſit Patris Patriæ vigilantiſſimi cura, ne quicquam deſiderari poſſit, quod ad formandum Juvenum ingenia & mores quocunque modo conducere videtur. Ecquis noſtrum eſt, qui non totus ſumma perfunditur voluptate, quoties ſibi veluti præſentem ſiſtit vultus humanitatem, oris comitatem, alloquii affabilitatem, quæ nos venerabundos in amorem Majeſtatis veluti extra nos rapuit? Ecquis noſtrum eſt, qui non recordetur, quanta liberalitate, quanta clementia uſus fuerit, quacunque occaſione data, cum præſentia auguſta terras haſce exhilararet? Sed noſtrum jam non eſt excurrere in laudes tantarum virtutum, quas eminente quodam gradu ſuas fecit *Fridericus*, ut habeant Principes omnis ævi, quas imitentur. Faciet enim id Vir Nobiliſſimus atque Clariſſimus, *Dn. Johannes*

Invitatio ad Orationem ſolennem.

nes Adolphus Hartmannus, Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſor Publicus ordinarius, Collega nobis conjunctisſimus, qui, ut natalem *Friderici*, Regis, Principis ac Domini noſtri longe clementisſimi, rite celebremus, in ſolenni Panegyrico *Regem Sago Magnum, Toga Maximum* ut prædicet, omnes ingenii ſui nervos intendet. Sacris igitur hiſce, quibus Majeſtatem Regiam pia ac devota mente veneraturi ſumus, ut omnes omnium Ordinum Proceres & Generoſisſimi atque Nobilisſimi cives Academici die 9. Maji. Hora 9. antemeridiana in Auditorio Majore ad Lanum interſint ea, qua par eſt, humanitate rogamus. Publicatum Marburgi. Cattorum ſub Sigillo Academiæ majore Dominica Jubilate A.O.R. 1732.

VI.

PROGRAMMA.

De neceſſitate obligationis poſitivæ.

NAtura homines obligantur ad omne, quod honeſtum, æquum, juſtum, rectum ac decorum eſt. Hæc *Obligatio naturalis qualis ſit.*

Hæc obligatio ita insita est naturæ humanæ, ut ab eadem separari minime possit. Quodsi omnibus, quam primum in lucem prodeunt, ea esset mentis perspicacia, ut honestum ab inhonesto, æquum ab iniquo, justum ab injusto, rectum ab eo quod minus rectum est, decorum denique ab indecoro per rationes intrinsecas separarent; nemo foret, qui non honestum potius quam inhonestum, æquum quam iniquum, justum quam injustum, rectum quam id quod minus rectum est, decorum denique quam indecorum appeteret. Enimvero ad tantam mentis perspicaciam ne adulta quidem ætate perveniunt multi, ita ut distinctæ honesti, æqui, justi, recti ac decori notiones non sint nisi paucis, qui literis operam dederunt. Multo autem pauciores sunt, qui in omni actionum genere, quid sit honestum, quid inhonestum; quid æquum, quid iniquum; quid justum, quid injustum; quid rectum, quid minus rectum; quid decorum, quid indecorum certo definire valent. Quære enim ex iis, quorum est omnem actionum moralitatem exacta mentis lance ponderare, quid sit honestum,

Cur non sola sufficiat.

tum, quid æquum, quid justum, quid rectum, quid decorum & quomodo singula inter se differant; quam sint plerique responsuri magis muti quam pisces, aut in eloquio omne præsidium collocantes dent sine mente sonos, observare licebit. Quære in casu particulari, cur hæc actio sit honesta, cur æqua, cur justa, cur recta, cur decora; aut denuo obmutescere responsuros, aut ab iis rationes ad rhombum minime facientes plerumque afferri deprehendes. Certum tamen est, naturam hominem non obligare ad honeste, æque, juste, recte ac decore agendum, nisi quatenus actionibus honestas, æquitas, justitia, rectitudo & decus inhæret, ut adeo naturalis obligatio efficax non sit, nisi honestate, æquitate, justitia, rectitudine & decentia actionum intrinseca intime perspecta. Ea igitur ratio est, cur obligationi naturali superaccedere debeat positiva, ut metu pœnæ ac spe præmiorum homines determinentur ad agendum & non agendum. Enimvero obligatio ista positiva non extendi potest ad omnes omnino actus, quos attingit naturalis, nisi quamdiu pueri ac adolescentes subsunt *Cur positiva necessaria*

sunt

ſunt juri parentum & eorum, quibus ipſorum educatio commiſſa eſt. Unde in civitate multæ dantur hominum actiones, de quibus nil diſponunt leges civiles, nec puniuntur malæ, niſi quatenus fini civitatis, ſaluti, tranquillitati ac ſecuritati publicæ, e diametro adverſantur. Neque tamen civilis etiam obligatio ſemper ſuum ſortitur effectum. Pœnarum atrocitas haud raro magis obeſt, quam prodeſt. Hinc Sinæ antiquiſſimis temporibus jam agnovere, non præſtantiorem dari modum obligandi inferiores quam exemplum ſuperioris. Exemplo Regis obligantur ſubditi, exemplo parentum liberi, exemplo Patrisfamilias domeſtici, exemplo Præceptorum diſcipuli, exemplo Profeſſorum ſtudioſi in Academiis, ſiquidem exemplum univerſale eſt, ne pravo unius corrumpatur, quod bono alterius fuerat emendatum. Exemplum vero ſuperioris vires acquirit ab amore inferiorum, cum in vulgus notum ſit nos eos imitari, quos amamus. Quamobrem opera danda eſt Regi, ut ametur a ſubditis; opera danda parentibus, ut amentur a liberis; opera danda patrifa-

Quænam optima.

milias,

milias, ut ametur a domesticis; opera denique danda Præceptoribus ac Professoribus, ut amentur a discipulis & studiosis. Utinam omnes satis intelligerent, quantum valeat exemplum superioris, quod vim suam acquirit ex amore inferioris! Nullus dubito fore, ut, quorum est obligare alios ad recte agendum, ipsimet recte agerent & amari, quam metui mallent. Ex re Academiæ inprimis est, ut Rector civibus exemplo suo præeat & ab iis ametur. Quamobrem statutis nostris sapienter cautum est, ut Pro-Rector per scrutinium libere eligatur, ne obtrudi posit, cujus vel exemplum non satis probatum, vel qui parum amatur. Illuxit illa dies, quo novus Pro-Rector a Senatu academico eligendus, & electus in Auditorio majore solenniter inaugurandus. Quamobrem vos *Magnif. & Excellentissimos Academiæ Proceres* ad novum Pro-Rectorem eligendum ea, qua par est, observantia convocamus; Cives vero nostros ut actui inaugurationis intersint frequentia sua, humanissime invitamus. P. P. Marburgi Cattorum Calendis Januarii A. 1740. sub Sigillo Academiæ Majore.

Invitatio ad electionem & inaugurationem Pro-Rectoris.

CON-

CONSPECTUS TRIMESTRIS ÆSTIVI.

Finis Trimestris æstivi.

HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES

ANNI MDCCXXXI,

QUIBUS

PHILOSOPHIA

AD

PUBLICAM

PRIVATAMQUE UTILITATEM

APTATUR.

AUTORE

CHRISTIANO WOLFIO,

NUNC

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CON-
SILIARIO INTIMO, ACADEMIÆ FRIDERICA-
NÆ PRO-CANCELLARIO, JURIS NATURÆ ET GENTIUM
AC MATHESEOS PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE
PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIEN-
TIARUM PARISINÆ SOCIETATUMQUE REGIA-
RUM BRITANNICÆ ET BORUS-
SICÆ MEMBRO.

TRIMESTRE AUTUMNALE.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ, M DCC XXXXI.

PROSTAT IN OFFICINA RENGERIANA.

HORÆ SUBSECIVÆ MARBURGENSES

Anni M DCC XXXI.

Trimeſtre Autumnale.

I.

De Rectitudine actionis hominis Chriſtiani.

§. 1.

Rectitudo actionis maximi momenti eſt in Philoſophia morali, immo in omni Philoſophia practica. Eam hactenus non expenderunt Philoſophi: qua de cauſa praxis præſertim moralis multiplici laboravit defectu. Cum igitur nobis propoſitum eſſet, praxin moralem ab iis, quibus laborat, defectibus liberare, & methodo demonſtrativa omnem uſum facultatum humanarum in determinandis actionibus liberis explicatam dare; rectitudo quoque actionum humanarum diſtincte nobis explicanda fuit. Eo fine eandem non modo definivimus in Philoſophia practica uni- *Inſtitutum Autoris.*

versali (*a*); verum etiam abunde ostendimus, quænam ad eam requirantur (*b*), aliaque inculcavimus, quæ ad recte agendum necessaria sunt, & facile agnoscentur ab eo, qui utramque Philosophiæ practicæ universalis partem attenta mente perlustraverit. Monui jam olim & posthac sæpius inculcavi, actionem hominis Christiani, etsi externa specie videatur eadem, plurimum tamen differre ab actione humana, quatenus rationi congrua & naturæ viribus tota debetur, ita ut amplior facultatum usus ad illam requiratur, quam qui ad hanc sufficit. Quamobrem cum rectitudo actionis ab usu facultatum humanarum potissimum pendeat; mirum videri haud quaquam debet, quod rectitudo actionis hominis Christiani differat a rectitudine naturali actionis humanæ. Philosophia nos manuducere debet ad Theologiam revelatam, ut adeo Philosophi, qui idem Christianus est, omnino sit ostendere, quomodo, quæ in Philosophia cognovimus, ea nos deducant

(*a*) §. 64. 65. *part.* 1.
(*b*) §. 72. & *seqq.*

ducant ad intimiorem veritatum theologicarum cognitionem. Instituto itaque nostro in Horis hisce Subsecivis maxime convenit, ut doceamus, quomodo ea, quæ de rectitudine actionis humanæ tradidimus in Philosophia practica, nos manuducant ad rectitudinem actionis hominis Christiani distincte perspiciendam.

§. 2.

In quonam rectitudo actionis christianæ consistat.

Ut vero concinne mentem nostram exprimere possimus, *Actionem Christianam* appellare lubet, quæ editur ab homine christiano, qualiscunque tandem ea fuerit. Hominem autem christianum hic non dicimus, nisi eum, qui est, consequenter qui officio christiani satisfacit. Absit itaque, ut quando actionem christianam dicimus, eam accipias pro actione homini christiano propria, nec cum homine, quoad obligationem tantummodo naturalem spectato, communi. Hisce prænotatis ex eo, in quo consistit actionis humanæ rectitudo, haud obscure colligitur, in quonam actionis christianæ rectitudo consistat. Rectitudinem

actionis humanæ consistere docuimus (*c*) in convenientia cum omnibus determinationibus hominis essentialibus. Quoniam itaque non minus certæ quædam sunt determinationes, per quasChristianus tanquam persona moralis constituitur; vocabuli significatu non variato, dicendum omnino est: *Rectitudinem actionis christianæ* consistere in convenientia cum omnibus determinationibus christiani essentialibus. Convenit autem actio cum hisce, si per eas explicari potest, cur actio talis potius sit, quam non sit, ac esse debeat. Dixi jam ante, actionum rectitudinem ab usu facultatum pendere. Unde liquet rationem usus earundem reddendam esse ex determinationibus Christiani essentialibus, ubi rectitudo actionis christianæ demonstranda: per eas nimirum intelligitur, cur Christianus hunc debeat facere facultatum suarum usum, ut recte agat. Quodsi itaque nobis jam propositum esset theoriam rectitudinis actionis christianæ condere, ex ipsa notione chri-

(*c*) §. 65. *part. 1. Phil. pract. univ.*

christiani demonstrandum foret, quænam ad hanc rectitudinem requirantur, consequenter quinam sit facultatum humanarum usus, ut a rectitudine nulla ex parte deficiat actio christiana. Enimvero quamvis præsens institutum non patiatur, ut theoriam adeo exasciatam demus; ea tamen in medium allaturi sumus, quæ ad eam intelligendam sufficiunt, suppositis iis, quæ de rectitudine actionum humanarum in Philosophia practica universali a nobis demonstratata fuerunt.

§. 3.

Quanam ex parte intellectus requirantur ad rectitudinem actionis christianæ.

In actione humana recta nihil desiderari debet ex parte intellectus (*d*). Quamobrem nec in actione christiana, ut recta sit, quicquam ex parte intellectus desideretur necesse est. Intellectus est ferre judicium de actionis bonitate & malitia. Ex aliis autem principiis actionem bonam vel malam esse judicat homo christianus, quam qui solo rationis ductu vivit. Qui solo ductu rationis vivit, in intrinseca actionum bonitate & malitia acquiescit &, ubi

(*d*) §. 79. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*

ubi pietatem philosophicam virtuti reliquæ omni jungit, quemadmodum jungere tenetur, eas per attributa divina tanquam motiva determinabiles & inprimis voluntati divinæ conformes agnoscit. Enimvero homo christianus actionem judicat bonam, quia a Christo præcepta, adeoque voluntati ipsius conformis. Præcepta autem intelligitur a Christo non modo si ipse disertis verbis eam urget in Evangelio, veluti quando inimicos diligi a nobis jubet; verum etiam quatenus approbavit ea, quæ Deus in Scriptura sacra jubet, & a nobis fieri vult, ac ubi denique ab Apostolis, qui mentem Christi perspectam habuerunt, actio præscribitur. Christianus nimirum vitam omnem voluntati Christi conformare debet, adeoque actionem eam judicat esse bonam, consequenter patrandam, quæ voluntati ipsius convenit. Vivit nimirum Christianus vitam rationi conformem, quia Christus vult, ut eandem vivamus: vivit vitam voluntati divinæ convenientem, quia Christus vult, ut voluntatem Patris ipsius cœlestis faciamus. Videmus adeo judicium

practi-

practicum Christiani resolvi in voluntatem Christi: cum tamen idem homo sit, qui Christianus est, servusque Dei tanquam Domini supremi omnium hominum, judicium ideo simul resolvitur in bonitatem intrinsecam actionis & voluntatem divinam. Atque hinc apparet, quid superaccedat judicio hominis christiani de bonitate actionis, scilicet quod ea quoque sit voluntati Christi conformis, cum homo qua homo tantummodo judicet, actionem esse committendam, quia intrinsece bona, &, ubi se considerat tanquam servum Dei, addat, quia voluntati Dei conformis. Nequaquam vero existimandum est, quasi parum referat, utrum actio aliqua spectetur tanquam voluntati Christi conformis, nec ne. Patebit enim deinceps, quod judicium hac ratione nixum influat in determinationem voluntatis, ad quam tanquam ad scopum tendit omne de actionis bonitate judicium. Judicium practicum de committenda actione voluntati Christi conformi supponit obligationem actionem committendi, quia voluntati Christi

ſti conformis. Obligatio hæc deducenda eſt ex ipſa notione Chriſti. Etenim ſi actiones noſtræ voluntati Chriſti conformare tenemur, neceſſe eſt, ut detur ratio, cur hoc fieri debeat, & hæc ratio deſumenda ab eo, quod de Chriſto credimus. Chriſtianus Chriſtum, a quo nomen habet, redemtorem ſuum eſſe agnoſcit, adeoque benefactorem ſummum. Quamobrem & ipſa lege naturali, & voluntate Dei poſitiva obligamur ad animum gratum eidem exhibendum, conſequenter ad eum maxime amandum. Hic amor motivum eſt, ut voluntatem noſtram voluntati Chriſti ſubjiciamus, adeoque voluntati ejus actiones noſtras conformemus, quantum patitur obligatio naturalis, quæ eadem cum divina. Enimvero conſtat Chriſtum legem naturæ contra corruptiones Phariſæorum integritati ſuæ reſtituiſſe, neque adeo velle aliud, quam ut eidem, conſequenter voluntati divinæ, a lege naturali non diverſæ, actiones noſtras conformemus. Quamobrem nil repugnat, quo minus actiones omnes ad voluntatem Chriſti componamus, atque

que adeo obligatio, quæ ab hac voluntate venit, cum naturali & divina prorsus consentit. Etsi adeo actio voluntati Christi conformis eadem sit cum actione legi naturali consentanea, quatenus discesseris ab iis, quibus salutem a Christo nobis acquisitam apprehendimus; non tamen propterea superfluum est hominis Christiani de actionis bonitate judicium. In hoc enim judicio actus singuli spectantur tanquam debiti ex animo grato & idem agenti insinuat intentionem Christo placendi, quæ nec in eo est, qui in agendo solam obligationem naturalem respicit, nec in eo, qui eidem pietatem jungit, obligationis divinæ habita ratione. Hæc ipsa autem intentio ubi accedit, propositum agendi efficitur magis constans, & exercitium virtutis hinc facilius redditur. Nemo non videt, quam ampla foret tractatio, si singula, quæ diximus, demonstrare vellemus. Quamvis vero demonstratio singulorum ex principiis nostris philosophicis, &, quæ tanquam concessa sumi possunt ac debent, theologicis dari poterat; tam vastum tamen

men dicendorum campum hic ingredi minime licet. Ceterum ideo diximus, non expectandam hic esse theoriam completam rectitudinis actionis christianæ; sed nobis tantummodo propositum esse ea indicare, quæ ad ipsam intelligendam sufficiunt, scilicet ut excitemus aliorum diligentiam, quibus plus otii est ad theoriam istam condendam. Ex iis, quæ de judicio, quod de actionis bonitate ferendum, diximus, haud obscure intelligitur, quid sentiendum sit de judicio, quod homo christianus ferre debet de malitia actionis. Nimirum actionem malam judicare debet, quæ voluntati Christi contraria, adeoque ad rectitudinem actionis christianæ privativæ requiritur judicium practicum, actionem hanc esse omittendam, quia Christus eandem omitti vult. Supponit hoc judicium eandem obligationem, qua nititur judicium de actione committenda. Et quod idem non sit superfluum, eodem prorsus modo patet, quo ostendimus, judicium de actione positiva superfluum non esse. Christianus adeo judicium suum de actio-

nis

nis bonitate & malitia resolvit in autoritatem Christi, dum judicat actionem hanc esse bonam, quia Christus eam committi vult, aliam esse malam, quia idem eandem committi non vult, seu vult omitti. Pro certo nimirum habet, illud esse verum, quod Christus dicit falli nescius, & illud esse bonum, quod idem urget ab omni labe peccati immunis, nec malo delectatus. Agnoscit itaque Christum esse Doctorem a Deo nobis datum, qui & verbis, & exemplo suo nos docet: id quod ad munus ipsius propheticum referunt Theologi. Hinc sequitur, hominem christianum, quod actionis bonitatem ex voluntate, malitiam ex noluntate Christi metitur, Christum venerari tanquam Doctorem suum a Deo sibi datum, seu tanquam Prophetam, hoc est, interpretem voluntatis divinæ infallibilem, si phrasi Theologorum loqui ames. Ipsa lege naturali obligamur ad honorem debitum unicuique deferendum. Quamobrem ex ipsa oblgatione naturali descendit obligatio actiones suas voluntati Christi conformandi: quæ ipsa obligatio natura-

turalis divina confirmatur. Disertis enim verbis Deus jussit voce cœlitus delapsa, cum Christus baptizaretur, ut dicto ipsius simus audientes. Idem hic obtinet, quod in pietate christiana, ubi judicium de actionis bonitate & malitia resolvitur in autoritatem Dei dicentis & practicum de illa committenda, hac omittenda in autoritatem Dei jubentis & prohibentis, ita ut homo christianus faciat, quod bonum est, & omittat, quod malum est, ut actiones suas ad voluntatem Numinis componat divinitas nobis revelatam. Manet adeo ratum judicium hominis christiani theoreticum de bonitate & malitia actionis resolvi debere in autoritatem Dei ac Christi; practicum vero in Dei ac Christi voluntatem, siquidem ex parte intellectus abesse debet defectus rectitudinis actionis christianæ. Atque hinc elucet necessitas agenda, quæ in Jure naturæ demonstrantur, in Theologia naturali ex dictis Scripturæ probandi, quemadmodum articuli mixti in Theologia revelata dictis Scripturæ probantur.

§. 4.

§. 4.

Erunt forsan aliqui, qui existimaturi sunt, omnem demonstrationem bonitatis ac malitiæ intrinsecæ actionum humanarum in Philosophia esse superfluam, cum sufficiat ex Scriptura sacra ostendisse, hasce actiones a Deo atque Christo dici bonas, illas vero malas, ac velle Deum & Christum, ut hasce actiones committamus, illas vero omittamus. Sane ita sensisse *Lockium* ex epistolis, quas ad *Molynesium* conscripsit, constat. Et eodem jure rejicienda erit pietas philosophica, quæ demonstrationibus philosophicis tota nititur. Enimvero aliter mihi videtur, non obiter quæstionem præsentem inspicienti, sed curatius eandem expendenti. Qui actiones suas per bonitatem & malitiam intrinsecam earundem determinat, adeoque judicium de moralitate earundem ex hoc fonte derivat, pietatemque philosophicam demonstrationibus Theologiæ naturalis superstruit; is vitam hominis vivit & Deum tanquam creatura intelligens veneratur, seu Deo vivit. Enimvero homo dum Christianus fit, non desinit esse

An judicium de bonitate & malitia intrinseca actionum a rectitudine actionis abesse possit.

esse homo, nec creatura intelligens, Quamobrem nec obligatio naturalis per eam, quæ Christiano propria extinguitur. Quamobrem qui vitam Christiani vivit, vitam adhuc hominis vivere debet, & pietas philosophica cum christiana conjungenda. Nimirum vita hominis & vita christiana non sibi mutuo contrariantur, sed potius si actionem externam spectes, eadem utraque est: differunt enim tantummodo ex parte intellectus, quæ quippe differentia jam sola attenditur, principio cognoscendi & obligationis specie. Per diversa cognoscendi principia idem agnoscitur verum, & omnes obligationis species ad idem agendum & idem non agendum tendunt. Ex parte adeo objecti nil obstat, quo minus idem ob multiplicem rationem agnoscatur verum & idem fiat vel non fiat ob multiplicem obligationem. Quodsi objicias ab omnibus hoc fieri non posse, ut judicium sive theoreticum, sive practicum de actionum moralitate per diversa illa principia cognoscendi una determinent & a tam multiplici obligatione simul deducant: lubens

lubens concedo, hebetioribus non convenire demonstrationes exasciatas de actionum intrinseca bonitate & malitiá, quemadmodum nec ipsorum captui accommodatæ sunt demonstrationes rigidæ de genuino verborum Scripturæ sacræ sensu, sine quibus non intelligitur, quid Deus atque Christus a nobis fieri velit. Quod tamen condonandum est nonnullorum infirmitati, id idcirco non desinit esse officii nostri: nec qui ampliorem usum facultatum suarum facere potest, ut eodem cum infirmiori loco sit, ab eo abstinere tenetur. Ex praxi morali constat, quam suo tempore demonstraturi sumus, nonnisi ampliori facultatum usu obtineri ab acutioribus, quod arctiori obtinetur ab hebetioribus.

§. 5.

Si actio recta esse debet, nihil desideretur necesse est ex parte voluntatis & noluntatis (*e*), consequenter harum quoque facultatum usum facere tenemur, qui actioni christianæ consentaneus. Objectum ideo volitionis esse debet

Quaenam ad rectitudinem actionis christianæ requirantur ex parte voluntatis.

(*e*) §. 79. part. 1. *Phil. pract. univ.*

debet actio bona, nolitionis mala (*f*). Quoniam itaque homo christianus actionem bonam esse judicat, quam Christus committi vult, malam vero, quam vult omitti seu committi non vult (§. 3.); rectitudo actionis christianæ requirit, ut voluntatem nostram subjiciamus voluntati Christi. Cumque pietas ab actione recta abesse nequeat, ea autem exigat, ut per voluntatem Dei voluntatem nostram determinemus, cui voluntas Christi ex asse consentit; rectitudo etiam actionis christianæ postulat, ut voluntatem nostram voluntati divinæ ex Scriptura sacra agnitæ submittamus. Unde actus volitionis involvit abdicationem voluntatis propriæ, ita ut actionem committere velimus, quia Deum & Christum, eadem a nobis ut committatur, velle certi sumus, si vel maxime voluntas nostra ab appetitu sensitivo pendula feratur in contrarium, & similiter actionem aliam committere nolimus, quia Deum & Christum nolle convicti sumus, ut eadem a nobis commit-

(*f*) §. 80. loc. cit.

mittatur, etiamsi noluntas nostra ab
operatione sensitiva pendula propen-
deat in contrarium. Theologi abne-
gationem sui appellant: cum qua quod
nodo dicta consentiant, facile osten-
li poterat, siquidem prolixioribus es-
e liceret. Multa hic dicenda forent,
uæ ad intimiorem intellectum dicto-
um Scripturæ sacræ sensum faciunt,
i actionis christianæ rectæ theoriam
x instituto conderemus. Sufficit ita-
ue excitasse attentionem acutiorum,
t propria meditatione suppleant, quæ
rætermittere cogimur. Monui plus
mplici vice, quemadmodum, ut actio
umana recta sit, voluntas & noluntas
eterminanda est per motiva a boni-
ıte & malitia actionis intrinseca de-
ımta, prouti scilicet vel positiva est,
t eam velimus, vel negativa, ut eam
olimus, & in pietate etiam philoso-
hica per motiva ab attributis divinis
esumta; ita virtutem christianam re-
uirere, ut voluntas & noluntas deter-
inetur per motiva a Christo, conse-
uenter ab opere redemtionis totaque
conomia salutis desumta. Actio ita-
ue christiana recta esse nequit, nisi

 volun-

voluntas & noluntas determinetur per hæc motiva. Eo fine in Theologia morali explicari debebant hæc motiva, tum generalia, quæ locum habent in omni actionum genere, tum specialia, huic scilicet vel isti actionum speciei propria. Cum nostrum jam non sit Theologiam moralem tradere, quæ integrum volumen requirit; de hisce motivis disertius dicere nostrum jam non est. Unum tamen adhuc moneri necesse est, ne prætermittamus, quod ab actione christiana recta abesse nequit. Christus nos non solum docet verbis, quæ in Evangelio leguntur, & menti ejus conformiter a discipulis ejus Apostolis proferuntur; verum etiam exemplo, quod imitari jubemur. Unde actiones hominis christiani, siquidem rectæ esse debent, ex iis propullulent necesse est virtutibus, quibus Christo reddimur similes. Ex parte igitur voluntatis requiritur actus volitionis, quo Christo similes evadere volumus eum in agendo & non agendo imitantes. Motiva adeo quoque in actione recta desumenda sunt a virtutibus Christi, quas ex ejus actionibus seu vita ejusdem

dem morali colligimus. Quamobrem
patet in Theologia dogmatica in usum
Theologiæ moralis locum dandum es-
e integro capiti de vita Christi mo-
ali, in quo ex actionibus ejus, quæ
n Historia evangelica recensentur,
leducantur virtutes ipsius morales &,
uæ cum his necessario connectuntur,
er legitimam consequentiam inde
orro eruantur. Immo cum ipsum
uoque Deum imitari jubeat Christus
voluntas nostra per voluntatem
psius determinanda sit; si ex parte vo-
untatis ac noluntatis circa actionem
hristianam nullus notari debet defe-
tus, actus voluntatis & noluntatis in-
olvere etiam debet volitionem, qua
Deo assimilari volumus, & hinc in de-
erminando illo motiva quoque desu-
enda a studio imitandi Deum & at-
ibutis moralibus divinis, quatenus
im voluntas Dei atque Christi, ut
eum in agendo & non agendo imi-
emur, quam attributa moralia per
cripturam sacram nobis innotescunt
quæ de iis agnoscimus ob ejus au-
oritatem admittuntur tanquam vera,
oc est, quatenus ea credimus, quæ de

Deo ac Christo ac utriusque consentiente voluntate dictitat Scriptura sacra. Atque hoc modo patet, quomodo fides influat in determinationem voluntatis hominis christiani, ut ideo bona opera Christianorum ex fide proficisci dicantur a Theologis. Enimvero fides adhuc alio modo influit in actiones Christianorum, ac influere debet, si nullus in iis adesse debet rectitudinis defectus. Nimirum pietas philosophica, a qua amor Dei sincerus sejungi nequit, jam exigit studium placendi Deo, quemadmodum amoris proprium est, ut amans placere studeat amato: id quod non minus a posteriori constat, quam ex ipsis notionibus amoris & placentiæ (quod vocabulum in bono significatu sumi rei minime repugnat) a nobis alibi (g) datis a priori demonstrari potest. Enimvero cui perspectum est, quantum requiratur ad rectitudinem actionis, ut bona dici mereatur (neque enim juxta pervulgatum canonem bonum est nisi ex integra causa); is abunde sibi conscius est,

(g) §. 542. 640. Psych. empir.

est,quantum actiones suæ, externa licet specie bonæ,a rectitudine adhuc absint. Neque difficile est ex principiis Theologiæ naturalis demonstrare, quod Deo non placeat actio nisi omnimode recta. Unde a Theologis opera bona hominum vocantur merito imperfecta, & nos eorundem imperfectionem suo tempore in Philosophia morali luculenter demonstraturi sumus. Constat vero ex principiis Theologiæ revelatæ, huic defectui mederi, quatenus fide cum Christo uniti meritum ipsius nobis applicamus, cujus quippe perfecta obedientia supplet defectum rectitudinis in actione nostra & cujus expiatio tollit imputationem defectus eidem inhærentis, ut adeo opera nostra imperfecta censeantur perfecta, Deoque placere possint. Hinc denuo recte affirmatur a Theologis, nos Deo placere non posse nisi in Christo. Ad rectitudinem igitur actionis christianæ requiritur quoque fiducia in Deum, quod is vi meriti Christi actiones nostras imperfectas pro perfectis, seu omnimode rectis habeat, adeoque eadem ipsi placeant. Quinam hinc re-

ſultet ſtatus animi hominis chriſtiani, ex principiis pſychologicis demonſtrari poteſt; ſed hæc ipſa demonſtratio extra limites inſtituti præſentis nos abduceret. Hinc denuo patet, quomodo fides influat in actiones hominis chriſtiani, & quomodo eædem ex fide procedant, immo procedere debeant, ut rectitudinem omnimodam conſequantur. Utinam qui Theologiæ operam navant, ad eam non accederent, niſi Philoſophia methodo noſtra pertractata probe imbuti, aut hujus ſaltem ſtudium cum illo conjungerent, præterea que in Theologia revelata eodem modo progrederentur, quo nos in Philoſophia progredimur, ea obſervantes, quæ in trimeſtribus anterioribus de uſu methodi demonſtrativæ in explicanda Scriptura ſacra & tradenda Theologia revelata dogmatica annotavimus! Nullus enim dubito fore, ut religionis chriſtianæ veritas & neceſſitas intimius perſpiciatur, & profanitas, de qua hodie tot tantæque ubivis moventur querelæ, profligetur.

§. 6.

§. 6.

Facultates animæ inferiores serviunt facultatibus superioribus, quemadmodum nemo ignorat, qui usum facultatum superiorum perspexit. Unde Ordo naturæ pervertitur, si facultates superiores serviant inferioribus, & in hoc illarum consistit abusus. Hinc in actione recta adesse debet consensus facultatum superiorum & inferiorum, rectitudini autem omnimodæ repugnat earundem dissensus. Diximus de hoc consensu & dissensu in praxi necessario in Philosophia practica universali (*h*), ut adeo opus non sit utrumque hic a nobis explicari. Consentit sensus & imaginatio cum intellectu, si, quod intellectus tanquam bonum vel malum nobis repræsentat, idem quoque ut tale exhibent sensus atque imaginatio (*i*). Intellectus hominis christiani actionem repræsentat tanquam bonam vel malam, quatenus eam repræsentat tanquam a Deo & Christo præceptam. Cum eodem adeo sensus & imaginatio non aliter in consen-

Quænam ad rectitudinem actionis christianæ requirantur ex parte facultatum inferiorum cognoscendi.

 sum

(*h*) §. 575. & seqq. part. 2.
(*i*) §. cit. 575. part. 2. Phil. pract. univers.

sum reduci possunt, quam si repræsentatio in intellectu obfuscet eam, quæ est in sensu & imaginatione: quod fieri haud quaquam potest, nisi tantus sit sensus certitudinis judicii intellectus, ut sensus & imaginatio habeantur pro fallacibus, nec ulla ad eos attentio adhibeatur. Certitudo judicii intellectualis pendet a gradu fidei, qua verbo divino creditur. Atque adeo huic tribuendum, quod sensuum judicio stetur, sive appetibile nunc sensu percipiatur, sive olim sensu percepti recordemur. Quamobrem in actione christiana consensus sensuum & imaginationis cum intellectu totus a fide est. Ea nimirum, quæ Deus ac Christus dicit, adeo certa sunt, ut, quomodocunque sensus & imaginatio nobis exhibeant objectum, assensum nostrum nullo modo immutare possint, sed perinde nobis sit, ac si bonitatem & malitiam actionis ad verba licet tantummodo Dei ac Christi animum attendentes coram intueremur, adeoque ipso sensu perciperemus. Hoc probe perpendi velim, ut intelligatur, non inepte pro consensu sensuum & imaginatio-

nationis haberi in præsenti casu, quando intellectus adversus sensum & imaginationem tantummodo prævalere videtur. Nimirum quamdiu adhuc pugna quædam est inter sensus ac imaginationem cum intellectu & confusas illorum perceptiones adhuc attentione agens dignatur sua; sensus ac imaginatio nondum consentiunt. Ast ubi certitudo fidei tanta est, ut eidem quasi sponte sua cedant sensus atque imaginatio, nec agens in dijudicandis bonis ac malis actionibus sensibus atque imaginatione amplius movetur; hoc utique ad consensum in casu præsenti referendum, præsertim cum sensus certitudinis, qui fidem comitatur, in causa sit, in ex dijudicando bono & malo nulla habeatur ratio, quomodo sensus repræsentent objectum. Inest autem sensui huic certitudinis quidpiam, quod clarius adhuc loquitur consensum sensus & ejus vicariæ imaginationis cum intellectu in actione repræsentanda tanquam bona & mala. Nimirum sensuum judicio qui stat in bono & malo dijudicando, bonum quid ex voluptate judicat, quæ inde per-

percipitur, malum vero ex tædio, quod hinc ſentitur. Quodſi bonum tantummodo apparens fuerit, voluptas in tædium degenerat, aut in poſterum tædium parit; ſi vero malum fuerit nonniſi apparens, tædium poſthac in voluptatem abit, aut voluptatem gignit. Senſus itaque certitudinis illius, quæ ex fide eſt, conjunctus cum prævilione futurorum, & dum hæc vi imaginationis repræſentantur, omnem attentionem in ſe trahunt, ut tædii ex actione olim percipiendi magis nobis ſimus conſcii, quam voluptatis, ubi ſenſus tanquam bonam exhibent actionem & ex adverſo voluptatis olim percipiendæ magis nobis ſimus conſcii, quam tædii præſentis, ubi ſenſus tanquam malam ſiſtunt actionem. Abſit autem ut tibi perſuadeas, hoc pacto conſenſum ſenſuum atque imaginationis cum intellectu in actione chriſtiana eundem eſſe, qui ad actionem mere naturalem requiritur! Differentia enim utrobique ſatis manifeſta eſt. In actione naturali conſenſus ſenſuum & imaginationis cum intellectu conſiſtit in eo, ſi illi repræſentant voluptatem ex

ex actione percipiendam, quæ intelle-ctus judicio agnoſcitur bona, & tædia percipienda ex ea actione, quæ eodem judicio agnoſcitur mala. Quoniam itaque voluptatem ex hac actione percipiendam & moleſtiam percipiendam ex iſta cognoſcimus vel vi experientiæ, vel vi demonſtrationis, vel (quod præſtat) vi utriusque; conſenſus ſenſuum & imaginationis cum intellectu totus debetur experientiæ ac rationi, conſequenter a ſolo uſu facultatum naturali proficiſcitur. Enimvero in actione chriſtiana voluptas ex actione percipienda ſimulque tædium ex alia ſecuturum per modum prævisionis admittitur, quatenus certa fide in genere tenemus, actionem, quam Deus præcipit ac Chriſtus, voluptatis; quam vero Deus prohibet ac Chriſtus, tædiorum eſſe procreatricem, etſi ignoremus, qualis præciſe ex actione præcepta in ſpecie in nos redundatura ſit voluptas in hac vita, & qualis ex adverſo ex actione prohibita in ſpecie emerſura ſint in vita præſente tædia. Cumque præterea Chriſtus promiſerit ſe in vita altera æterna ac ineffabili volu-

voluptate eas, quas præcipit, actiones tanquam præmio condecoraturum, & ex adverso actiones, quas prohibet, æternos cruciatus secuturos; in actione christiana, dum sensus & imaginatio cum intellectu consentit, adest prævisio voluptatis & cruciatuum in vita ventura actiones hujus vitæ secuturorum. Et a gradu certitudinis fidei pendet vivida vi imaginationis voluptatis & cruciatuum futurorum repræsentatio, ut phantasmata seu ideæ vi imaginationis productæ ideis sensualibus æquipolleant, quemadmodum exemplo Apostolorum & Martyrum facile probatur, & hoc supposito ratio a priori ex principiis psychologicis datur. Hinc absque difficultate conficitur, consensum sensuum & imaginationis cum intellectu in actione christiana totum deberi fidei, consequenter a gratia, non a natura proficisci.

§. 7.

Quænam requirantur ad rectitudinem actionis christianæ ex

Quodsi ea ad animum probe revocemus, quæ de consensu facultatis cognoscitivæ inferioris cum superiori modo dicta sunt; nec obscurum esse poterit, quænam ad rectitudinem actionis

nis

nis christianæ requirantur, quatenus facultas quoque appetitiva inferior cum superiori consentire debet, scilicet appetitus sensitivus cum rationali seu voluntate & aversatio sensitiva cum rationali seu noluntate. Nimirum actus appetitus rationalis, seu volitio sequitur judicium intellectus de actionis bonitate, actus vero appetitus sensitivi perceptionem confusam voluptatis ex actione percipiendæ, ac similiter actus aversationis rationalis, seu nolitio sequitur judicium intellectus de actionis malitia, actus vero aversationis sensitivæ perceptionem confusam tædiorum ex actione percipiendorum. Unde si appetitus sensitivus & aversatio sensitiva cum rationali consentire debet, necesse tantummodo est, ut sensus ac imaginatio cum intellectu consentiant. Quamobrem præter ea, quæ de hoc consensu diximus, nihil ad actionem christianam requiri videtur, ex parte appetitus sensitivi & aversationis sensitivæ, ut omni gaudeat rectitudine. Enimvero totus fallitur, qui ita sentit. Neque enim perpendit, in appetitu sensitivo & aversatio-

parte appetitus sensitivi.

ſatione ſenſitiva ſedem ſuam habere affectus, ac horum in conſenſu utriusque cum rationali maxime habendam eſſe rationem, immo per eos demum tolli pugnam inter appetitum ſenſitivum & rationalem atque averſationem ſenſitivam & rationalem, ipſumque conſenſum reddi conſtantem. Multa hic dici poterant de ſtatu animi in actione chriſtiana, quæ ejus diverſitatem in naturali aperte loquuntur; ſed hæc relinquenda ſunt ei, qui Theologiam moralem aliquando ea methodo explicatam dabit, qua nos Philoſophiam moralem enodatam daturi ſumus. Lubet tamen aliqua ſaltem prælibare, ne multis videamur dixiſſe, quæ attentionem nullam merentur. Oſtendimus (§. 6.), in conſenſu ſenſuum ac imaginationis cum intellectu adeſſe prævifionem voluptatis perennis ex præmio actionis a Deo ac Chriſto præceptæ in altera vita percipiendæ. Quodſi fides, quæ habetur promiſſo Chriſti, ſuum acquiſivit robur; eum parit affectum, quem fiduciam appellamus, ſummum ſpei gradum

lum (*k*). Nimirum ex eo fiducia est, juod prorsus certum nobis videtur onum adventurum esse (*l*), adeoque dem nos jam possidere nobis videnur. Quamobrem affectus fiduciæ, jui oritur in appetitu sensitivo, dum ona a Christo in vita altera nobis proniſſa prævidemus, ex certitudine fidei :ſt, qua bona hæc tanquam nobis jam ræsentia spectamus. Unde de iisdem ;audemus, tanquam de bonis jam nobis præsentibus (*m*) & hinc est, quod pse affectus fiduciæ species quædam ;audii sit. Dum vero gaudet homo :hristianus de bonis venturi seculi, juod ea jam sibi possidere videtur; rægustum quendam habet illius voluptatis, quam prævideri diximus ane (§. 6.), quem vitæ æternæ prægutum vocant Theologi. Et prægustus iic pertinet ad appetitum sensitivum anctificatum, quemadmodum prævifio voluptatis futuri seculi ad facultaem cognoscitivam inferiorem illumiatam. Cum enim gratia ex illumi-

(*k*) §. 796. *Psych. empir.*
(*l*) §. 804. *Psych. empir.*
(*m*) §. 624. *Psych. empir.*

natione & sanctificatione sit, gratia vero facultates animæ omnes perficiat & elevet; illuminatio quoque facultatem cognoscitivam inferiorem & sanctificatio facultatem appetendi ac aversandi inferiorem perficere ac elevare debet. Hinc Deus dicitur hominem sanctificare totum, seu, ut vulgatus loquitur interpres, per omnia, *1. Thess. V. 23.* quia non solum respicit voluntatem & noluntatem, sed ipsam quoque facultatem appetendi & aversandi inferiorem, immo in facultatem quoque locomotivam redundat, quemadmodum mox apertius dicemus, & ipsam etiam facultatem cognoscitivam afficit, quatenus appetitus influit in assensum. Ex hactenus dictis liquet, rectitudinem actionis christianæ quoad facultatem cognoscitivam venire ab illuminatione, quoad facultatem appetendi & aversandi a sanctificatione. Etsi adeo vi principiorum Philosophiæ nostræ distincte explicetur rectitudo actionis christianæ; non tamen ideo naturæ viribus tribuuntur, quæ gratiæ accepta ferenda sunt: quin potius ex iis, quæ a nobis dicuntur, liquido appa-

ret,

ret, cur gratiæ accepta ferri debeant, nec tribui naturæ possint. Principiorum philosophicorum multo amplior usus est in Theologia, quam huc usque fuit agnitus, aut agnosci potuit, dum Philosophia nondum satis fuit exculta. Et Philosophiæ nostræ usum in Theologia amplissimum secuturo tempore deprehendent omnes, qui in eadem probe versati ad Theologiæ dogmata rimanda accedent. Ipso nimirum facto experientur distinctas rerum pure revelatarum dari notiones & de iis multa demonstrari posse, ut tamen metuendum non sit, ne viribus naturæ adscribantur, quæ gratiæ tribuenda sunt. Etsi autem de consensu appetitus sensitivi & aversationis sensitivæ cum rationali in actione christiana recta multa adhuc specialia dicenda forent; ab iis tamen in præsenti abstinendum. Ne tamen quis sibi persuadeat, quasi omnia huc spectantia a nobis dicta sint, aut nos saltem ea dixisse videri velimus, hoc saltem monendum esse duximus.

§. 8.

Equidem actio externa eadem ma- *Quanam ad recti-*

 net,

tudinem actionis christianæ requiruntur quoad facultatem locomotivam.

net, sive a Christiano, sive ab alio homine quocunque edatur, cum tota motibus organorum corporis absolvatur, qui a volitione, non autem a motivis, per quæ volitio determinatur, dependent. Quamobrem rectitudo actionis naturalis non videtur differre a rectitudine actionis christianæ quoad facultatem locomotivam. Enimvero quamvis utrobique iidem sint motus, qui ad actionem requiruntur, siquidem ea nulla ex parte deficere debet; cum tamen diversus sit animi agentis status & corpus animæ interpretem esse constet, vultus, gestus & aliæ actiones externæ, quæ actionem primariam comitantur, nec in id, quod faciendum, influunt nisi forsan ex accidente, in utroque agente eodem sese modo habere nequeunt. Cui ea perspecta sunt, quæ de conjectandis hominum moribus in parte altera Philosophiæ practicæ universalis demonstravimus; ei non obscura erunt, quæ hic dicuntur. Quoniam vero status corporis per se sequitur statum animæ, nisi quatenus consuetudines contractæ mutationem quandam indu-

cunt;

unt; modo cætera ſeſe recte habeant, e hiſce non anxie laborandum. Non amen propterea inutilem judicamus anc disquiſitionem, cum in conjetandis hominum moribus magnum abeat momentum hæc doctrina, utt hactenus in deſideratis ſit. Acceit, quod virtutes chriſtianæ ea de cau longe aliam induant ſpeciem exteram, quam naturales, ut, quæ latent, oc pacto ſenſibus manifeſtentur. Sae ſi patientia naturalis conferatur cum atientia chriſtiana, quam comitatur audium ex prævilione vitæ æternæ rtum & amorem Dei ac Chriſti ab hac ıſeparabilis, qualis conſpicitur in Apoolis & Martyribus, differentia quoad eciem externam, conſequenter quod ea, quæ a facultate locomotiva penent, oppido manifeſta erit. Extera hæc virtutis chriſtianæ ſpecies cum b actibus appetitus & averſationis deendeat, iſti autem actus ad ſanctifiationem referantur ſolis quippe naturæ viribus non debiti; illa quoque pſa quin ad ſanctificationem referri lebeat, haud quaquam dubitandum. Quamobrem tanto minus contemnen-

da sunt, quæ originem suam a divina gratia deducunt, sed digna omnino, quæ a Philosopho christiano accuratæ discussioni subjiciantur.

§. 9.

Cur orthodoxiæ habenda sit ratio.

Quamvis quæ hactenus diximus sufficiant, ut quandam rectitudinis actionis christianæ notionem consequamur, evolvendam accuratius quoad singula in eadem contenta ab eo, qui exasciatam theoriam condere voluerit; non tamen inconsultum judicamus, ut adhuc unum atque alterum moneamus. Dudum demonstravimus (*n*), rectitudinem actionis humanæ quoad voluntatem a rectitudine ejusdem quoad intellectum dependere. Idem obtinere in actione christiana non minus ex anterioribus perspicitur, quam ipsa natura animæ loquitur, siquidem eam ex Psychologia habueris perspectam. Verum adeo esse debet, Deum atque Christum præcipere aut prohibere hanc actionem. Vera esse debent dogmata, a quibus petuntur motiva volendi ac nolendi. Veræ denique esse debent doctri-

(*n*) *§. 89. part. 1. Phil. pract. univ.*

loctrinæ omnes, quarum quomodo-
unque in determinandis iis, quæ ad
ectitudinem actionis christianæ quo-
d facultatem appetendi & aversandi
k quoad consensum facultatis cogno-
citivæ inferioris cum intellectu vi an-
eriorum requiruntur. Unde liquet,
iominem christianum non recte age-
e, nisi etiam recte credat. Quamob-
em non minor cura impendenda do-
trinæ puritati, quam morum integri-
ati conservandæ, cum hæc sine illa
ubsistere nequeat. Quamvis adeo in-
empestivus zelus quorundam Theo-
ogorum, quo doctrinæ puritatem de-
endere voluerunt, orthodoxiam in
contemtum adduxerit; ea tamen in se
pectata contemnenda non est, modo
iomen non in abusum trahatur: id
quod futurum confidimus, ubi non
nodo nostra methodo philosopha-
buntur Theologi, sed eadem quoque
n omni studii theologici genere dex-
re utentur. Quoniam vero agendo-
um integritas a puritate credendorum
oendet, & agenda cum credendis in-
livulso nexu cohærent, siquidem illis
ua constare debet rectitudo; pietati

ac virtuti omni christianæ parum consulunt, qui credenda parum curant & christianismum ad agenda propemodum sola restringunt ignorantiam sub specioso simplicitatis christianæ titulo commendantes. Quemadmodum virtutes morales sejungi nequeunt ab intellectualibus, immo nec sejungi debent, ubi obligationi naturali satisfaciendum; ita nec agenda a credendis separanda, siquidem in agendo officio suo satisfacere debet Christianus. Theoria perfectior praxin quoque perfectiorem reddit, modo illa utaris. Theoriam autem veri nominis intelligimus, quæ parit plenariam convictionem, ut fidem gignat vivam.

§. 10.

An omnia ab agente observari possint, quæ ad rectitudinem actionis christianæ requiruntur.

Multa admodum sunt, quæ ex parte omnium facultatum ad actionis christianæ rectitudinem requiruntur. Nullus igitur dubito fore plurimos, qui cum ea ad animum revocaturi sunt, impossibile pronunciabunt, ab agente omnia perpendi posse, dum agit. Non nego dubium hoc aliquam habere speciem, quæ non satis acutis facile

cile imponit. Enimvero non habet speciem, nisi a falso supposito, quasi in qualibet actione actus isti facultatum singularum singuli certo quodam intervallo sese invicem excipere debeant, ut singulorum tibi sis conscius. Qui vero hoc supponit, is actus, quibus habitus aliquis absolvitur, cum ipso habitu agendi confundit. Sume enim habitum quemcumque, & ad eundem multiplices actus requiri deprehendes, quorum nullus abesse potest, nisi vitium quoddam irrepere debet in actionem, & qui singuli successive in potestatem agentis sunt redigendi, ut prompte edantur. Quando vero ex habitu agitur, actus omnes ea promptitudine eduntur, ut eorundem sigillatim tibi minime sis conscius: ubi autem quis deficit, defectus ex actione vitiosa statim agnoscitur, aut ab acutioribus detegi saltem potest. Eodem modo sese hic res habet. Opera danda est homini christiano, ut omnes actus, qui ad rectitudinem actionis requiruntur, ipsi fiant familiares: quod ubi obtinuerit, ex habitu dum agit, actus isti omnes sua veluti sponte con-

current, utut eorundem sigillatim minime sibi fuerit conscius. Qui ea tenet, quæ de perceptionibus & appetitionibus confusis in Psychologia demonstravimus, ei nihil in hisce superit obscuri. Pendent in anima præsentia a præteritis: quæ dependentia etsi in casu singulari imperscrutabilis sit, in genere tamen a priori demonstratur & a posteriori experimentis ac observationibus confirmatur. In Philosophia autem morali pariterque in Theologia morali dependentia ista distincte explicanda, quatenus ad recte agendum sufficit. Nemo autem se huic labori parem putet, nisi qui facultatum humanarum usum & earum a se invicem dependentiam in Psychologia penitus perspexit & demonstrandi habitu pollet. Fortunæ potestati homines in praxi morali permittunt, quæ libertati suæ subjicere poterant ac debebant. Quid ergo mirum, si actiones ipsorum a rectitudine illa abesse deprehenduntur, quam urgemus?

§. 11.

Quid sit Christo vivere & Quodsi ea perpendere libuerit, quæ de actionis christianæ rectitudine a nobis

bis dicta fuerunt; non modo intelliges, quomodo Christianus veri nominis Christo vivat, verum etiam videbis, quomodo Deus in Christo honoretur qualibet actione christiani veri nominis. Deo vivit, non sibi, qui actionibus suis voluntati divinæ satisfacere studet, committendo actiones, quia Deus eas committi vult, & non committendo seu omittendo alias, quia Deus eas non vult committi, seu vult omitti (o). Quamobrem Christo vivit, non sibi, qui actionibus suis voluntati Christi satisfacere studet, committendo actiones, quia eas committi vult, & non committendo seu omittendo actiones, quia eas non vult committi, seu vult omitti. Ad rectitudinem actionis christianæ requiritur, ut actiones ideo committat Christianus, quia Christus eas committi vult, & omittat seu non committat alias, quia idem eas omitti vult seu non vult committi (§. 5.). Christo igitur vivit, non sibi Christianus. Nimirum Christiano non est propria voluntas, sed voluntas

Deum honorare in Christo.

(o) *not. §. 27. part. 2. Phil. pract. univ.*

luntas Christi est ipsi loco propriæ, quoniam non juxta suam, sed Christi voluntatem determinat actiones suas liberas. Similiter non proprio judicio determinat, quænam actio sit committenda, quænam omittenda, sed Christi judicium suum facit, actionem bonam esse ratus, quia Christus eam præcipit, malam vero reputans, quia idem eandem prohibet: ut adeo, quatenus non suo, sed Christi stat judicio in dijudicandis actionibus liberis, intellectum suum subjiciat intellectui Christi, adeoque hujus intellectus sit ipsi loco proprii. Perinde igitur est quoad actiones liberas, consequenter vitam moralem (*p*), ac si intellectus ac voluntas Christi, consequenter Christus esset in nobis. Atque hinc intelligitur, quo sensu Christus dicatur esse in nobis & quomodo vivat in nobis. Facile perspicient acutiores nos dedisse principia, per quæ multæ locutiones Mysticorum sano sensu explicari possint, ut nihil habeant absurdi, quamvis propterea non velimus, ut locu-

(*p*) §. 7. *part. 2. Phil. pract. univ.*

locutionibus utamur, quæ infirmos ac hebetiores facile offendere possint, etsi ea teneri consultum judicemus, ne nos iniquos præbeamus iis, qui, ut veritatem retineant, linguam temperent, admonendi tantummodo erant. Obiter hic observamus, ut hoc etiam documento addiscant, qui philosophiæ nostræ infensi sunt, quantum ea utilitatis afferat ad Theologiam omnem intimius perspiciendam, qualis hactenus a Philosophia exspectavit nemo. Evicimus in superioribus (§. *cit.*), voluntatem Christi atque Dei esse unam eandemque ac pariter judicium Christi atque Dei de actionibus nostris liberis esse unum idemque. Quamobrem dum dicto Christi sumus audientes eumque tanquam Doctorem a Deo nobis datum veneramur, in qualibet etiam actione Deum veneramur tanquam Dominum nostrum, immo quatenus Deo placere studemus fide firma meritum Christi nobis applicantes (§. 5.), eundem qualibet actione veneramur tanquam benefactorem nostrum in Christo. Atque adeo jam patet, quomodo Deus a nobis honoretur

tur in Christo, quemadmodum in sacris præcipitur. Idem adhuc luculentius liqueret ex aliis, quæ de motivis a Christo & redemtionis opere petendis dici poterant, si ad specialia descendere licuisset. Sed hæc relinquimus iis, qui Theologiam moralem aliquando accuratius pertractaturi sunt ea observantes, quæ a nobis in tradenda praxi morali suo tempore ac loco observaturi sumus.

§. 12.

Usus doctrinæ præcedentis. Rectitudo actionis christianæ abunde docet, non esse adeo facile, ut vitam agas, quæ Christianum decet. Ex eadem etiam liquet, Christianum nunquam otiosum esse, sed continuo ad majorem vitæ perfectionem contendere debere. Immo hinc patet, quid sibi velit Scriptura, quando Christianos crescere jubet. Mittimus alia, quæ inde lucem suam mutuantur. Pauca hæc tantummodo indicare libuit, ut acutiores tanto rectius videant, quam fœcundæ sint notiones nostræ etiam in Theologia revelata. Non vero parvi pendendus est tam præclarus ac eximius

ıius usus Philosophiæ nostræ in Theo-
ogia: etenim hic facit ad non repu-
;nantiam christianismi cum principiis
ationis evidentius inspiciendam, con-
equenter ad veritatem ejus persua-
lendam acutioribus. Plenaria nimi-
um convictio non naturæ, sed gratiæ
lebetur. Neque adeo a Philosophia
ılus expectari potest, quam ut religio-
ıis christianæ probabilitas adstruatur.
Hæc autem plena luce fulget, ubi ani-
nadvertis ex principiis Philosophiæ
ationem a priori reddi posse eorum,
uæ in Theologia revelata affirman-
ur, admissis hisce tanquam veris, nec
nter hæc atque principia rationis di-
tinctis notionibus explicata repu-
;nantiam ullam dari.

II.

De Abusu Rationum legalium Legum.

§. 1.

SOlenne est interpretibus Juris Ro-
mani in rationes legum inquire-
re: quo studio inter ceteros emi-
ıere voluit *Caspar Manzius*, Juris quon-
dam

Institutum Autoris.

dam Profossor in Academia Dillingiana, deinde Ingolstadiana. Præter alios enim Tractatus particulares integrum Commentarium conscripsit in quatuor libros Institutionum imperialium, quo omnium, non modo in singulis paragraphis, sed etiam versiculis traditorum rationes redduntur. Cum enim toto illo triennio, quod Philosophiæ addiscendæ impenderat, ita rationibus delectatus fuisset, ut id solum se scire crederet, quod per causam suam cognosceret; ubi ad Juris studium transitum fecit & illud in solis legum auctoritatibus fundatum vidit, tædium illius in principio statim cepit, animumque post multos jam superatos labores ferme omnino abjecit & sæpe de deserenda legali scientia cogitavit. Ipse igitur ad munus publice interpretandi Institutiones admotus tales Institutiones suis auditoribus tradere voluit, quales tyro quondam excipere desideraverat. Propria nimirum experientia edoctus noverat, studium Juris hoc pacto facilitari & profectus discentium promoveri, prætereaque ipsi exploratum erat per rationem maxime

ɩime veritatem perſpici. Qui ratio-
ɩes legum reddere conantur, iis po-
:iſſimum rationes legales placent: un-
le etiam *Manzius* Commentario ſuo
n titulo hunc verſiculum adſcripſit:

Nil alii ſine lege volunt, & nil ſine textu,
Sed ſine legali nos ratione nihil.

Nobis, qui Jurisprudentiam civilem n formam artis methodo demonſtra-:iva redigendam eſſe exiſtimamus, ɋuod, & quomodo hoc fieri poſſit, in his ipſis Horis docuimus, inſtitutum hoc reddendi rationes legum non po-:eſt non probari, ac inprimis etiam :ationes legales ſeſe præ ceteris com-nendant, ubi tales dari poſſunt. Non :amen promiſcue probamus rationes egum, quas paſſim allegant autores, ıc multo minus ſtudium rationes le-:ales afferendi in totum probare poſ-umus. Quemadmodum Theologi lictis Scripturæ dogmata ſua proba-uri non uno modo peccant, dum nunc :a allegant, quæ non probant, quod :rat probandum, nunc ad ea provo-:ant, quæ non ſatis evidenter evin-:unt, quod erat demonſtrandum, nunc lictis Scripturæ probant, quod hac

probatione non indiget; ita similiter interpretes Juris non uno modo in reddendis rationibus legalibus a veri tramite aberrant. Quamobrem ne rationes legales, merito suo loco commendandæ, in abusum trahantur; de eo in præsenti dicere instituimus.

§. 2.

Quænam hic supponenda. Ut autem penitus intelligantur, quæ jam dicturi sumus; pauca quædam de rationibus legalibus præmonenda sunt. Quænam rationes sint legales, dudum diximus alibi (q), nimirum hæ, quæ desumuntur ex alia lege. Unde facile apparet, legum omnium rationes legales reddi minime posse, nisi circulum vitiosum committere velis. Dentur enim necesse est leges quædam primitivæ, si vel maxime omnes inter se cohæreant, ut una sit concordia; quarum ratio aliunde, quam ex lege quadam alia reddenda. Quodsi ergo rationes legales cognoscere aves, necesse est ut legum mutuam a se invicem dependentiam cognoscas: neque enim alio pacto absque circulo vitioso certo

(q) §. 134. part. 1. Phil. pract. univ.

:o cognoscitur, quænam leges ratio-
nem in alia lege & in quanam habeant
r). Quamobrem quod dicit *Manzius*
§. 1.), nihil sese velle sine legali ratio-
ne, universaliter dictum accipi nequit;
multo minus ut hoc fiat, studendum,
nisi subinde nugari aut circulum vi-
iosum committere velis. Dependen-
ia legum a se invicem tum demum
nnotescit, ubi methodo demonstrati-
va in formam artis rediguntur. Qua-
e hæc ipsa methodus tutissima via est,
qua ad rationes legales genuinas abs-
que ulla hæsitatione & hallucinatione
pervenire datur. Quicunque igitur
ationum legalium utilitatem agnoscit
asdemque urget, Methodo demon-
strativæ in Jure adversari nequit nisi
ejus ignorantia. Nos itaque cum hanc
methodum commendamus, non aliud
agimus quam ut illorum propositum
promoveamus, &, ne eodem aberrent
efficiamus. Nullus ego dubito, *Man-
zium*, si eandem operam Mathesi im-
pendisset, quam Philosophiæ navave-
rat, ut methodi demonstrativæ notio-

 nem

(r) §. 851. *Ontol.*

nem quandam habuisset ejusque vim ac efficaciam animo comprehendisset, illa methodo Jura in formam artis reducturum fuisse. Quemadmodum enim desideravit videre aliquem, qui Philosophiam legalem Philosophiæ naturali conformaret, quia Philosophiæ addiscendæ toto triennio se totum dederat; ita similiter desiderasset videre aliquem, qui Jurisprudentiam Mathesi conformaret, siquidem huic addiscendæ tempus aliquod impendisset. Diserte nimirum fatetur, desiderii sui hanc esse rationem, ut intellectus humanus plene satietur. Qui vero demonstrationum vim expertus est, ejus intellectus plene satiari nequit, nisi evidentia demonstrationum. Cum itaque ipsemet Philosophiam legalem naturali, qualem didicerat, conformare studuerit, quod neminem reperiret autorem, qui hoc fecisset; ita eadem ratione permotus methodum quoque demonstrativam ad tractationem Juris transtulisset.

§. 3.

Primus abusus rationum legalium.

Primus abusus rationum legalium est, quod etiam eorum, quæ pro legibus

bus parum apte habentur, rationes legales inquirantur. Exemplum apud *Manzium* occurrit statim initio Commentarii ad Rubricam procemii, ubi eguntur hæc verba: In nomine Domini nostri JEsu Christi. Rationem enim redditurus, cur a Divino Numine principium ducendum, quod verbis hisce procemio præfixis ab Imperatore præcipi sumit, provocat ad l. 2. C. *de Off. præf. præt. Afric.* ubi in principio Imperator: In nomine, inquit, Domini nostri JEsu Christi ad omnia consilia omnesque actus semper progredimur. Non probat exemplum Imperatoris habere vim legis, ut perinde sit ac si juberet a Divino Numine duci principium. Cumque verba Codicis non loquantur nisi de exemplo, ne quidem ea pro ratione, cur hoc fieri jubeat Imperator, accipi possunt. Ipse autem Imperator, l. c. rationem facti sui reddit ex eo, quod felices in regimine suo successus referat ad Deum autorem. Quamobrem si factum Imperatoris pro lege habere voluisset *Manzius*, verbis, quæ allegat, idem probans rationem in ipsa lege contentam

ctam potius afferre debuisset. Sed videtur mihi argutari, qui in explicando Jure hoc modo procedit, quam solidam ejus scientiam auditoribus tradere. Mallem ego explicari distincta notione, quid sit in nomine Domini nostri JEsu Christi tractationem juris incipere, quam præcepti non explicati rationem afferri, præsertim cum ratio non sit, nisi quatenus per eam intelligitur, cur hoc fieri debeat. Quomodo autem perspicere potes, cur quid fieri debeat, ubi nondum intelligis, quid sit illud, quod fieri debet. Similiter *Pomereschius* (*s*) rationem redditurus, cur in Jure non tradantur definitiones regulis Logicæ conformes, eam inde petit, quod juxta *Ulpianum* (*t*) ICti veram, non simulatam philosophiam affectent, & in jure omnis definitio periculosa (*u*). Idem, cur justitia definiatur per voluntatem, rationem hanc dat legalem, quod errantis nulla voluntas sit (*x*). Nolumus cumulare exempla qua

(*s*) *in tyrocinio Juris ad princ. de J. & J.*
(*t*) *l. 1. ff. de J. & J.*
(*u*) *l. 102. de R. J.*
(*x*) *l. 15. de Jurisd.*

quæ passim obvia sunt. Quin potius ostendemus, quod recte ad abusum rationum referatur legalium, si eorum, quæ legum in numero non sunt, rationes legales reddere volueris. Rationes legales cum ex legibus petantur, ubi eædem redduntur, per legem unam intelligitur, cur in altera hæc præcipiantur, vel prohibeantur, consequenter per eas manifestatur legum concordia. Neque enim solum *Justinianus* voluit legum civilium omnium unam concordiam esse debere (y); verum etiam hanc requiri in legibus civilibus & positivis quibuscunque in Jure naturæ demonstratur. Quamobrem per rationes legales potissimum intenditur, ut hæc concordia palam fiat. Rationes itaque legales non exigunt nisi leges, quæ ab aliis legibus pendent in statu ideali se prioribus. In legum igitur numero quæ non sunt, aut perperam in eundem referuntur, eorum absque ratione redduntur rationes legales. Leges admittuntur tanquam leges ob voluntatem imperantis: Sed cetera, quæ

 leges

(y) *l. 8. C. de J. V. enucl.*

leges non sunt, admittuntur tanquam vera, non quia imperans hoc dicit, sed quia vera esse intelliguntur. Quamobrem per rationem legalem in Jure civili non intelligitur, cur assertum aliquod sit verum, consequenter rationes legales sine ulla utilitate afferuntur. Afferendæ potius sunt rationes, per quas patet asserti veritas. Atque adeo abusus omnino est rationum legalium, si ad asserta alia, quæ leges non sunt, trahantur, omissis præsertim iis, quæ veritatem in apricum producere debebant. Sumamus cum *Manzio* exemplo *Justiniani* nos doceri, principium tractationis Juris ducendum esse a divino Numine, seu in nomine Domini nostri JEsu Christi. Cur hoc fieri debeat, non intelligitur ex eo, quod *Justinianus* profiteatur, se in nomine Domini nostri JEsu Christi ad omnia consilia omnesque actus semper progredi. Ratio igitur legalis, quæ affertur, nulla est. Nimirum Christiani obligantur præcepto divino, ut, quicquid faciant, hoc faciant in nomine Domini, 1. Cor. X, 31. Quamobrem si hæc obligatio extendenda ad Juris quoque

que

ue tractationem; ante omnia expli-
andum est, quid significet in nomine
Domini JEsu Christi quid facere, ut
tiam constet quid sit incipere tracta-
onem in nomine Domini JEsu Chri-
i & hinc pateat, num obligatio illa
ivina etiam spectet auspicium Juris
actandi. Tum vero tantummodo
onstat, nos Juris tractationem inci-
ere debere in nomine Domini nostri
Esu Christi, ut officio hominis chri-
iani satisfaciamus, nondum vero in-
elligitur, cur hoc sit præceptum stu-
ioso aut Doctori etiam Juris, qui Chri-
ianus est. Quicquid igitur sibi velit
æc enunciatio: Juris tractatio inci-
ienda est in nomine Domini nostri
Esu Christi; facile tamen apparet,
am aliunde quam ex lege aliqua posi-
va petendam esse. *Manzii* ævo non-
um distincta notione explicabatur,
uid sit ratio, nec usu receptum erat
ullos recipere terminos distincta no-
one nondum explicatos. Qua de
ausa mirum minime videri debet,
uod & ipse, & alii videantur sibi red-
ere rationem, ubi revera nullam red-
unt. Sed de eo jam nobis quæstio

 non

non est, ubi tantummodo notamus abusum petendi rationem ex lege, ubi ex lege nulla peti potest; non autem de valore rationum, quæ dantur, disquiritur. Similiter quando quæritur, num in Jure civili requirantur definitiones accuratæ, quales exigunt regulæ logicæ; ex lege ratio reddi nequit. Lex enim tantummodo docet, quid fieri aut non fieri velit Legislator; an vero definitiones accuratæ requirantur in Jure civili, ex voluntate Legislatoris definiri nequit. Definitiones habent suum usum, cui destinantur, & ut hanc habere possint, observandæ sunt regulæ a Logica præscriptæ. Ab usu adeo definitionum, quem in Jure habere debent, petenda ratio est, utrum necesse sit eas esse accuratas, an vero adeo scrupulose concinnandæ non sint, quemadmodum volunt regulæ Logicæ.

§. 4.

Secundus abusus rationum legalium.

Secundus abusus rationum legalium in eo consistit, quod allegentur, quæ pro rationibus haberi nequeunt. Quando quæritur, utrum ratio aliqua legalis revera ratio sit, necne; quæstio duplex

duplex est. Aut enim quæritur in genere, num quod tanquam ratio ex lege aliqua allegatur, sit ratio veri nominis, an solummodo pro tali venditetur: aut quæritur in specie, num ratio, quæ datur, revera in lege ista contineatur, cujus verba adducuntur. Illud dijudicandum est ex definitione rationis, quam dedimus in Philosophia prima; hoc vero ex sensu, quem habent verba legis. Duplici igitur modo peccatur in allegandis rationibus legalibus, vel quando lex allegata pro ratione alterius legis, cujus ratio legalis datur, haberi nequit, definitione rationis repugnante; vel quando verba legis, quæ rationis loco citantur, alium prorsus sensum fundunt, quam qui ipsis tribuitur. Exempla utriusque abusus rationum legalium obvia sunt. *Manzius* (z) rationem redditurus, cur Jurisprudentia definiatur, quod sit divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia, hanc allegat, quod *Chrysippus* legem dixerit omnium divinarum & humanarum

rum

(z) *ad* §. 1. *Inst. de J. & J.*

rum rerum reginam, justorum & injustorum regulam (a). Rationem vero hanc nullam esse, facile ostenditur. Etenim quamvis leges sint objectum Jurisprudentiæ, ex eo tamen quod *Chrysippus* dicat, reginam rerum divinarum & humanarum atque justorum & injustorum regulam esse legem, nondum intelligitur, an Jurisprudentia recte dicatur divinarum & humanarum rerum notitia, justi & injusti scientia; supponitur enim legem recte definiri per reginam rerum humanarum & divinarum, justorum & injustorum regulam. Lex igitur allegata tantummodo facit ad definitionis interpretationem, non vero definitionis insinuat rationem. Nimirum si sumamus, in definitione Jurisprudentiæ respici ad verba *Chrysippi*, quod lex sit regina rerum divinarum & humanarum, justorum & injustorum regula; dicendum erit, definitionis hunc esse sensum, quod Jurisprudentia sit scientia legum. Quodsi ergo quæras rationem, cur loco legis ponantur res divinæ & humanæ,

(a) *l. 2. ff. de LL.*

næ, justum & injustum; ratio omnino reddenda erat, per quam intelligitur, legem recte definiri per reginam rerum divinarum & humanarum, justorum & injustorum regulam. Si quis excipiat, definitiones Jurisprudentiæ ac legis arbitrarias esse, adeoque nullam reddendam esse rationem, cur ita definiantur; eo ipso *Manzium* redarguit, quod rationem reddere voluerit ejus, cujus nulla ratio datur, adeoque objectio ista a nobis non attendenda, qui contendimus, quod ex lege allegatur tanquam ratio alterius legis, rationem esse nullam. Quoniam JCti contendunt, in Jure non opus esse definitionibus exactis (§. 3.), agnoscunt tamen definitionem magnum lumen omnibus materiis affundere, & ex ejus ignorantia nullam materiam bene intelligi aut cognosci posse (*b*); definitiones suas magis considerant tanquam propositiones, in quibus de subjecto confuse percepto enunciantur prædicata eidem tribuenda, quam definitiones, atque adeo non inepte quærunt rationes.

(*b*) *Schraderus apud Manzium ad rubr. tit. 15. lib. 3. Instit. n. 4.*

nes, cur eadem ipsi tribuenda sint, easque legales, cur ex mente legum tribuenda veniant, ubi in Philosophia forent arbitrariæ terminorum explicationes. Quamobrem si quis in Jure communi definitiones exactas dare voluerit, Jurisprudentiam civilem in formam artis methodo demonstrativa redacturus; non suo arbitrio eas formare potest, quemadmodum Philosopho concessum, qui terminis significatum tribuit pro suo arbitratu, sed vocabulis tribuere tenetur significatum menti legum conformem. Atque tum non est absonum dare definitionum rationes legales, quibus evincitur, esse eas menti legum consentaneas. Similiter quando testamentum pronunciatur invalidum, si princeps litis causa vel in testamento imperfecto instituatur hæres (*c*), *Pomereschius* cum aliis hanc reddit rationem legalem, quod deceat tantæ majestati eas servare leges, quibus ipsa soluta videtur (*d*) & nihil tam proprium sit imperii, quam legibus

(*c*) §. 1. *Inst. quib. mod. test. infirm.*
(*d*) *l. 23. ff. de leg.*

ius vivere (*e*), dignaque vox majesta-
e regnantis, legibus se profiteri alli-
gatum, & revera majus imperio sub-
mittere legibus principatum (*f*). Ra-
tionem hanc esse nullam, ex ipsa defi-
nitione rationis patet: neque enim per
hoc intelligitur, cur Princeps in istius-
modi negotiis, quæ ad imperium non
spectant, legibus privatorum se sub-
mittere debeat. Ratio itaque legalis
petenda potius ex Jure naturali, quo
demonstratur, Principem quoad ista
negotia, quæ imperium non tangunt,
considerandum esse instar privati, &
vi officii imperantis ipsi incumbere
exemplo suo commendare leges sub-
ditis & eos obligare ad earundem ob-
servantiam. Cum Jus naturæ ab inter-
pretibus juris civilis aut prorsus fuerit
neglectum, aut saltem non satis excul-
tum, propterea quod in ea fuerint sen-
tentia, Jus naturæ & gentium in ge-
neralissimis tantum consistere; ratio-
nes ex jure naturali petendas in Jure
civili quæsiverunt: quo in casu fieri
haud

(*e*) *l. 23. C. de Testam.*
(*f*) *l. 4. C. de LL.*

haud quaquam aliter potuit, quam ut afferrent, quæ minus satisfaciunt.

§. 5.

Tertius abusus. Ad abusus rationum legalium etiam refero, quod in iis reddendis circulus committatur. Quod enim circulus committatur, non aliunde est, quam ab intempestivo studio rationum legalium, quasi omnium eorum, quæ in Jure dicuntur, ratio quædam ex alia lege reddi debeat. Accidit itaque ut ex lege P rationem reddas legis B & ubi deinde ad legem P perveneris, denuo rationem petas ex lege B, consequenter circulus committatur. Quemadmodum vero nihil definit, qui in definiendo circulum committit, nihilque probat, qui eundem committit in probando; ita etiam rationem nullam dedisse dicendus est, qui in rationibus reddendis circulum committit. Quoniam leges non eo ordine collocantur, quo a se invicem dependent, sed priori loco explicantur in compendiis Juris, quæ multa supponunt infra demum proposita; circulus vitiosus committi potest, ut vix animadver-

nadvertatur. Cum enim leges non o ordine digestæ sint, quo a se invicem dependent; permissum utique est nteriorum rationem petere ex sequentibus & vicissim sequentium ex anterioribus; nec qui hoc facit ideo circuum committit. Dum vero hoc facere suevit, defectu attentionis vel etiam nemoriæ quodam defectu in circulum acile incidit.

§. 6.

Cum rationibus legalibus confundenda non sunt, quæ interpretes Juris civilis ex legibus citare solent, ut constet eos legibus consentanea proferre. Aliud nimirum est probare, quod legibus ea consentiant, quæ dicis; aliud est rationem reddere, cur lex hoc imperet, vetet, permittat aut puniat, ut servetur concordia legum. Unde *Manzius* in versiculo supra citato (§. 1.) distinguit inter voluntatem nil asserendi sine lege & voluntatem nil asserendi sine ratione legali. Quamvis adeo illi, qui nil sine lege loqui volunt, in eosdem legum abusus incidant, qui sunt familiares in rationes legales inquirentibus; non tamen pro- *Quænam cum rationibus legalibus non confundenda.*

pterea in unum confundenda, quæ diversa sunt ac a se invicem separanda. Optime hæc duo distinxit *Pomereschius* in Tyrocinio Juris super quatuor libros Institutionum: unde iis, quæ ex legibus rationis loco adducit, in gratiam tyronum, quibus scripsit, nomen rationis præfigit, ceteris nullo titulo ornatis. Equidem concedo posse etiam quodam sensu leges quascunque allegatas rationes dici; non tamen ideo sunt rationes legales legum, quas hic consideramus. Nimirum si quis probaturus ea, quæ affirmat, legi consentanea esse provocat ad quandam Pandectarum aut Codicis legem; ex ea, quam adducit, lege utique intelligitur, quod legi consentientia loquatur, consequenter lex illa, quam allegat, ratio est, qua constat ipsum a lege non aliena affirmare. Enimvero qui ipsius legis alicujus rationem legalem reddere studet, docere intendit, quod lex, cujus rationem reddit, aliter sese habere nequeat, siquidem unus esse debet legum concentus, propulsatis antinomiis. Obtinet idem in Theologia, ubi aliud est dicta Scripturæ allegare,

are, ut oſtendas te menti ejus confor-
nia ſtatuere, aliud dogmatis alicujus,
uod Scripturæ menti convenire con-
tat, reddere rationem ex dogmate alio
idem conſentaneo. Cum Inſtitutio-
es eandem habeant autoritatem cum
'andectis & Codice: fruſtranea omni-
o eſt eorum opera, qui citatis & Di-
eſtis & Codice legibus conſentanea
ſſe probant ea, quæ in inſtitutioni-
us docentur. Idem eſt, ac ſi Theo-
ogus per alia Scripturæ loca probare
ellet, quod Scripturæ conſentanea
int, quæ Scriptura uno in loco dicit.
Ne tamen virgula cenſoria notentur,
uæ eam minime merentur; duo a ſe
ivicem probe diſtinguenda ſunt. Ni-
nirum aliud eſt allegare leges, ut per
as conſtet, quæ hic affirmantur eſſe
nenti legum conformia; aliud eſt ad
eges alias provocare, ut per eas ſen-
us verborum in data lege obſcurio-
um fiat manifeſtus, ſeu leges per le-
es explicare, quemadmodum inter-
retes Scripturæ ſacræ Scripturam per
cripturam explicare ſolent, immo in
odem caſu, de quo nobis hic ſermo
ſt, explicare debent. Acutum in di-

stinguendo te probare teneris, nisi in censendis aliorum factis te iniquum præbere ac a veritatis tramite deflectere velis.

§. 7.

Quartus abusus rationum legalium.

Etsi autem leges, quæ tantummodo eo fine allegantur, ut appareat, quæ hic dicuntur esse legibus alibi enarratis consentanea, non sint rationes legales (§. 6.); fieri tamen potest, ut tanquam rationes legales allegentur, cum apud Doctores Juris non insolitum sit, ut rationem reddituri idem aliis verbis dicant. Occurrunt sane in ipso Jure Romano exempla, ubi rationes, quæ proferuntur, idem dicunt aliis verbis, immo iisdem propemodum verbis. In Institutionibus (*g*), ubi dicitur: Si filiusfamilias militaverit, vel si Senator, vel Consul factus fuerit, remanet in potestate patris, hæc additur ratio: Militia enim vel Consularis dignitas de patris potestate filium non liberat. Qui verba a rebus distinguit, animum advertens ad notiones, quæ vocabulis tanquam signis respon-

(*g*) *§. 4. quib. mod. Jus Patr. Pot. solv.*

espondent, ei haud obscurum est, dem dici, quando asseritur, filiumfa- ilias remanere in potestate patris, si ilitaverit, vel si Senator, vel Consul actus fuerit, & quando affirmatur, mi- tiam vel consularem dignitatem de atris potestate non liberare filium. ynonyma enim sunt remanere in po- estate patris & non liberari de patris otestate. Ratio igitur tautologica st. Quodsi dicas, verba posteriora on accipi debere pro ratione ejus, uod anterioribus enunciatur; nullo ane fine adduntur & particula enim mittenda fuerat, siquidem tantum- nodo anteriorum declarativa esse de- eant: quod tamen ipsum nec com- node asseritur, quia prioribus nec nagis perspicua sunt, nec anteriora deo obscura, ut per se intelligi ne- queant. Nolumus cumulare exempla n re facili. Rationes enim tautolo- icas, quas inter abusus rationum le- alium recte referri nemo in dubium evocabit, nisi qui, quid ratio sit, igno- et, facillime agnoscet, modo ei hoc xemplum, quod produximus, solum b oculos versetur.

§. 8.

Quomodo abusus rationum legalium evitentur.

Quodsi jam porro quæsiveris, quomodo abusus rationum legalium evitari possint; facilis quidem responsio est, sed quæ eorum evitandorum gratia præcipiuntur, non eadem facilitate ad praxin transferuntur. Primo necesse est, ut distinctam notionem rationis habeas, quam explicatam dudum dedimus (*h*). Etenim qui rationem reddere vult ejus, quod asseritur; is omnino certus esse debet, quod rationis loco affertur, esse revera rationem. Quemadmodum vero curva non agnoscitur esse parabola, nisi quatenus eidem convenit parabolæ definitio; ita nec quod rationis loco affertur revera rationem esse liquido constat, nisi quatenus definitio rationis eidem competit. Nemo ea de re dubitaverit, nisi qui ignorat dictum de omni & nullo, unico ratiocinandi fundamento (*i*), aut saltem animum ab eodem avertit. *Pomereschius* (*k*) rationem cur militia ac dignitas consu-laris

(*h*) §. 56. *Ontol.*
(*i*) §. 349. & 353. *Log.*
(*k*) *ad §. 4. I. quib. mod. patr. pot. solv.*

laris non liberet a patria poteſtate, allegat ſummum rigorem patriæ poteſtatis apud Romanos, quem patere exiſtimat ex §. 2. *I. de patr. pot.* ubi Imperator: nulli alii, inquit, ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus. Ex hiſce verbis nec intelligitur, quod ſummus fuerit rigor patriæ poteſtatis apud Romanos, nec ex ſummo rigore patriæ poteſtatis apud Romanos intelligi datur, cur militia & conſularis dignitas non liberet a patria poteſtate. Quod igitur rationis loco affertur, ratio nulla eſt. Ipſum vocabulum ſummus rigor non ſatis perſpicuum, ut, quid eodem ſignificetur, præciſe non appareat. Quod ſi dicas declarationis cauſa eum addere, patriam poteſtatem non ſolvi niſi morte aut naturali, aut civili, atque hinc conſtare, quinam ſit ſummus rigor; primo quidem regero, perperam allegari §. 2. *de patr. pot.* cum allegari potius debuiſſet integer hic titulus, quibus modis patria poteſtas ſolvatur. Ex eo enim conſtat, moribus Romanorum eandem fuiſſe ſolutam morte naturali & civili

 patris,

patris, non tamen sola, cum soluta etiam fuerit emancipatione & dignitate Patriciatus ad illius imitationem. Quod si rationes, quæ a Juris interpretibus redduntur, vi definitionis rationis, quemadmodum fieri debet, dijudicare volueris; quam parum satisfaciant longe plurimæ deprehendere licebit. Ut vero vi definitionis hujus rationes genuinas a spuriis separes, acumen quoddam requiritur nonnisi multo usu acquirendum, ne tibi videaris intelligere, cur quid sit, etiamsi non intelligas, aut non intelligas sufficienter. Sane quamvis distincta rationis notio perspecta minime fuerit iis, qui rationes legum reddere voluerunt; confusa tamen ejus notio, quæ evoluta idem dicit, animis eorum obversata fuit. Quamobrem ubi rationem attulerunt, quæ nulla est; id ideo accidit, quod sibi visi sunt per eam intelligere, cur illud sit, cujus rationem reddere voluerunt, cum tamen per eandem intelligi hoc nequeat. Ita *Schneidevvinus* rationem hanc reddit legalem, quod militia a patria potestate non liberet, quia etiam militibus pietatis ratio in parentes

tes constare debet (l): quam nullam esse agnoscit *Gothofredus*, quod hanc etiam parentibus debeant liberi emancipati. *Schneidevvinus* adeo per hoc sibi visus fuit intelligere, cur militia a patria potestate non liberet, quod milites etiam pietatem debeant parentibus, consequenter hanc rationem esse agnovit, cur militia non solvat patriam potestatem. Et *Gothofredo* idem visum fuisset, nisi instantia ab emancipatis desumta ipsi persuasisset, rationem hanc nullam esse. Nimirum si *Schneidevvino* apparere non debuisset, quod non est, & si *Gothofredus* ostendere debuisset, cur ratio nulla sit; uterque expendere debuisset jura, quæ involvit patria potestas Romana, & officia, quæ injungit pietas: tum enim evidenter uterque perspexisset, quod positis hisce liberorum officiis non ponantur illa jura parentum, consequenter per hæc officia non intelligatur, cur parentibus competere debeant ista jura. Romani jus patriæ potestatis deduxerunt a generatione, quod

 adeo

(l) *l. 1. ff. de obseq. a lib. & lib.*

adeo patri competit, quia pater est, adeoque revera considerarunt tanquam jus naturæ patri competens, quod invito auferri nequit; etsi Imperator dicat jus civium Romanorum proprium, quia aliæ gentes talem in liberos potestatem non habebant, qualem habebant Romani (*m*). Atque hinc omnino sequebatur, nec militiam, nec dignitatem consularem liberare a patria potestate, etsi pater filium emancipare posset, libere suo juri renuncians. Confunduntur in Jure Romano quæ a Jure naturæ veniunt cum iis, quæ positivi sunt: unde non omnia satis inter se cohærent. Sed hæc brevibus exponi minime possunt.

§. 9.

Idem ulterius expenditur. Rationes legales genuinas redditurus porro expendere debet dependentiam legum a se invicem: ita enim demum intelligitur, quænam lex rationem habeat in lege alia, & qua posita ponatur & ipsa (*n*). Dependentia legum a se invicem minime patet per omnia, nisi eædem methodo demonstrati-

(*m*) *§. 2. Inst. de patr. pot.*
(*n*) *§. 851. 118. & Ontol.*

ſtrativa in ordinem redigantur. Quamobrem qui rationes legales genuinas detegere, atque abuſus, quos antea notavimus, omnes evitare voluerit; Di eo ordine leges digerere tenetur. Dici non poteſt, quanta confuſio deprehendatur apud Autores, qui rationes legum legales reddere conantur. Non vero erit hujus confuſionis finis, niſi ubi leges methodo demonſtrativa in ordinem fuerint digeſtæ. Qui rationes legales admittit, negare nequit, leges methodo demonſtrativa in ordinem redigi poſſe. Quoniam enim legum aliarum ex aliis ratio reddi poteſt, aliæ quoque ex aliis demonſtrari poſſunt. Qui adeo concedunt dari legum rationes legales, hoc tamen non obſtante contendunt, methodum demonſtrativam non convenire Jurisprudentiæ; hi aut non intelligunt, quid ſint rationes legales, aut ignorant, quid ſit demonſtratio legum ex legibus aliis tanquam principiis, aut utrumque non ſatis capiunt. Non nego interpretes Juris multarum legum dediſſe rationes legales genuinas, etſi methodi demonſtrati-

ſtrativæ auxilio deſtitutos: id vero eſt, quod affirmo, quod in eas caſu magis inciderint, quam arte, & quod ignorantiæ methodi demonſtrativæ tribuendum, quod ſpurias a genuinis non ſemper ſeparaverint, haud raro etiam genuinas non ſufficienter evolverint, ut vel tales agnoſcantur, vel ſcientiæ idea exemplari inſtructo ſatisfaciant. Eodem modo ſeſe res habet cum rationibus legalibus ac cum veritate, cujus non omnis cognitio negatur iis, qui methodi demonſtrativæ ignari ſunt, etſi haud raro falſum cum vero, incertum cum certo confundant, nec veritatem intime perſpiciant ab ea evidentia procul remoti, quæ aliunde quam a methodo demonſtrativa fruſtra expectatur. Non commendamus hanc methodum, quæ nunquam ſatis commendari poteſt, niſi quantum exigit indiſpenſabilis neceſſitas, ſiquidem ſolida rerum cognitio in omni genere promoveri debet. Nihil tribuimus amori; veritati unice litamus. Scientiam legalem promoveri optamus, cum multam ea promittat generi humano utilitatem, qua

nunc

nunc caret. Ingenue igitur indicamus, quænam ad eam consequendam necessaria sunt, ut excelsa ingenia excitemus ad bene de scientia humanoque genere merendum. Interest Reip. ut habeat viros doctrina solida imbutos & scientia legali instructos, quemadmodum aliquando in Philosophia civili disertius explanaturi sumus.

§. 10.

Quænam porro ad rationes legales investigandas tenenda.

Denique omnibus, qui rationes legales scrutari genuinas sibi proponunt, commendamus, ut quid in Jure Romano sit juris naturalis, quid positivi & quid in specie Romanorum proprii accurate discernant. Etenim tum demum patebit, num ratio legis genuina ex lege naturali quadam petenda sit, an in lege aliqua positiva contineatur, an vero ex statu civili Romanorum arcessenda veniat. Qui vero huic labori se parem existimaturus est, is exasciatam juris naturalis theoriam perspectam habere debet, nec ignorare, quomodo ex lege naturali fiat positiva addendo, vel demendo,

mendo, prouti rationes ex ſtatu civili deſumendæ requiſiverint: immo nec incognita ipſi eſſe debent, quænam Statui Romano fuerint propria. Alias enim inanem operam ſumet, nec ſatisfaciet peritis, ſi vel maxime ſibi aliisque ſe non acutioribus vel prorſus hebetioribus magnus videatur Apollo. Jus poſitivum ſupponit naturale: antequam igitur theoria Juris naturæ fuerit exaſciata, de exacta theoria Juris poſitivi non cogitare licet, niſi a ſe invicem ſeparanda confundere velis. Multa ſunt in Jure Romano ac civili omni Juris naturalis, quæ ex Syſtemate Juris Naturæ ſumenda, non vero in ſyſtemate Juris civilis demum demonſtranda, ſiquidem ſyſtemati Juris civilis ſyſtematis Juris naturalis partem aliquam inſerere nolis. Idem hic tenendum, quod de articulis mixtis in Theologia revelata demonſtrandis monuimus, cum de methodo demonſtrativa ad hanc applicanda ageremus. Nimirum quemadmodum Theologiæ revelatæ ſyſtema methodo demonſtrativa digerendum ſupponit ſyſtema Theologiæ natura-

turalis eadem methodo conditum; ita systema Juris civilis methodo eadem componendum supponit systema Juris naturæ ea ipsa methodo concinnatum. Et quemadmodum articuli mixti, qui in systemate Theologiæ naturalis demonstrati sunt, in Theologiæ revelatæ systemate demonstrandi non sunt ex principiis rationis, ita nec leges, quæ ex Jure naturæ in Jus civile receptæ, in systemate Juris civilis ex principiis rationis demum demonstrandæ. Etenim si utrobique accurata esse debet demonstratio, aut sumenda sunt principia ibi ex Theologia naturali, hic ex Jure naturæ, aut integrum systema ibi Theologiæ naturalis inferendum est systemati Theologiæ revelatæ, hic systema integrum Juris naturæ inferendum in systema Juris civilis. Si principia demonstrandi petuntur ex systemate Juris naturalis in Jure civili ad legem civilem demonstrandam, quæ nonnisi ex Jure naturæ in hoc translata est absque ulla immutatione; nulla sane ratio est, cur non ipsa lex in systemate Juris naturæ demonstrata supponatur. Ubi

vero

vero systema Juris naturæ satis completum idque veri nominis extiterit; systema Juris civilis multo minore opera absolvi poterit & ad systema Juris naturæ relatum omnem demum habebit lucem, quæ offundi potest juri civili. Et maximus labor huc redibit, ut ex principiis Theoriæ naturalis legum civilium demonstretur, quomodo conditæ fuerint leges civiles a naturalibus recedentes. Tuncque patebit magis quam nunc putatur indispensabilis necessitas Juris naturalis, consequenter & Methaphysicæ, ad Juris civilis studium feliciter absolvendum, neque qui Mathesi operam dederunt cum tædio versabuntur in studio Juris, cum in Jure eadem luce fruantur, qua in Mathesi.

§. 11.

Monitum de rationibus legalibus hactenus traditis.

Quamvis autem quoad rationes legum non modo legales, verum etiam ceteras multa regnet confusio apud Doctores, qui in eas hactenus inquisiverunt; absit tamen ut existimes, eorum operam nulli prorsus usui esse ei, qui genuinas scrutaturus est. Cui enim ex

ex Psychologia leges perspectæ sunt, juxta quas sese exerit usus rationis; ei non ignotum erit, etiam acutissimi aciem haud raro subterfugere rationem genuinam, nisi juvetur vel spuria ab alio allata. Obtinet hoc in omni veritate investiganda, ita ut error ab alio admissus nobis monstret viam ad veritatem inveniendam, quæ alias nobis minime patuisset. Errantes dum errant nos haud raro deducunt in viam veritatis, ut ideo ipsis tanquam ducibus debeamus gratias, sine quibus ad veritatem pertingere nobis minime datum fuisset. Multum adeo falleris, si tibi persuadeas eos, qui male fecerunt, quod erat faciendum, nihil ad hoc conferre, ut tu recte aut saltem melius facias. Sed de his ex instituto agendum est in arte inveniendi, siquidem eadem methodo in formam artis redigatur, qua Logicam reduximus. Nos sane magistros veneramur, quorum institutione profecimus, etiam eos, qui errore suo nos ad veritatis cognitionem perduxerunt, quam alias non assecuti fuissemus, aut saltem tunc temporis nondum perspexissemus, de-

ficiente causa, ob quam rectum facultatum usum facere nobis datum fuisset. Neque hunc morem a principiis juris naturæ & philosophiæ moralis alienum esse scimus, quicquid videatur aliis per præcipitantiam judicantibus, ad quam affectuum inordinatorum impetu abripiuntur. Si quis vero in perscrutandis rationibus legum a Doctoribus relatis utilem operam sumere voluerit; is & principiis Philosophiæ, & inprimis Juris naturæ animum imbutum possideat methodique scientificæ gnarus sit necesse est. Secus enim nulla ratio est, cur plus videat illis, consequenter rationes genuinas a spuriis ea accuratione separet, quæ ad evitandum omnes abusus in superioribus notatos aliasque aberrationes requiritur. Nimirum qui exactum de rationibus legum ab aliis relatis judicium ferre debet, illi & principia perspecta sint necesse est, quæ ad ratiocinandum necessaria, & ipse habitu ratiocinandi ac ratiocinia legitime concatenandi polleat. Etenim cur Doctores hinc inde cespitaverint, non alia est ratio, quam quod principiorum

um philoſophiæ ac juris præſertim naturæ ignari fuerint habituque demonſtrandi caruerint. Quodſi ergo illotis manibus examen rationum legum aggrediaris, non multum tibi promittere poteris, nec expectandæ a te erunt niſi opiniones, quæ tibi videntur probabiliores.

III.

De Notione Libertatis Academicæ.

§. 1.

NEmini ignotum eſt, in Academiis noſtris regnare libertatem, quæ tantum valet apud Studioſos, ut, quoties eam violari aut reſtringi arbitrantur, non modo ingentes audiantur querelæ, verum etiam haud raro magni tumultus excitentur periculoſi iis, qui eidem adverſari videntur. Pro certo tamen habendum, vix ac ne vix quidem unum reperiri, qui diſtinctam libertatis academicæ habet notionem, & multos non ſine maximo ſuo damno libertatem in licentiam convertere ſolere. Quamobrem non inconſultum eſſe duxi oſtendere, quo- *Inſtitutum autoris.*

modo ex principiis Philosophiæ nostræ methodo nobis familiari distincta notio libertatis academicæ determinetur, & libertas academica a licentia separetur.

§. 2.

Ex quo fonte notio libertatis academicæ ducenda.

Libertas academica supponit notionem libertatis in genere, sub hac enim tanquam species sub suo genere continetur. Notio libertatis in genere ex Jure naturali petenda. Est enim ea jus quoddam homini connatum seu natura competens. Qua de causa etiam nos cum in Tomo primo Juris naturæ jura connata demonstraremus, de jure quoque libertatis egimus (*o*), eamque a licentia separavimus (*p*). Quicquid libertatis in genere notioni inest, id etiam notio libertatis academicæ cum eadem commune habet. Ut vero intelligatur, quomodo libertas academica ab alia quacunque specie differat; expendendæ sunt actiones Studiosi qua civis academici: cum non in aliis, quam in hisce libertas academica spectari possit. Atque adeo apparet,

(*o*) §. 135. & seqq.
(*p*) §. 149. & seqq.

paret, ex quo fonte notio libertatis academicæ deducenda ſit, ſi eam rite determinare, nec a veritate aberrare volueris Hanc igitur viam ingrediamur, ut diſtincte percipiamus, quid ſit libertas academica & quomodo a licentia differat.

§. 3.

Libertatem definivimus per poteſtatem in ſeipſum, quatenus nimirum liber ſeu ſui juris eſt, qui alterius poteſtati ſubjectus non eſt (*q*), atque hinc deduximus (*r*), hominis liberi actiones eſſe independentes a voluntate alterius, ut adeo libertas etiam recte definiatur per independentiam actionum hominis a voluntate alterius hominis cujuscunque, quatenus ſcilicet homo liber in agendo non dependet niſi a ſeipſo (*s*). Quoniam itaque libertas academica reſtringitur ad actiones Studioſo proprias (§. 2.); ex his, quæ modo diximus, ſua ſponte fluit, libertatem academicam eſſe independentiam actionum ſtudioſi qua *Libertas academica quid ſit.*

 ſtudio-

(*q*) §. 135. *Tom. I. J. N.*
(*r*) §. 152. *Tom. I. J. N.*
(*s*) §. 153. *Tom. I. J. N.*

ſtudioſi a voluntate aliorum, ita ut ſtudioſus liber ſit, quatenus in determinandis hiſce actionibus non dependet ab aliorum voluntate, ſed eas determinare poteſt prout lubet. Eſt autem Univerſitas ſpecies quædam ſocietatis civilis, ex docentibus & diſcentibus tanquam membris compoſita, ita ut docentes Superiorum ſeu Magiſtratus, diſcentes vero parentium perſonam tueantur: unde ſtudioſi in Academia degentes, quatenus tanquam membra Univerſitatis ſpectantur, vocantur cives academici. Quemadmodum itaque in ſtatu civili libertas naturalis limitatur, quantum exigit finis civitatis, ne abuſu vertatur in licentiam eidem contrariam; ita quoque libertas ſtudioſi, quatenus eſt civis academicus, limitatur, quantum exigit finis Univerſitatis, ne abuſu abeat in licentiam eidem adverſam. Unde quando libertatem academicam definimus per independentiam actionum ſtudioſi qua ſtudioſi a voluntate aliorum; propterea ipſum non facimus independentem a legibus academicis, quaſi in actionibus ſuis determinandis earum

nullam

nullam habere debeat rationem. Quemadmodum enim libertas naturalis non tollit obligationem naturalem (*t*); ita similiter libertas academica non tollit obligationem civis academici. Qui nomen suum dat Universitati declarans sese esse velle membrum ejusdem seu civem academicum, promisso suo se obligat ad leges academicas servandas, consequenter in tantum libertati academicæ in se spectatæ renunciat, quantum per eas limitatur. Hinc libertas academica duplici modo considerari potest, nimirum quatenus in se spectatur citra respectum ad statum alicujus Academiæ, & quatenus spectatur in relatione ad hunc statum. Illam *naturalem* vocare licet, & de ea valet definitio a nobis allata: hanc vero *positivam* seu *civilem* appellare possumus, & ea definiri poterat ad imitationem *Florentini* (*u*), quod sit independentia actionum studiosi qua studiosi a voluntate aliorum, nisi quatenus aliqua actio lege academica prohibetur.

(*t*) *§. 138. Tom. I. J. N.*
(*u*) *l. 4. ff. de statu homin.*

§. 4.

Circa quasnam actiones versetur libertas academica.

Vi libertatis academicae ſtudioſus ſeu civis academicus ea facere poteſt, quae lubet, niſi quatenus lege academica quid prohibetur, dum eas ſpectamus actiones, quae ſtudioſo propriae ſunt. Quodſi ergo eandem ultra ſuos limites extendere nemo debeat, neceſſe eſt, ut inquiramus, quaenam ſint actiones ſtudioſi tanquam perſonae moralis propriae. Videamus itaque, quo fine ſtudioſi in academias proficiſcantur, ut, qualis ſit perſona moralis, quem ſtudioſum appellamus, & quaenam ad finem ſuum conſequendum faciant actiones, intelligatur. Conſtat juvenes in academias mitti, ut ad certum quoddam vitae genus, olim in civitate obeundum, reddantur apti ac idonei, quod ſine intellectus ac voluntatis cultura rite obire non licet. E. gr. qui ſtudioſi Theologiae appellantur, ad munus eccleſiaſticum adſpirant, atque adeo in Academiam proficiſcuntur, ut cultura intellectus ac voluntatis ea conſequantur, quae requiruntur, ut quis Miniſtri eccleſiae munere dextre ac utiliter defungi poſſit. Ita Studio-

ſus

ſus Juris, qui ad munus Judicis aut Advocati adſpirat, in academiam adventat, ut ea diſcat easque conſequatur animi dotes, ut aliquando Judicis aut Advocati perſonam cum laude ſuſtinere queat. Studioſus Medicinæ, qui artem ſalutarem poſt reditum in patriam exercere decrevit, in Academia commoratur, ut aptus efficiatur ad morbos ſanandos & præcavendos. Hinc adeo liquet, actiones ſtudioſi qua ſtudioſi non eſſe alias quam quas committere aut omittere tenetur, ut & intellectus, & voluntas ad eum perfectionis gradum perducatur, qui ad munus, ad quod adſpirat, recte obeundum requiritur. Et in hiſce actionibus independens eſt a voluntate aliorum, ita ut facere poſſit, quod lubet, niſi quatenus quid lege academica prohibetur. Non faciendum ipſi eſt, quod volunt commilitones; non faciendum, quod hic vel ille vult Profeſſor, aut alius quidam docens: ſed quemadmodum vi libertatis naturalis unicuique hominum permittendum eſt, ut in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra

jus tuum nil facit (*x*); ita etiam vi libertatis academicæ unicuique studioso permittendum est, ut in determinandis actionibus studioso propriis ex fine, cur in Academiam accesserit, agnoscendis & ab aliis distinguendis suum sequatur judicium, nec aliquis commilitonum vel Professor etiam, aut docens alius prætendere potest, ut sequatur judicium ipsius, quamdiu contra jus ejusdem nil facit. Exemplo res evadet clarior. In academiis animus studiosi imbui debet certa doctrina, siquidem aptus ac idoneus esse velit ad munus illud obeundum, ad quod adspirat. Eo fine frequentare tenetur collegia eorum, qui docent ipsi discenda. Electio igitur docentis, frequentatio hujus vel illius collegii, diligentia & assiduitas pertinent ad actiones studioso proprias. Vi libertatis academicæ studiosi est pro suo arbitratu eligere docentem, cujus lectionibus intersit & ex cujus ore proficiat: neque ea in re sequi cogitur judicium commilitonis, aut Professoris alicujus. Quodsi

(*x*) §. 156. *Tom. I. J. N.*

Quodſi tamen lege aliqua academica, quæ in ſtatutis continetur, cautum ſit, ut nonniſi Titius hoc doceat, nullus autem alius; ſi alium docentem ſibi eligere velit, non obſtante libertate academica, ne faciat, cogi poteſt. Neque vero cogi poteſt, ut Titii collegia frequentet, quoniam vi libertatis academicæ collegium aliquod frequentare perinde ac non frequentare poteſt, prout ipſi libuerit. Similiter vi libertatis academicæ ſi collegio nomen ſuum dedit ſtudioſus pro ſuo arbitrio frequenter lectionibus intereſſe, aut raro ad eas audiendas accedere poteſt, prout libuerit: neque docenti permiſſum eſt compellere eum in auditorium ſtatuto tempore, aut abſentiæ pœnam in eum ſtatuere, vel in rationem abſentiæ inquirere; neque etiam permiſſum eſt commilitoni, ut ipſum adigat ad exemplum ſuum ſequendum. Alia igitur eſt ratio ſtudioſi in Academia degentis & diſcipuli in Schola, qui Præceptoris ſui voluntatem ſequi tenetur in diſcendo & vi compelli poteſt ad faciendum, quod facere non vult. Ad hactenus dicta

qui

qui animum advertit, is facile deprehendet actiones, in quibus locus est libertati academicæ easque discernet a ceteris, ad quas hæc minime pertingit.

§. 5.

Actiones libertatis naturalis non confundendæ cum actionibus libertatis academicæ.

Libertas academica non tollit libertatem naturalem, sed ex hac potius tanquam ex fonte suo fluit, adeoque eam intactam relinquit, quatenus per statum civilem non limitatur. Distinguendæ igitur sunt actiones, quæ sunt libertatis naturalis, ab iis, quæ sunt libertatis academicæ. Quoniam itaque studiosus tanquam peregrinus in alieno territorio per aliquod tempus commoratur, vi legis naturalis simul civis temporarius est, seu membrum ejus civitatis, in qua degit, & ideo libertas naturalis ipsi salva est quoad actiones, de quibus leges positivæ istius civitatis nil disponunt, quoad ceteras vero iisdem legibus subjicitur. Ita vi libertatis naturalis pro arbitrio suo statuere potest studiosus de habitatione sibi commoda visa, nec cuiquam jus est eum adigendi, ut in aliis potius, quam in hisce habitet ædibus. Similiter

iter vi ejusdem ipsi liberum est, quo onvictu uti & quomodo pecunias uas erogare velit. Etsi adeo Rectori cademiæ competat jurisdictio in cies academicos, non tamen ideo ipsi us est studiosis præscribendi, in quious ædibus habitare, quo convictu iti & quomodo pecunias suas adminiſtrare debeant. Quodsi tamen leges lentur civiles, quibus actiones istæ erto modo limitantur; contra eas nec juicquam facere potest studiosus, quaenus enim civis temporarius in eo erritorio esse vult, tacite libertati suæ ıaturali renunciat, quatenus ibi loci ege positiva restringitur. Quæ ex liertate naturali fluunt, ea studiosus ommunia habet cum civibus aliis, jusdem civitatis membris, nec ipsi anquam studioso competunt, cum ex ıdverso quæ libertati academicæ acepta ferenda studioso propria sint. Duplicem studiosus in Academia degens sustinet personam, nimirum civis academici & civis temporarii. Hæc lifferentia nisi attendatur, fieri haud juaquam potest, ut in omni casu de otestate studiosi in seipsum, seu actionum

num ipsius a voluntate aliena independentia exactum feratur judicium. Non finguntur subtilitates inanes, ubi differentiæ ipsis rebus insunt: quin potius diversæ hinc oriuntur notiones, ex quibus petenda est ratio eorum, quæ in genere spectata eandem habere videntur.

§. 6.

Quænam de privilegiis studiosorum hic tenenda.

Equidem fieri potest, ut civis temporarii, qui studiosus est, libertas naturalis minus restringatur, quam civium reliquorum sive perpetuorum, sive temporariorum. Enimvero hæc prærogativa juris privilegium academicum est a Rectore civitatis, cujus imperio summo subest academia, studiosis concessum. Respectu istiusmodi privilegiorum studiosus consideratur tanquam persona privilegiata, quæ jure potiori utitur aliis civibus temporariis cum civibus perpetuis eodem jure utentibus. Quamobrem ea, quæ licita sunt vi privilegiorum academicorum, non confundenda cum iis, quæ a libertate academica veniunt. Ita in Academiis, in quibus studiosi subsunt Jurisdictioni Rectoris, cum alii cives pere-

peregrini subsint jurisdictioni ordinariæ illius loci, studiosi habent forum privilegiatum, neque accusati comparere tenentur in foro alio, etsi tanquam cives peregrini ordinariæ jurisdictioni illius loci subesse deberent. Hoc vero privilegium non fluit ex libertate academica. Similiter si studiosis competit immunitas a certis oneribus, quæ ferre debent etiam cives temporarii, quæ ideo licita sunt studioso, non autem alii civi temporario, ad libertatem academicam minime referenda. Quæ enim a privilegio studiosis concesso veniunt, eorum ratio ex notione libertatis academicæ reddi nequit. Libertas academica in se & originarie spectata naturale quoddam jus est ex ipsa notione studiosi fluens: ast privilegia, quibus studiosi tanquam civis temporarii jus efficitur potius quam aliorum peregrinorum in territorio isto commorantium, inde originem suam minime deducunt, etsi vulgo libertas academica dicatur major, ubi studiosi præ aliis peregrinis & civibus perpetuis potiori jure fruuntur.

§. 7.

§. 7.

De restrictione libertatis tenenda.

Ex adverso fieri etiam potest, ut libertas eorum, qui studiorum causa in urbe commorantur, magis restringatur quam aliorum peregrinorum, adeoque ipsis licita non sint, quæ hisce licent, quemadmodum etiam libertas academica limitibus quibusdam coërceri potest, qui eidem per se non conveniunt. Hoc dijudicandum est ex legibus positivis, quas superiori ferre licuit. Quoniam adeo superior non permittit, ut quis studiorum gratia in academia sua commoratur, nisi sese legibus istis subjiciat; qui nomen dat academiæ, libertati & academicæ, & ei, quæ competit aliis civibus temporariis in isto territorio, in tantum tacite renunciat, quantum utraque legibus positivis coarctatur. E. gr. Ponamus esse legem, qua nummi, qui mittuntur studiosis, mitti jubentur ad quosdam Professores, qui sumtus necessarios inde subducant & cuique, quod debetur, solvant. Repugnat hoc libertati, qua fruuntur cives alii temporarii de nummis suis pro arbitrio suo disponentes. Non tamen ideo con-

conqueri poteſt ſtudioſus quaſi de jure quodam ſuo violato: neque enim ipſi fit injuria, cum fiat volenti. Si nolit nummos ſuos mitti ad Profeſſores, qui de iis juxta legem præſcriptam diſponunt; ab Academia iſta abeſſe debet, cum liberum ipſi ſit, utrum legi ſe ſubmittere & in Academia hac commorari malit, an vero in alia Academia vivere, ubi talis lex non adſtringit ſtudioſos. Cum vero ſuperioris ſit ferre leges, quibus libertas ſive academica, ſive naturalis reſtringitur; jus libertatis ſtudioſorum violant Profeſſores, qui proprio auſu, nulla a ſuperiori conceſſa poteſtate, eandem limitibus coërcent, injurii adeo in ſtudioſos, quemadmodum in ipſum Superiorem, cujus jus ſibi arrogant.

§. 8.

An libertas academica tollat obligationem naturalem.

Demonſtravimus in Jure naturæ (y), libertatem naturalem, quæ ſcilicet natura competit homini omni, non tollere obligationem naturalem, ac ideo nemini, quia liber eſt, permiſſum eſſe, ut quid faciat contra jus alterius (z).

(Hor. Subſ. 1731.) Uu Quo-

(y) §. 159. Tom. I.
(z) §. 160. Tom. I.

Quoniam itaque libertas academica sub naturali tanquam species sub suo genere continetur (§. 2.); nec ea obligationem naturalem tollit, neque adeo studioso, quia studiosus est, permissum ut quid faciat contra jus alterius cujuscunque. Si studiosus officiis suis erga seipsum sive naturalibus, sive academicis non satisfacit; nemini jus est ab ipso rationem exigendi, cur *hoc non* faciat, vel remediis coactivis ipsum adigendi ut faciat: hoc enim repugnat libertati naturali & academicæ, vi cujus conscientiæ ipsius relinquendum, quid agat (*a*). Attat quamprimum violat jus alterius, hoc ferendum non est; cum naturaliter homini omni permissum sit jus suum adversus alterum prosequendi, cumque studiosus sit civis temporarius, subjectus legibus civilibus loci, ubi degit, adversus eum in hoc casu civibus perpetuis licent, quæ vi illarum legum adversus alium civem sunt permissa, nisi quatenus privilegia jus quoddam potius eidem conferunt (§. 5.), quod citra injuriam a nemine violari potest. Quodsi exemplis

(*a*) §. 157. *Tom. I. Jur. nat.*

ɔlis hactenus dicta illustrare vellemus, ngens dicendorum campus aperire- ur, qualis locus non conceditur in iisce horis subsecivis. Quoniam ta- nen studiosi distincta notione satisque dæquata libertatis academicæ destitu- i male eandem interpretantur, sibique ompetere jura arbitrantur, quæ nul- ı sunt; aliqua saltem in specie mone- i consultum est. Multi studiosorum ibi persuadent, quasi sui sit arbitrii, itrum docentibus, quorum collegiis aterfuerunt, honorarium, quod vul- o dicitur, aut rectius & magis pro- rie loquendo mercedem promeritam ɔlvere velint, nec ne. Obligatio so- ıtionis nascitur ex contractu, qui in- :r ipsos & docentem initur, dum no- ıen suum dant. Solvere, quod debes k contractu, legis naturalis est. Ab ac igitur obligatione studiosum non berat libertas academica. Si non vis ɔlvere quod debes, alteri competit atura jus te vi adigendi, ut facias, uod sponte facere non vis, & in sta- ı civili implorandum est officium ju- icis, cui exercitium juris cogendi de- ıandatum. Quamobrem docens in-

juriam non facit ſtudioſo; ubi judicis officium implorat adverſus eum, qui quod debet ſolvere, detrectat: ſit ita quod multi docentium hoc non faciant, quemadmodum ego, qui per quadraginta propemodum annos in academiis docui, nunquam auxilio judicis uſus in exigendo honorario. Idem jus in ſtudioſum eſt omni, cui quid ipſe debet. Somniant adeo, qui opinantur, quaſi ſibi injuria fiat, ſiquidem querela ob moram ad judicem defertur, multoque magis a veritate recedit eorum opinio, quod ea de cauſa jus non ſolvendi acquiſiverint. Similiter etſi nemo prohibere poſſit, quo minus pecunias in alios uſus impendat ſtudioſus, quam ad quos mittuntur; non tamen ideo hoc facere licet vi obligationis naturalis, ſed tantummodo impune facit vi libertatis academicæ, ubi nulla lege poſitiva reſtringitur.

§. 9.

Licentia academica quid ſit. Ex hactenus dictis abunde conſtat, quo uſque extendatur libertas academica proprie ſic dicta & intra quos limites coërceatur, ſi accedat libertas

ſtudio-

udiosis tanquam peregrinis in alieno erritorio commorantibus seu civibus emporariis, ut adeo extemplo pateat, um abusu in licentiam vertatur. Lu- et tamen de licentia academica diser- us dicere. Licentia, quatenus op- onitur libertati naturali, est jus sine lla restrictione faciendi, quod libet; uod fingi, non dari utpote per natu- am humanam impossibile a nobis de- nonstratum est (*b*). Quamobrem li- entia academica est jus fictum studio- in Academia viventis sine ulla restri- tione faciendi, quod libet, sive conside- etur tanquam studiosus, sive tanquam ivis temporarius, sive tanquam homo. Nimirum qui libertatem academicam um licentia academica confundunt, also opinantur, quasi eadem tollatur mnis obligatio, ut adeo in determi- andis actionibus suis nullius legis si- e naturalis, sive positivi habere de- eat rationem studiosus, sed prorsus xlex sit. Quoniam error infinitus st; non omnes licentiam academicam, uam pro libertate habent, eodem

(*b*) *§. 150. Tom. I. Jur. nat.*

modo extendunt, etſi omnibus eadem ſit confuſa notio. Quod enim nonnulli arctioribus limitibus eandem conſtringant, quam alii, non inde eſt, quod notio licentiæ academicæ alia ipſis ſit notio; ſed quod aliæ ſint rationes, pro diverſitate ſubjectorum admodum variantes, cur quasdam actiones averſentur, quas alii ſub eadem comprehendi putant. Sufficit omnibus eam inſedere opinionem, quod ſtudioſo facere liceat, quod lubet, ſine ulla reſtrictione, quaſi nulla eſſet ipſius obligatio, aliorum ex adverſo jus nullum. Jus proprium vero voluntate ſua metiuntur, quam pro ratione ſtare ſibi perſuadent. Lex naturæ obligat ſtudioſos, ut omni ſtudio ac labore contendant ad finem, cujus gratia in academiam venerunt, aut venire debuerunt, quem eſſe culturam intellectus ac voluntatis ad munus aliquando in patria vel alibi obeundum neceſſariam conſtat. Qui libertatem academicam cum licentia confundunt, hanc obligationem tollunt. Et ſi vel maxime ſtudiis gnaviter incumbunt, non tamen hoc faciunt, quod ad faciendum

ſe

e obligatos agnoſcant, ſed ex ratio-
ibus aliis extrinſecis, quæ ipſis neces-
itatem diligentiæ perſuadent. Inde
ſt, quod negligant, quæ maxime ad-
liſcere debebant, vel quod ſe eorum
otitia carere poſſe arbitrentur, vel
quod ea addiſcendi ſtudium moleſtum
videatur. Similiter lex naturæ ſtudio-
os obligat, ut pecunias ad tolerandos
umtus ſibi miſſas recte adminiſtrent.
Hanc obligationem non agnoſcunt,
qui libertatem academicam cum licen-
ia confundunt, in erogandis nummis
d rationes tantummodo extrinſecas
nimum advertentes, per quas arbi-
rium ſuum determinant. Ex licentia
deo academica fluit perverſa ſtudio-
orum œconomia, de qua tot hodie in
Academiis audiuntur quærelæ. Por-
o lex naturæ obligat ſtudioſos tan-
quam homines & poſitiva tanquam
ives temporarios, ut unicuique ſol-
vant, quod debent. Licentiam acade-
nicam cum libertate confundentes
iec hanc obligationem agnoſcunt; ſed
ibi ſolvere licere putant, quod de-
ent, quando commodum videtur,
ut, ſi non ſit commodum, nec ſolu-

tionem jure a se exigi putant, ita ut injuriam interpretentur, si quis petit, quod sibi debetur. Studiosus lege naturali obligatur aliis ad ea officia præstanda, quæ homo quilibet debet alteri. Qui vero licentiam academicam pro libertate habent, sibi in alios licere arbitrantur, quod libet. Inde est, quod opinentur, quasi jure suo cives perpetuos contemnere, contumeliis afficere, & quidvis in eos audere possint, nec his permissum sit conqueri de injuria sibi illata. Plura addere nolo, qui enim perversos multorum studiosorum mores perpendere voluerit, quænam eorum actiones licentiæ academicæ tribuendæ sint vi principiorum a nobis distincte explicatorum dignoscet. Qui adeo ex instituto de libertate academica & licentia cum eadem perperam confusa commentari voluerit; ex indicatis fontibus derivabit, quæcunque dicenda sunt ac singula accurate demonstrabit, modo principiorum philosophiæ ac methodi fuerit gnarus, sine quibus nulla datur solida eorum, quæ ab hominibus fiunt, cognitio.

§. 10.

§. 10.

Qui mores ſtudioſorum in Academiis viventium perſpectos habet, quantum noceat ignorantia diſtinctæ libertatis academicæ notionis, ſatis ſuperque intelligit, modo diſcernere noit ea, quæ a licentia academica ortum rahunt, a ceteris. Utile igitur eſt oſſe, in quo libertas academica conſiſtat & quinam ſit ejus abuſus. Quæ n anterioribus explicavimus, fœcunda ſunt principia, ex quibus omnia educi poſſunt a ſtudioſo obſervanda, ne libertas in licentiam vertatur. Quamobrem cum maxime noceat ſtudioſus & ſibi, & aliis; optandum omnino foret, ut nemo in Academiam mitteretur niſi libertate academica rite intellecta & ejus recto uſu perſpecto. *Utilitas notionis explicatæ.*

IV.

De Experientia morali.

§. 1.

PHiloſophia experimentalis vulgo non intelligitur niſi de naturali. Etenim hactenus uſu non eſt receptum niſi in Phyſica, ut per experi- *Inſtitutum autoris.*

 men-

menta inquiratur in effectus naturæ absconditos & causas eorum, quæ patent. Constat autem quanta utilitate Philosophia experimentalis fuerit introducta tum ad veritatem latentem detegendam, tum ad eam, quam cognovimus, confirmandam. Qui vero sibi persuadent extra cognitionem rerum naturalium nullum esse locum experimentis, oppido falluntur. Etenim in aliis quoque Philosophiæ partibus utiliter fiunt, & in ipsa inprims Philosophia morali. Connubium itaque rationis & experientiæ commendandum in quolibet cognitionis genere, & magnum habet momentum in Philosophia morali. Experimenta & observationes tanquam duæ species sub Experientia tanquam genere continentur. Ac idem est observationum, qui experimentorum usus. Quod si observationes semper in potestate essent, quando eas desideramus, ac tales haberi possent, quales expetimus; experimentis carere possemus. Quamobrem quoad Philosophiam perinde est, sive quid per experimenta detegatur, sive ex observationibus eruatur.

In

n præsenti itaque nobis propositum ſt docere, quomodo obſervationibus t experimentis ſit utendum in Philoſophia morali ad imitationem ejus, uod in Philoſophia naturali fieri ſoet.

§. 2.

Veritates morales duplices ſunt. Aliæ theoreticæ, aliæ practicæ. Primo gitur tenendum, quomodo obſervaionibus & experimentis ſit utendum uoad veritates theoreticas. Veritates heoreticæ actionum humanarum inrinſecam bonitatem & malitiam, ſeu ioneſtatem ac turpitudinem inſpicienlam ſiſtunt. Quæritur itaque, quonodo per obſervationes & experimena pateat actionum intrinſeca honeſtas ic turpitudo. Ex iis, quæ in Philoophia practica univerſali demonſtraimus (*c*), conſtat, actiones intrinſee bonas tendere ad perfectionem hominis ſtatusque ejusdem, intrinſece utem malas ad imperfectionem ejus ic ſtatus ipſius, conſequenter non minus honeſtatem, quam turpitudinem ntrinſecam æſtimandam eſſe ex eo, quod

Quomodo per obſervationes pateat intrinſeca actionum honeſtas & turpitudo.

(*c*) *§. 50. & ſeqq. part. 1.*

quod ex actionibus hominum liberis necessario consequitur, etsi propter circumstantiarum diversitatem non semper specie idem sit. Quoniam homines, inter quos vivimus, continuo edunt actiones tam malas, quam bonas; si attentionem nostram desiderari minime patiamur, ea observare licet, quæ ex actionibus ipsorum consequuntur. Atque adeo ex observationibus honestatem ac turpitudinem actionum eruere licet. Necesse tamen est, ut te satis circumspectum præbeas, ne actioni cuidam tribuas, quod alii causæ tribuendum, & ne necessario inde consequi existimes, quod saltem per determinationes quasdam accidentales superaccedentes hinc consequitur, etiam quatenus in genere spectatur. Antequam vero dispiciamus, quænam ad circumspectionem istam requirantur; tenendum est, observando vel erui honestatem ac turpitudinem intrinsecam actionum, vel confirmari. Posterius facilius est, prius difficilius, si in genere pronunciare debemus, quid obtineat. Quamobrem primo dicemus, quomodo intrin-

seca

ſeca actionum honeſtas & turpitudo obſervationibus confirmanda. Demonſtravimus in Philoſophia practica univerſali (*d*), actiones bonas per easdem rationes finales determinari, per quas determinantur naturales, malas autem determinari per diverſas. Vi hujus principii demonſtrari poteſt, quemadmodum in Jure naturæ fecimus, quænam actiones hominum ſint intrinſece bonæ, quænam malæ. Quamobrem veritatem eorum, quæ demonſtrata ſunt, confirmaturus animum advertere debes ad actiones tam alienas, quam proprias, & poſtea cum cura attendere ad ipſorum ſtatusque eorundem mutationem inquiſiturus in rationem, cur hæc detur: hoc enim pacto innoteſcet, num actioni ſit tribuenda, utpote non ſecutura, niſi ea edita fuiſſet. Quando ſuo tempore ad Philoſophiam moralem accedemus, principia quoque ſuppeditabimus, quæ in caſibus ſpecialibus uſui ſunt. Hic nec propoſitum nobis eſt ultra generalia progredi, nec progredi licet, cum ea, quæ hoc fine præſupponenda ſunt, a [illegible] nobis

(*d*) *§. 54. 55. Tom. I.*

nobis hic demonſtrari minime poſſunt. In quibusdam actionibus intrinſeca honeſtas & turpitudo adeo obvia eſt, ut ſola attentione agnoſcatur: ſed de his multa præcipi non eſt opus, quæ per ſe patent. De iis enim potiſſimum ſolliciti ſumus, quæ non ſtatim unicuique obvia. Si quis theoriam completam experientiæ moralis dare vellet, ei multi diſtinguendi forent caſus, in quibus non prorſus idem obtinet, etſi quod obtinet in ſingulis ex principiis generalibus deducatur. Nobis in præſenti ſufficit indicare viam, qua ſit eundum, ut ad metam perveniatur, ad quam contenditur. Diximus jam actiones per ſe bonas tendere ad perfectionem hominis atque ſtatus ejusdem, malas ex adverſo ad imperfectionem ejus & ſtatus ipſius. Et hoc quidem principio opus habes, ubi honeſtatem ac turpitudinem actionum intrinſecam ex obſervationibus eruere volueris. Nimirum hic animum advertere debes ad actiones tam proprias, quam alienas, & memoriæ infigendum, quid tu feceris, vel fecerint alii. Non minori ſollicitudine animum attende-

re

re debes ad mutationem agentis & sta-
us ejusdem, & inquirendum in ratio-
nem hujus mutationis. Ubi enim de-
prehendis ex actione ipsius hanc mu-
ationem fuisse consecutam, non con-
ecuturam, si actio edita non fuisset aut
privativa fuisset omissa; actio num sit
ntrinsece bona, an vero intrinsece
mala dignosces. Multa tamen, quem-
dmodum jam monui, hic circumspe-
tione opus est, ne actionem intrinse-
e bonam, vel malam statuas, quæ tan-
ummodo apparet. Atque acumen
ic præsupponitur non vulgare, nisi
ubinde cœcutire velis, omnia quoque
xacte trutinandi habitu pollere debes,
ne actioni per se tribuas, quod alii cau-
æ tribuendum, quæ ex accidente eidem
onnisi accedit. Nihil igitur mihi
onsultius videtur, quam ut in hisce
onnubium perpetuum sit rationis ac
xperientiæ & ne judicium præcipitet,
ui nec principiorum psychologico-
um adhuc gnarus est, nec ulla Philo-
ophiæ practicæ theoria genuina im-
utum habet animum. Non multa
ræclara in ullo genere cognitionis
hilosophicæ præstabit, qui Philoso-
phia

phia veriori, qualem nos dedimus, vacuum possidet animum: Quo vero quis in ea majores fecerit progressus, eo etiam in observando erit acutior. Exemplo Astronomorum docemur, quantum observationibus debeat theoria & quantum vicissim observationes debeant theoriæ, observationibus theoriam & theoria vicissim observationes continuo perficientibus. Quæ ab eo, qui omnis theoriæ ignarus est, nec multo facultatum cognoscendi usu pollet, ex observationibus eruuntur, nonnisi obvia sunt ac plerumque non satis determinata. Nisi præsupponi possit aliqua theoria, non multum progredi datur; quo vero illa fuerit amplior magisque exalciata, eo etiam plura observationi patent.

§. 3.

Quomodo & quando intrinseca actionum bonitas cognoscatur per experimenta.

Homo natura obligatur ad actiones intrinsece bonas committendas, intrinsece vero malas omittendas (*e*), & ad illas committendas, has omittendas eundem quoque obligat Deus (*f*). Actiones itaque intrinsece malas ne-

mini

(*e*) *§. 153. part. 1. Phil. pract. univ.*
(*f*) *§. 276. part. 1. Phil. pract. univ.*

mini committere licet, neque etiam licitum eſt ſeducere alios ad eas committendas (g). Qui adeo experimenti notionem habet & ejus ab obſervatione differentiam perſpicit; hinc omnino videt, experimenta quoad actiones intrinſece malas eſſe illicita. Non facienda ſunt mala, ut inde eveniant bona. Immo nec prudentiæ foret experimentum capere actionis intrinſece malæ in ſeipſo, cum omnis actio intrinſece mala noceat agenti, atque adeo abſurdum ſit tibi ipſi nocere, ut certus evadas, te hoc agendo tibi nocere. Solæ igitur actiones bonæ experimenta admittunt, malæ autem nonniſi obſervationibus ſubjacent. Et quatenus obligatio naturalis non permittit, ut mala facias; danda omnis opera eſt, ut intrinſeca malitia magis obſervetur in actionibus alienis, quam in propriis. Quoniam tamen dum ad virtutem contendis, fieri haud quaquam poteſt, ut ſubinde facias, quæ mala ſunt, immo haud raro ſpecie boni deluſus mala facis, vel aliis rationibus extrinſecis adductus committis actio-

(g) §. 694. Tom. I. Jur. nat.

actionem, quæ omittenda erat; per se patet, quod non modo hisce in casibus observare liceat malitiam intrinsecam actionis in teipso, verum etiam quod ipsa lex naturæ te adigat, ad eam observandam, quatenus præcipit emendationem utpote urgens continuum progressum ad majorem perfectionem. Ostendemus in Philosophia morali, qua attentione opus sit ad quaslibet suas actiones, ut intelligas, quantum in virtute profeceris, & quibus imperfectionibus adhuc obnoxius sis. Hac autem ipsa attentione una detegere datur intrinsecam actionum honestatem atque turpitudinem in seipso.

§. 4.

Necessitas experientiæ moralis quoad rectitudinem actionis.

Inprimis autem observationibus & experimentis opus est ad rectitudinem actionis agnoscendam. De rectitudine actionis principia generalia demonstravimus in theoria Philosophiæ practicæ universalis (*b*), atque per ea constat, quænam observanda sint. Ubi in Philosophia morali principia speciali

(*b*) §. 64. & seqq. 70. & seqq. part. 1. Phil. pract. univ.

cialia tradiderimus, ea observationes & experimenta facilitabunt. Rectitudo actionum requirit determinatum quendam omnium facultatum animæ usum, quippe quæ omnes ad actionem humanam concurrunt, etsi concursus magna, immo haud raro maxima ex parte adeo confuse percipiatur, ut sola attentione non animadvertatur. Quoniam tamen ea, quæ in nobis sunt, novimus, quatenus eorum conscii sumus, ex adverso autem, quæ in aliis sunt, nonnisi ex actibus externis tanquam signis internorum colligenda veniunt, sæpius nonnisi conjectando; adeo observationes & experimenta rectitudinis actionum capere facilius datur in seipso, quam in aliis. Et quia ad rectitudinem actionum ipsa lege naturali obligamur (*i*); istiusmodi observationes & experimenta in seipso non modo capere licet, sed etiam capere debemus. Novimus culpam esse defectum rectitudinis actionis vincibilem (*k*). Sine experimentis propriis vix ac ne vix quidem statuere datur,

(*i*) §. *189. part.* 1. *Phil. pract. univ.*
(*k*) §. *696. part.* 1. *Phil. pract. univ.*

num is vincibilis sit, nec ne. Et defectu horum experimentorum contingit, ut infirmitati tribuantur humanæ, quæ negligentiæ tribuenda erant, & indefessa diligentia tandem evitari poterant. Quamobrem experimenta apprime necessaria sunt quoad rectitudinem actionis, ne quid minus recte a nobis fiat nostra culpa. Quodsi ea attenta mente perpendas, quæ de culpa demonstravimus (*l*); quænam observanda & experimentanda sint in qualibet actione, ut quantum a culpa vacet & quid culposi adhuc supersit intelligas, non ignorabis. Abunde autem perspicies, quantus observandorum hic sit numerus, ut non amplius mireris, cum homines ad id, quod culposum est in actionibus suis, animum parum advertant, quod actionum rectitudo adeo rara inveniatur, etsi maxima felicitatis humanæ pars sit habere animum nullius culpæ sibi conscium: id quod nonnisi rectitudine actionum consequi datur.

§.

(*l*) §. 717. *& seqq. ibid.*

§. 5.

Operoſum videbitur forſan plerisque ac tædioſum honeſtatem intrinſecam & turpitudinem atque rectitudinem actionum humanarum obſervandi & experimentandi ſtudium, ut, qui per præcipitantiam judicare ſueverunt, inanem exiſtimaturi ſint operam, quæ hiſce obſervationibus & experimentis impenditur. Urgebimus eorundem neceſſitatem in Philoſophia morali, ibidemque adferemus ea, quæ ad eandem nobis commendandam faciunt. Ne tamen neglexiſſe videamur, quæ ad commendandum illas obſervationes illaque experimenta e re eſſe videbantur, pauca quædam dicenda nobis ſunt. Ad rectitudinem actionis requiritur determinatio voluntatis per bonitatem, noluntatis per malitiam actionis intrinſecam, & judicium de bonitate & malitia actionis verum eſſe debet (*m*). Apprime igitur neceſſarium eſt, ut recte agas, obſervando & experimentando detegere ac aliunde jam cognitam confirmare actionum humanarum intrinſecam honeſtatem ac tur-

Utilitas illarum obſervationum atque experimentorum.

(*m*) §. 80. *part. 1. Phil. pract. univ.*

turpitudinem. Sane ubi hic notatur defectus rectitudinis ut actiones legi naturæ conformes determinentur per rationes extrinsecas, omissa actionum intrinseca honestate ac turpitudine, quod virtutis speciem habet cum virtute ipsa confunditur, videnturque sibi hanc consecuti, qui ab eadem procul adhuc absunt. Modo insinuavi (§. 4.), maximam felicitatis partem esse, ut habeas animum ab omni culpa vacuum. Quare cum hoc fieri non possit, nisi rectitudinis in agendo tibi fueris conscius; necesse omnino est, ut, quæ de rectitudine actionis demonstrata sunt, observando & experimentando confirmes, omnemque moveas lapidem, quo huc spectantia in teipso experiaris. Equidem me fugit omnium minime, quam sit a moribus nostris alienum observationibus & experimentis vacare, de quibus modo dixi; quodsi tamen ea ad animum revocare volueris, quæ de experientia domestica in moralibus a nobis demonstrata sunt (*n*), mores hosce minime probabis, quin potius nobis facilem præbebis

(*n*) §. 261. & seqq. part. 1. Phil. pract. univ.

bebis assensum illorum emendationem urgentibus. Suo etiam tempore in Philosophia morali ostensuri sumus, quomodo studium hoc observandi facilitetur, ne videatur nimis operosum, nec molestum accidat, & quomodo tædium tollatur, immo efficiatur, ut non sine voluptate verseris in observando & experimentando.

§. 6.

Veritates practicæ morales ut observationibus & experimentis confirmentur, magis opus est, quamvis etiam observationes conducere possint ad eas detegendas: id quod tamen non adeo facile est, siquidem notiones rite determinatas desiderentur. Praxium moralium determinatæ notiones adhuc desiderantur. Etsi enim nulla Philosophiæ pars majorem utilitatem spondeat generi humano, quam Philosophia moralis, in qua praxes illæ demonstrari debent; diffiteri tamen nequit, nullam propemodum minus quam hanc esse excultam. Ratio in promptu est. Praxis moralis nititur recto facultatum animæ usu, adeoque ex principiis psychologicis demon-

An necesse sit veritates practicas morales observando & experimentando confirmari.

monſtranda. Pſychologia vero hactenus parum fuit exculta, quemadmodum ad oculum patet, ſiquidem Pſychologiam noſtram cum iis conferre volueris, quæ ante nos de anima ſcripta ſunt. Pſychologiæ principiorum & methodi demonſtrativæ ignari facile & ſibi, & aliis perſuaſerunt, praxin moralem, quæ uſu facultatum animæ continetur, nullis regulis adſtringi poſſe. In hac opinione confirmati ſunt præjudicio, quaſi quæ a libertate voluntatis pendent non certæ legi ſubjiciantur, conſequenter nec demonſtrari poſſint. Enimvero omnem facultatum animæ uſum certis contineri regulis & liberas etiam volitiones ac notiones quasvis non determinari, niſi illarum determinato concurſu; non modo ex iis intelligitur, quæ de Facultatibus animæ in Pſychologia a nobis demonſtrata ſunt, verum etiam ex his perſpicitur, quæ de Deo in Theologia naturali oſtendimus. Et quando annuente Deo ad Philoſophiam moralem accedemus, quæcunque ad praxin moralem ſpectant eadem evidentia demonſtrabimus, quo

hacte-

hactenus cetera demonstrata fuerunt, cumque liquido constabit, salva libertate voluntatis hoc fieri posse. Equidem *Lockius* in literis ad *Molyneusium* jam monuit, philosophiam moralem non minus demonstrari posse, quam elementa Geometriæ, ipsique assentitur *Leibnitius* in Animadversionibus, quas in Tentamen *Lockii* de intellectu humano conscripserat eidemque manuscriptas communicaverat: ex ipsis tamen literis *Lockianis* constat, ipsi tantummodo sermonem fuisse de officiis hominis, quæ ad theoriam spectant & a nobis in Jure naturæ demonstrantur, non vero de praxi, qua modus acquirendi habitus virtutis & fugiendi vitia cum aliis huc spectantibus continetur, quippe de quo nemo hactenus cogitavit, quod ex principiis psychologicis a priori demonstrari possit. Provoco ad libros qui de philosophia & Theologia morali hucusque in publicum prostant. Generalia nos dedimus principia in parte altera Philosophiæ practicæ universalis, quibus adjutus prævidere potest acutior, quænam in Philosophia morali sint expe-

ctanda. Et ubi ea publicæ luci fuerit expoſita, quod experimentis hic magis ſit locus, quam in theoria morali, quodque magis opus ſit obſervationibus domeſticis, me vel tacente videre licebit. Ne tamen ſine ratione quid aſſeruiſſe videamur, hoc unum jam perpendi velim. In Philoſophia morali, ſiquidem Philoſophus officii ſui partes adimplet, demonſtrandum eſt, quo facultatum uſu determinentur actiones bonæ & quo earundem abuſu determinentur malæ, ut ne ignores, quid fieri debeat, ut actiones bonas committas, malas autem omittas libera voluntatis determinatione. Experiundum itaque eſt, num iſto, qui docetur, facultatum uſu actiones bonæ, abuſu autem malæ determinentur. Quoniam obligamur ad bonas committendas, earundem determinationem non minus obſervationibus, quam experimentis confirmare licet, quatenus nimirum in caſu poſteriori ea, quæ in Philoſophia morali fieri debere demonſtratur, ea intentione facis, aut ut faciant alii facis, quo veritatem eorundem experiaris. Aſt quia actio-

es malas omittere debemus, neque deo facienda ſunt mala, ut inde eveiant bona; beneficio obſervationum ıquirendum, num illo facultatum abſu actiones malæ determinentur, cui ædem imputantur in Philoſophia moali. Cum enim multæ ſint rationes, b quas evidentia veritatum moralium acilius obſcuretur, quam aliarum; pluimum omnino refert, ut quæ demontrata ſunt experientia confirmentur, icque evidentia luce ſua radiet, ac neulæ diſſipentur, quæ a facultatibus nimæ inferioribus, appetitu inprimis enſitivo & averſatione ſenſitiva, cooriuntur. Tanto autem magis neceſe eſt, ut hoc fiat, cum perpauci ſint, ui evidentia rationis, quæ demontrationi ineſt, ad aſſenſum compelli oſſunt, propterea quod demonſtraionum in Philoſophia practica evientia a multis admodum dependet rincipiis, quæ familiaria experiri non deo facile eſt. Qui novit, quæ de ucceſſiva aſſenſus generatione alias in is horis ſubſecivis inculcavimus, & ı ea principia, a quibus pendet evientia demonſtrationum in Philoſophia

phia morali, inquisiverit, quod tu[m] facillime fieri poterit, ubi demonstra[-]tiones ipsæ prostabunt (*o*); difficulta[-]tem assensus immoti in hoc veritatum genere abunde perspiciet. Intera ve[-]ro experimentum capere licet, demon[-]strationem aliquam, quæ in altera Phi[-]losophiæ practicæ universalis parte prostat, in principia sua resolvendo.

§. 7.

Quanam de observationibus & experimentis veritatum practicarum specialius tenenda.

Equidem quæ hactenus diximus, pro præsenti instituto sufficere viden[-]tur, cum nobis tantummodo propo[-]situm sit docere, observationibus & experimentis non minus locum esse in Philosophia morali, quam in Physica, & experientiam domesticam in mora[-]li indispensabilis esse usus: non tamen in consultum ducimus, si de nonnul[-]lis in specie quædam notentur. Etsi enim Philosophia moralis nondum edita a nobis fuerit, immo nec literis consignata; ex parte tamen altera Phi[-]losophiæ practicæ universalis haurire licet, quæ ad ea intelligenda sufficiunt, de quibus jam instituenda oratio est.

Demon-

(*o*) *§. 992. Log.*

)emonstravimus ibidem (*p*), si quis
itam legi naturali conformem vive-
e, vel alterum ad eam vivendam ad-
ucere voluerit, 1. excitandum esse ar-
orem vitam legi naturali conformem
ivendi, 2. mentis aciem ad hunc gra-
um elevandam, ut data quacunque
ccasione agendi nexum actionis cum
ne ultimo, seu convenientiam & dis-
onvenientiam cum lege naturali per-
icere possit tum ope systematis le-
um naturalium, tum absque eodem,
dominium in sensus, imaginationem
que affectus acquirendum. Cum igi-
ır in philosophia morali, cujus pars
eneralis est philosophiæ practicæ uni-
ersalis pars altera, praxin comple-
ens, qua omnis praxeos moralis prin-
pia inconcussa ex ipsa animæ huma-
æ natura a priori demonstrantur,
stendatur, quomodo ardor vitam le-
i naturali conformem vivendi exci-
tur, mentis acies ad hunc gradum
evetur, ut data quacunque occasio-
e agendi nexum actionis cum fine ul-
mo, seu convenientiam & disconve-
ientiam cum lege naturali perspicere
possit,

(*p*) §. 593.

possit, dominium denique in sensus imaginationem atque affectus obtineatur; observationes & experimenta moralia patefacere debent num ea, quæ triplici hoc fine præcipiuntur, sufficiant ad finem consequendum, nimirum ut hoc usu facultatum, qui præscribitur, ardor legi naturali conformiter vivendi, mentis acies ad discernendum convenientiam cum lege naturali requisita conciliari & dominium in sensus, imaginationem atque affectus acquiratur. Experimenta autem & observationes non modo versantur circa ea, quæ in genere in Philosophia practica universali hoc fine præcipiuntur, sed locum maxime habent in iis, quæ in specie de actionibus ad hanc vel istam virtutum ac vitiorum speciem pertinentibus inculcantur. Quod si vel ea perpendere libuerit, quæ de ardore vitæ honestæ, de acie mentis in discernenda actionum honestate ac turpitudine, de dominio denique in sensus, imaginationem & affectus in Philosophia practica universali traduntur; facile videbis, multiplicia experimenta ac observationes in hisce

singu-

ingulis institui posse. Praeterea in Philosophia practica universali exponitur modus conjectandi hominum mores. Earum veritatem experimentis confirmari plurimum refert, tum etiam experimentis crebro repetitis ars ipsa conjectandi aliorum mores acquiritur. In Philosophia morali doctrinae huic generali subest doctrina de signis virtutum & vitiorum cum in genere, tum in specie, seu pars illa, quae semioticae moralis nomine venit. Quamobrem semiotica moralis rationalis cum experimentali constanter conjungenda. Quodsi ea quoque perpendere libuerit, quae de conjectandis hominum moribus docuimus; te denuo non fugiet, multiplicibus hic experimentis esse locum. Haec autem experimenta tanto magis necessaria sunt, quanto certius est, quae in philosophia morali demonstrantur, etsi veritati maxime consentanea sint, non tamen praxi cum successu demandari posse, nisi experimentis artem conjectandi aliorum mores tibi comparasti. Quamvis adeo ad specialissima descendere non licet, quae Philosophiae moralis systema supponunt;

ponunt; ſpecialia tamen nonnulla merito addimus iis, quæ in genere dicta ſunt.

§. 8.

Quænam de ardore vita honeſta in ſpecie notanda.

Per ardorem animi intelligimus actum voluntatis cupiditate, & noluntatis fuga vehementi ſtipatum (*q*). Ubi adeo ardor animi adeſt vitæ honeſtæ, appetitus rationalis cum ſenſitivo & averſatio rationalis cum ſenſitiva conſentit, immo ſenſitivus appetitus urget rationalem & averſatio ſenſitiva averſationem rationalem, ſicque voluntas & noluntas efficitur conſtans, qualis ad virtutem requiritur. Sine motivis nulla datur in anima volitio, nulla nolitio (*r*). Actus adeo voluntatis & noluntatis, qui in ardore adeſt, elicitur motivis. Philoſophi adeo eſt docere, quænam ſint iſta motiva. Diverſæ cum ſint hominum inclinationes naturales, non omnia motiva omnibus æque conveniunt. Philoſophi eſt diſcernere motiva pro diverſitate inclinationum diverſa. Liquet igitur, experimentis eſſe inquirendum, num moti-

(*q*) *§. 218. part. 2. Phil. pract. univ.*
(*r*) *§. 889. Pſych. empir.*

notiva, quæ proponuntur, vim quo-
ıue habeant ad movendum appetitum
vel averſationem rationalem. In hoc
.utem experimentorum genere uſui eſ-
e artem conjectandi aliorum mores,
:x eo patet, quod motiva diverſa ſint
ro diverſitate inclinationum natura-
ium, immo etiam pro diverſitate quo-
undam habituum moralium acquiſi-
orum. Propriorum morum cogni-
io non minus hic uſui eſt, ubi expe-
imenta in teipſo capis: quamvis etiam
:x adverſo experimenta capiendo de
notivis deteguntur hominum mores
atentes, prouti diſertius docebimus
n Philoſophia morali. Appetitio &
verſatio ſenſitiva non minus habet
ıas rationes determinantes, confuſam
cilicet boni & mali repræſentationem.
ienſus & imaginatio, quibus debetur
ıæc repræſentatio, cum intellectu in
epræſentando bono & malo conſen-
ire debent (s): id quod obtinetur, ubi
epræſentant voluptatem ex eo perci-
ıiendam, quod intellectus judicio
gnoſcitur bonum, & tædia ex eo per-

(s) *§. 577. part. 2. Phil. pract. univ.*

cipienda, quod eodem intellectus judicio agnoscitur malum (r). Hic igitur consensus denuo multiplici experimento locum dat, &, quoniam ab inclinationibus naturalibus est, quod sua unumquemque trahat voluptas, experimentis denuo hic maxime opus est, quibus comprobatur, pro diversitate inclinationis naturalis consensum hoc modo, non alio obtineri, quemadmodum etiam ex adverso, ubi in Philosophia morali propositiones determinatæ de hoc consensu fuere demonstratæ, beneficio earum via experimentali in inclinationes naturales inquirere licet. Equidem non ignoro, ad talia parum adverti solere animum, ut mihi facile persuadeam, fore haud paucos, quibus praxis moralis hoc pacto nimis difficilis reddi videatur; non tamen hinc sequitur, quæ a me dicuntur esse a veritate aliena: quin potius hæc ipsa dubitatio ratio sufficiens est, quæ experimenta a nobis commendata institui virtutis cupidis persuadeat. Dolendum omnino est, quod Philosophis

(r) *§. 578. part. 2. Phil. pract. univ.*

ophis Philosophia moralis adeo ste-
ilis fuerit visa, quasi in ea nil detur,
ı quo acumen suum exercere possint
ıgenio præstantes habitus invenien-
i pollentes. Huic enim præjudicio
ebetur, quod de disciplina humano
eneri utilissima excolenda parum co-
itaverint Philosophi, cum tamen ma-
is accessa sit, quam Philosophia na-
ıralis, ita ut facilius ad demonstra-
ones perveniatur in morali, quam in
aturali. Immo eadem de causa con-
ngit, ut emendandæ voluntati non
a opera impendatur, quæ intellectui
mendando impendi solet, virtusque
ıagis spectetur tanquam fortunæ bo-
um, quam quod multo studio ac la-
ore acquirendum, siquidem ex praxi
ominum judicandum, quænam in
onfusis ipsorum perceptionibus lateat
pinio intellectus judicio contraria,
oc tamen vincens ubi agendum.

§. 9.

Si systema Juris naturalis prostet, *Experimenta circa acumen discernendi bonum & malum instituenda.*
ı quo bonitas & malitia actionum in-
rinseca demonstratur; qui idem ani
ıo comprehendit, ope eorum, quæ
ı eodem docentur, bonum a malo

 sepa-

ſeparabit. Videntur adeo experimenta & obſervationes hic inſtituenda redire ad ea, quæ de bonitate ac malitia intrinſeca paulo ſuperius commendavimus. Enimvero qui ita ſentiunt, non ſatis intelligunt, quid ſit acumen, quo bonum a malo diſcernitur ab agente. Nimirum in Juris naturalis ſyſtemate in genere demonſtratur, quænam actiones ſint bonæ, adeoque committendæ; quænam malæ, adeoque omittendæ. Agens vero judicaturus hanc actionem in ſingulari, cujus patrandæ occaſio offertur, eſſe bonam, vel malam principia juris naturalis generalia applicare tenetur. Applicatio fit mediante ſyllogiſmo, cujus major eſt principium juris naturalis: requirit vero eadem etiam minorem, quam ſuppeditat notio determinata actionis, cujus hic & nunc patrandæ occaſio offertur. Opus adeo eſt acumine, quo actio iſta rite determinetur. Quæ de eodem præcipiuntur, obſervationibus & experimentis ſubjici poſſunt, & quantum in eo acquirendo profeceris non minus per obſervationes & experimenta addiſcitur.

§. 10.

§. 10.

Sapientia obligamur ad agendum propter finem, qui vero propter finem agit opus habet mediis ad eum ducentibus; id quod ex ipſa ſapientiæ notione patet (*u*). Media ad finem ducentia ex obſervationibus erui & per experimenta in eadem inquiri poteſt: ſed hæc experimenta & obſervationes non conveniunt niſi iis, qui veritates latentes inveſtigandi habitu pollent ut ad eum ſibi comparandum contendunt. Enimvero ſi Philoſophus in Philoſophia morali muneris ſui partes omnes adimplere debet, apprime etiam opus eſt ut non modo doceat fines, quos in agendo intendere debet, verum etiam media, quibus ad eos consequi datur. Obſervationibus adeo & experimentis comprobatur, media, quæ præſcribuntur, eſſe ad finem consequendum apta, nec minus experimentis addiſcendum, num mediis illis uti poſſis; & experimentis opera danda, ut iis uti diſcas. Multum hic homines fortunæ committunt, agenti tribuentes, quæ fortunæ tribuenda erant, *Experimenta & obſervationes circa media inſtituenda.*

 ubi

(*u*) §. 678. *Pſych. rat.*

ubi ex eventu de mediis, quibus usi, statuunt. Imitantur in agendo alios aut consilia incerta sequuntur, eventum, quem sperant, fortunæ committentes. Unde haud raro mirantur, male cessisse, quod alias optime cesserat, seque spe excidere de eventu maxime securos. Equidem plures dantur rationes, ob quas fortunæ aut rectius providentiæ divinæ multa committenda sunt, nec agenti imputari potest eventus; sunt tamen plura in potestate haud raro agentis, modo usum facultatum suarum facere voluisset, quem facere debebat.

§. 11.

Experimenta & observationes circa dominium insensus, imaginationem & affectus instituenda.

Si dominium insensus, imaginationem atque affectus acquirendum, necesse est ut impedimenta vitæ legi naturali conformis omnia removere discamus (x). Hinc in philosophia morali demonstrandum, quænam sint impedimenta virtutis, & quomodo removeantur in qualibet virtutis specie. Duplex adeo nascitur observationum & experimentorum inde genus, quibus nimirum inquiritur, utrum impedimen-

(x) §. 592. part. 2. Phil. pract. univ.

limenta, quæ enumerantur, revera talia ſint, nec ne, & num præſcripto modo tollantur. Opus quoque eſt experimentis ut diſcas, num iis tollendis par ſis, & ut ea tollendi habitum tibi compares. Quodſi adeo Philoſophia moralis rite exculta proſtabit, quantus ſit harum obſervationum horumque experimentorum numerus nullo negotio conſtabit. Impedimenta diſtinguuntur in impedimenta finis & impedimenta mediorum (y). Quamobrem & hinc conjectare datur ſaltem acutioribus obſervationum & experimentorum multitudinem. Equidem in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis generalia tantummodo docuimus de impedimentis eorumque remediis; quodſi tamen quis ea perluſtrare voluerit, ſatis ſuperque intelliget, quam multa ſint in hoc genere, quæ obſervationibus atque experimentis locum dant. Lubens concedo, fore pleroſque, quibus obſervationes iſtæ atque experimenta difficillima videantur, immo qui inanem in iis operam ſumant. Eadem vero magis

(y) §. 197. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*

gis in potestate sua esse deprehendent, ubi in Philosophia morali ex generalibus specialia deduxerimus.

§. 12.

Quanam circa signa virtutum & vitiorum observationes & experimenta instituenda.

Semiotica moralis, quæ ars conjectandi hominum mores (z), non postrema Philosophiæ moralis pars est. Hinc Philosophus non satisfacit officio suo, nisi etiam de signis virtutum & vitiorum agat in Philosophia morali. Quænam hic docenda, ex iis videre licet, quæ de conjectandis hominum moribus in genere proposuimus in parte altera Philosophiæ practicæ universalis. Apprime faciunt hæc signa non modo ad cognitionem sui, verum etiam ad intimiorem cognitionem aliorum. Qui vel ea perlegere voluerit, quæ de conjectandis hominum moribus demonstravimus; quantus sit usus observationum & experimentorum in hoc genere, sive ad ea, quæ docentur, confirmanda, sive ad eadem in potestatem suam redigenda, sive ad seipsum convincendum, quod artem hanc nostram fecerimus, perspiciet.

(z) §. 707. part. 2. Phil. pract. univ.

iciet. Iſtiusmodi autem obſervatio-
:s & experimenta locum habent in
nni ſigno, quod affertur in philoſo-
ıia morali.

§. 13.

Egimus quoque de vitanda culpa in hiloſophiæ practicæ univerſalis parte tera non modo in genere, verum iam in ſpecie, quatenus diverſæ cul æ ſpecies in omni actionum huma ırum genere locum habent, quas cu- te diſtinximus in Philoſophiæ pra- icæ parte prima. Obſervationibus experimentis confirmatur, culpam uamlibet eo modo evitari poſſe, qui ræſcribitur. Iisdem opus eſt, ut cul- am evitare diſcamus. In Philoſophia orali de culpa multa erunt in ſpecie :monſtranda, ſive theoriam ſpectes, ve praxin. Tumque obſervationum experimentorum, qui hic emergit, ımerus magis patebit. Quemadmo- ım vulgo homines de vitanda culpa ırum cogitant, plurimum & ſibi, & iis damni dantes, quod evitari pote- t, ita etiam a Philoſophis hæc phi- ſophiæ moralis pars neglecta fere ac :ſerta fuit, cum tamen ea ſit, quæ

Obſervationes & experimenta circa culpam vitandam inſtituenda.

 maxi-

maxime excoli merebatur, quoniam culpa tollit rectitudinem actionis, ad quam obligamur. Absit itaque, ut tibi persuadeas, nos observationum & experimentorum moralium numerum nulla necessitate augere.

§. 14.

Experientia moralis realitas evicta.

Abunde igitur ostendimus, tum quoad theoriam, tum quoad praxin plurima dari in Philosophia morali, quæ non uno modo observationibus & experimentis subsunt. Qua de causa patet, experientiam moralem a nobis minime fingi; sed eam non modo in numero eorum esse, quæ fieri possunt, verum etiam eandem esse utilem, neglectum vero ejusdem damnosum. Equidem inauditum forsan nomen est observationum ac experimentorum moralium, neque ego novi librum ullum, qui de istiusmodi observationibus & experimentis, qualia hic indicavimus, scriptus sit, utut multi de philosophia morali a posteriori commentati sint; non tamen hinc inferre licet, quod istiusmodi libris carere possimus: contrarium enim per anteriora

iora constat. Neque ego dubito fo-e, ut, ubi Philosophia practica a no-bis fuerit ad finem perducta, plures uisce observationibus & experimentis acent. Etsi enim nunc non adeo fa-ile sit observationes in hoc genere lare acuratas, multoque difficilius ac-urata capere experimenta; nulli ta-nen dubitamus fore in posterum fa-ile, quod nunc difficile videtur, si anto negotio pares idem aggredian-ur. Ego in omni philosophia maxi-ni facio consensum rationis & expe-ientiæ, maxime autem in Philosophia ractica; cum enim faciat ad firman-lum assensum, ut sit prorsus immo-us, etiamsi non desint rationes, ob uas falsum esse malles, quod verum gnoscis; praxi inprimis morali ad-nodum favet consensus iste, quando ationes extrinsecæ appetitum in con-rarium flectunt. Quantum valeat xperientia domestica cum in theoria, um in praxi morali, evidenter de-nonstravimus in parte altera Philoso-hiæ practicæ universalis, ut adeo e utilitate experientiæ moralis dubi-are non possit, qui demonstrationes nostras

noſtras animo comprehendit. Non repeto, quæ ibidem legi poſſunt; ſuadeo tamen ut ea attenta mente evolvat, quicunque de experientiæ moralis utilitate judicium ſibi ſumit, ne id deproperet, cum non obvia ſint ea, in quibus utilitas conſiſtit.

§. 15.

Quando obſervationes & experimenta in moralibus accurata ſperanda.

Antequam vero Philoſophia practica univerſa in ſyſtema veri nominis methodo demonſtrativa redigatur, non eſt quod obſervationes & experimenta omnibus ſuis numeris abſoluta in moralibus ſperes. Exemplo eſſe poteſt Aſtronomia, quæ quo magis fuit exacta, eo quoque accuratiores obſervationes inſtituerunt Aſtronomi. Nemo hoc ignorat, niſi qui obſervationes antiquorum Aſtronomorum cum obſervationibus recentiorum non contulit, neque Aſtronomiam veterem cum recentiori compoſuit. In promptu quoque ratio eſt. Etenim ubi Philoſophiæ practicæ cum theoria, tum praxis fuerit demonſtrata; tum demum conſtabit, quid obſervandum ſit & quid experimentis definiendum veniat. Et veri-

eritates demonſtratæ reddent obſer-
atorem & experimentatorem acutio-
em, ut obſervet, quæ alias aciem
iſius ſubterfugerent, & in ea inqui-
it, de quibus alias non cogitaret.
ledicina nimis longo adhuc inter-
allo diſtat ab ea evidentia, quæ in
ſtronomia regnat, etſi in hac quo-
ue multa dentur, quæ certo cogno-
i nequeunt. Neque hactenus reper-
is eſt, qui Medicinæ ſyſtema dede-
t, quod nomen ſuum tueatur. Enim-
ero qui obſervationes ad veritatem
itentem indagandam & cognitam
onfirmandam utiles dijudicare novit;
uibus obſervationes Medicorum la-
orent defectibus non ignorat. De-
ctus imputandi ſunt ignorantiæ ve-
e methodi & impotentiæ eadem uten-
i, atque carentiæ ſyſtematis, in quo
eritates medicæ tam theoreticæ, quam
racticæ inter ſe connectuntur. Un-
e dudum monuit *Pitcarnius* Medicum
nitari debere Aſtronomum & nos
i his ipſis horis ſubſecivis acuratius
ocuimus, quomodo hoc fieri debeat.
)uemadmodum itaque Medicis acci-
it, ut in obſervando non ſe præ-
beant

beant ſatis acutos, quamdiu Medicina methodo ſcientifica non redigitur in ſyſtema veri nominis; ita etiam ſperandum non eſt, ut obſervationes morales & experimenta moralia fiant ea, quæ requiritur, accuratione, quamdiu ſyſtema Philoſophiæ practicæ ſcientifica methodo conditum non proſtat. Hæc ideo monemus, ne qui ſint, qui plus de facultatibus ſuis ſperantes, quam in iis eſt, ſe pares judicent labori, quo cum laude defungi nequeunt. Dolendum enim eſt, quod plurimi ad ardua molienda progrediantur, antequam ſatis didicerint, quæ ſcire debebant, multo rectius ſibi & aliis conſulturi, ſi diſcentium adhuc ſubſellia occupare, quam docentium numero ſeſe ingerere maluiſſent. Etenim ſi tempus diſcendo conſumerent, quod ſcribendo fallunt; quod nunc malefaciunt, cum laude poſthac facere poterant. Non tamen ideo improbamus obſervationes & experimenta moralia, ſi quæ initio dentur imperfecta, quæ cum aliis emendandi occaſionem præbeant ad profectum ſcientiæ proſunt. Quamobrem

ſi

quis qui methodo pollet & eorum, uæ in Philoſophia practica univerſali & Jure naturæ hactenus demonravimus, gnarus eſt obſervationes & xperimenta moralia tentare voluerit, udabimus conatum, etſi non det mnibus numeris abſoluta, modo det uæ viam ſternunt ad accuratiora. Ut ero præcipitantiam evitet, quam meito damnamus, obſervationes & expeimenta iteranda ſunt: neque enim ino tempore deſunt rationes, ob quas animum advertimus ad ea, quæ alio tempore attentioni noſtræ ſeſe ſubducunt.



CON-

CONSPECTUS
TRIMESTRIS AUTUMNALIS.

Finis Trimestris autumnalis.



INDEX

INDEX
ERUM ET VERBORUM.

A.

Chri-

Domin-

Impe-

L.

M.

Medici

Obſtu-

Ratio-

Theo-

Finis Indicis.



  (o) 



